AQVILÆ AVSTRIACÆ,

Pars Secunda, Seu

MONARCHIÆ OCCIDENTALIS

Tomus Octauus,

IN QVO IMPERATORES AVSTRII

A MAXIMILIANO II. vsquè ad Coronationem LEOPOLDI PRIMI

OCCIDENTIS IMPERATORIS LI.

Elogijs, Hieroglyphicis, Numismatibus, Insignibus, Symbolis, Imaginibus Antiquis ad viuum exhibentur exculpti, & longa historiarum serie exarati.

Vt nihil relictum sit, quod prisci, vel hodierni habeant annales;

Sed Diplomata, Leges, Indulta, Genealogiæ, Donationes, Priuilegia offeruntur congesta.

INSERVNTVR ET REGVM PRINCIPVMQVE

Imagines, Nummi Honorarij, Castrenses, Triumphales, Votiui, Missiles, &c. qui sanguine, fœdere, bello Imperatoribus iuncti, occurrunt in Opere.

Subijcitur cuique Cæsarum Appendix Symbolica, Sacrolegalis, & Historicopolitica, in qua Symbolis & hieroglyphicis, ære affabrè exculptis, Cæsares, eorumq; gesta pinguntur, & explanantur.

AVCTORE

JOANNE PALATIO

I.V.D. in Veneto Gymnasio Professore Publico, &c.

SVPERIORVM PERMISSV.

VENETIIS, M. DC. LXXIX.

Ex Typographia Andreæ Poleti.

SVMPTIBVS AVCTORIS.

Prostant sub Signo Fortunæ, & Nauis, aliorumquè.

L E C T O R I.

ÆDificare cœpi, & consumare potui (Amice Lector) Monarchiam Occidentalem minimè obstrictus ære alieno. A Carolo Magno *ad* Leopoldum Optimum *excreuerunt Cæsarum fasti, & nostra fasta non sine strepitu, sed magno tumultu. Iniuria tamen cum sæpe locum faciat maiori fortunæ, in septimo quieui. Tot namque annos insumpsi, viuendo inter Cæsares mortuos. Anno 1671. cum in lucem duxerim Magnum Carolum primum Occidentis Imperatorem, octo voluminibus ad Cæsarum gloriam Anno 1678. in Leopoldo Optimo cursum consumaui, fidem seruaui, quam basim nostri glorior ædificij. Ad communem scribens vtilitatem, cum omnes sperarem amicos, plurimos offendi inimicos. Nocituram curaui vitare potentiam non aliter, quàm in nauigando procellam: & cum in obsessâ via saltem pauperi crederem esse pacem: Odium, Inuidiam declinare non potui. Omnem operam dedi cum Stoico, vt me multitudini educerem, & aliqua dote notabilem facerem; quid aliud quàm telis me opposui? & maleuolentiæ, quod morderet, ostendi? Ipsi qui laudant, omnes sunt hostes (quod in æquo est) esse possunt. Quàm magnus mirantium, tam magnus inuidentium populus est. Rumoribus tempus dedi, a Magno edoctus Pompeio, quum suos è Cœlo respiciens parua clausos cineres humo; nautaque ne bustum religato fune moueret, sacrum semiusto inscripsit stipiti nomen,* Hic situs est Magnus *(lib.9. Lucanus) videns quanta sub nocte iaceret nostra dies, risit sui ludibria trunci. Risi, & querulas cicadas irridens, quæ tinniendo crepunt, ardua & confragosa, quasi plana cogitans, per saxa & rupes in apicem conscendi laboris, & in fastigio steti, cum oberrare crederem ad radices. Aciem sæpè longinquitas fallit: sed propiùs adeuntibus eadem illa, quæ in vnum congesserat error oculorum, paulatim adaperiuntur, difficillima omnia, si audeas, faciliora apparebunt.* Nec inaccessus apex *si dorcadi, cur homini, cui & Cœlum recluditur? Dama in fastigio montis, infra canibus latratu obstrepentibus, nec conscendere valentibus, antiquum fuit eorum symbolum, quos spretis inuidentium vocibus, non liuor, nec vexatio cunctari potuerunt a limine gloriæ. Omnia obruuntur virtute: nec magis vllam portionem habent incommoda, cum in virum constantem inciderint, quàm in mari nimbus. Ad nullius pauens occursum veluti Leo, cuncta prosternit. Dant animos plagæ.*

Plurimis anonymi agitatus querelis, licet in Apologia contra folium, quòd vento rapitur, *abundè satisfecerim; ne* contra folium, quod vento rapitur, *dicerent me ostendisse potentiam; instauratis calumnijs sparsim in postremis voluminibus occurrere studui, & hostem prouocare ignotum, vt aperto Marte concurreret. Cupidus gloriæ, quæ merces est iusta laboris, dedignatus contendere verbis, certamen inij, vnde meritò vel immeritò liuor carperet adorationem (quam Regibus, & Potentatibus Sæculi profiteor debitam) appareret. Contumelias non magis feci, quàm verba puerorum, qui (vt ait Seneca) os parentum feriunt, matris lacerant crines, in conspectu suorum tegenda nudant, nec verbis obscænioribus parcunt. Vt quisque contemptissimus, & vt maximè ludibrio est, ita solutissima lingua est.*

Ædificare itaque cœpisse, & consumare potuisse glorior, sed in Deo.

Deus

Deus nobis hæc otia fecit
Namque erit ille mihi semper Deus, Illius aram
Sæpè tener nostris ab ouilibus imbuet agnus,
Ille meas errare boues, vt cernis, & ipsum
Ludere quo vellem, calamo permisit agresti.

Palatium suspice nostrum, a me quidem plantatum, Apollinis solertia rigatum, sed ni Deus incrementa dedisset, superscriberes sanè; Cœpit hic homo ædificare, & non potuit consumare.

1679. 20. Marzo.

HAuendo veduto il Tomo sesto dell'opere del Reuerendiss. & Eccellentiss. Sig. Dottore Gio: Palazzi, Piouano di S. Maria Mater Domini di Venetia &c. incomincia *Monarchia Occidentalis Lib. XXVIII.* & finisse *Tercentos stare Viros meliores*, nè hauendo in esso ritrouato cosa alcuna contro la Serenissima Republica, anzi molte cose in lode della medesima, & molte erudirioni gioueuoli ad ogni stato di persone, perciò lo reputo degno d'essere dato alla stampa &c.

Fr. Francesco Emo della Religione dei Serui di Maria Vergine, Teologo, & Consult. della Serenis. Republ. di Venetia &c.

OPus D. Io: Palatij Doctoris eximij à Conrado II. Occidentis Imperatore, ad Conradum IV. Imperatorem summa quidem cum doctrina, eruditione, & facundia digestum ad id electus obseruaui; imò publicæ, & litteratorum consulens vtilitati, prælo dignissimum.

Subscribit
Vincentius Paschalicus Patricius Venetus, Philos. Doct. & ex Senat. Cons. in Patrio Lyceo Philos. Publ. Interpr &c.

CVm ego infrascriptus accuratè perlegerim partem operis Doctoris Ioannis Palatij ab Alberto II. Honorifico, vsque ad Ferdinandum III. & IV., nihil in ea offendi, quod Principibus, aut bonis moribus aduersetur; quin summam & Doctrinam & eruditionem admiratus, dignam censeo, quæ orbi literario, ad publicam vtilitatem exponatur; In quorum fidem, presentes manu propria ratui.

Ioannes Franciscus Franzini I. V. & S. Th. Doctor, Academiæ Vigilantium Rector.

MONARCHIÆ OCCIDENTALIS

Tomus VIII. seu Pars II.

AQVILÆ AVSTRIACÆ.

MAXIMILIANVS II.

OCCIDENTIS IMPERATOR XLVI.

1 *Nimrodi turris, linguarum ſymbolum.*
5 *Myſtica ſunt nomina Regum, nec caſu impoſita.*
6 *Maximil. II. Imper. educatur ſub Carolo V. quindecim filios habuit. 9. Hiſpaniæ præfectus. 10. vno anno tres coronas conſequitur. 11. cunctatione perdit coronam Poloniæ. 12. pacificus. 13. Io. Vaivodam vincit. 16. victoria in Turcas. 17. linguarum peritia. 18. eius religio. 19. numquam mendax. 20. clemens. 21. morientis verba pia. 4. hieroglyphicum. 2. nationes lingua diuerſas in vnum, pietatis & religionis idiomate congregat.*
7 *Maria filia Caroli V. vxor Maximil. II.*
11 *Fortuna non patitur moras.*
14 *Philippus II. Rex Hiſpan. arma gerit in hæreticos.*
15 *Solimanus etiam mortuus vincit.*

1 NImrodi turris, quam in *Maximiliani II.* hieroglyphico extructam offendis, linguarum annuit peritiam, atq; concordiam. Tyrannus impietate ſua linguas diuiſit, cũ *terra eſſet labij unius, & ſermonum eorundem. Gen. 2.* Turrim cogitans, qua Cœlum ſcanderet, terram onerauit non tam corporis, quàm mole ſcelerum. Haud contentus homines vincere, niſi & Deum in Cœlo laceſſeret (quaſi peccare puderet, niſi peccaret in Cœlo,) Cœlites tentauit confundere, ſed ſeipſum confudit, & obruit confuſis linguis. *Cœpit itaque ædificare, ſed conſumare non potuit*, quia religionis deficeret fundamentum. *Maximilianus* modò ſuperuenit, & linguarum reparat vnitatem, quia ſuperædificauit *ſummo angulari lapide, Chriſto Ieſu.* Omnia cum calleret idiomata, quid docuerit populos? habes in hieroglyphico, Religionem, Pietatem, Iuſtitiam, Fortitudinem, Obedientiam, quarum gradibus Nationes toto Orbe diuerſæ turrim conſcendunt vnanimes. Habet quælibet Natio virtutis ſuæ ſymbolum, *Fidelitatis* in cane; *Fortitudinis* in columna, &c. vt videre eſt in hieroglyphico. Hac lingua, & idiomate nationes congregabis diſperſas, & ſcala pietatis Cœlum conſcendes. 11

ALLVSIO AD HIEROGLYPHICVM.

I.

111 *CErnis vt æthereas ſublimis creſcat ad auras*
Turris, & è turri plurimus vmbo micet;
Eſſe quid hoc dicam? Nembroth nouus anne reuixit
Auſurus bello ſollicitare polos?
Fallor? an hanc melior muniuit ad æthera molem
Titan, quo Cœli tutius eſſet iter?

Franzinus.

II.

SIſte alta, Nembrod, fūdamina ponere Turris,
Perfectum nunquam grande videbis opus.
Siſte igitur; Noſter poterit tantūmodo Princeps
Lucida turritam tollere ad aſtra domum.
Diuersè ſapit iſte loqui, linguiſque peritus
Præcepta artifici clara cuique dabit.
Quinimmò ad finem Cœlorum sūma iuuabunt
Numina, quæ ardenti Dux pietate colit.
Hæc igitur quicumque ſciat, quòd ſcilicet omne
Auxiliante Deo perficietur opus.

Ponginus.



MAXIMILIANVS II.

OCCIDENTIS IMPERATOR XLVI.

ELOGIVM.

Ludunt, non deludunt in nomine omina Cœli V
Hæc cælant, non celant Astra,
Vt Sacer Haruspex non profana sumat auspicia.
Fortuita sunt hominum nomina, non Regum.
Vos Dij terra estis, & Dij excelsi omnes.
A die, mense, nomine
Maximi auspicium *Maximilianus* habet.
1527 Kalendis natus Augusti, vitam nanciscitur, & vittam Augustam.
A cunis ad curas profectus VI *Maximiliani educatio sub Carolo V.*
Carolum V. præceptorem, vel spectatorem habuit,
à quo nil discere potuit præter victorias.
Mariam II. Caroli filiam coniugem habuit;
(*Flumina obruere haud poterant, maria euocantur*) VII
Quæ Abneptis, Proneptis, filia, nurus, vxor, mater Imperatorum.
Non minori titulo dotari sponsa debuerat,
Vt par pari nuberet *Maximiliano.* VIII *Habuit XV filios: & tot astra Astrologus recenset in Cœlo Austriaco.*
Tot illi liberi, quot astra in Austrio Cœlo.
Hispaniæ præfectus à patruo patrem egit,
Et fræna tractauit, vt *Carolus* crederetur adesse.
1562 In Germaniam regressus, nouo felicitatis prodigio, IX *Hispaniæ præfectus.*
Vix anno exacto tres coronas consequitur,
Imperij, Hungariæ, Bohemiæ.
Visa est recurrere ad *Maximilianum* fortuna *Alberti II.* X *ter in anno coronatur*
Fluit hæc, vt refluat; recurrit, ut abeat.
Multarum virtutum capiti corona vna non sufficit.
Austriacis tantum natura dedit,
plures vno capite sustinere coronas.
Quid Biceps Aquila?
Vbi tribus coronis sufficit vnum caput.
Ad quartam plurium capacem Poloni euocabant.
Sed dum lentus moratur, XI
Præteruolat de more fortuna, quæ moram odit,
Et spreta spernit.
Desiderari *Maximilianus* maluit, quàm venire,
Tribus susceptis, cum esset grege, & Rege superior,
Vna reiecta, fuit maior seipso.
Tanto sub onere Princeps illi labor, communis quies.
Per clausas Iani ianuas, adire volens templum Honoris, XII *pacificus.*
Quam domi colebat pacem, foris quæsiuit, sed non inuenit.
1565 *Ioannem Vaiuodam* pacare nec placare potuit. XIII *Vaiuodam vincit.*
Malè tamen in Hungaria acquisita is pessimè perdidit.
Post amissa præsidia, inuenit in fuga præsidium XIV *Philippus II. Rex Hispaniarum in Hæreticos arma gerit.*
Pugnabant simul, & oppugnabant *Philippus*, & *Maximilianus*
Turcas iste, Hæreticos ille
Sed non penitùs perfidia subacta, nec barbarie fugata
Ne Austrijs, quam ornarent, Sparta deesset.
Vtramque Asiam in Austriam cum *Solymannus* armasset.

Salutis Anno

Resumpsit Aquila fulmen,
Vt ferrum è sinu terræ diuulsum,
In sinu conderet Barbarorum.
XV *mors Solimanni* Gyula, & Sigethum victori rogum fuere
Iræ flammis *Solymannus* excandens seipsum primò, pone urbes absumpsit, 1566
Et quas viuus vincere haud potuit, debellauit mortuus.
XVI *Victoriæ in Turcas* Barbaro tamen Tata, & Vesprinio ereptis:
amissa *Maximilianus* duplo restituit;
Vt post *Solymanni* lethum, Turcæ nil lætum sperarent.
Potuit tunc Cæsar aurea liquare secula, & aurea cudere.
Quasi vnum esset ouile, & vnus pastor.
XVII *Linguarum peritia.* *Omni-linguis* Imperator
Blanda dictabat Gallus, seria pronunciabat Italus
Grandia iactabat Hispanus, aspera ebulliebat Germanus.
XVIII *Religio Maximiliani* Octo cum loqueretur linguis, non fuit bilinguis,
Romanam fidem Germano pensauit candore:
XIX *numquam mèdax.* Et quod miraculum est, nec verbo offendit.
Si omnis est homo mendax,
excipe *Maximilianum*.
Plenus miraculis,
XX *clemens* Potuit non lædere, læsus;
Grandem credens animum, quem non incuruat iniuria.
Accuratus, quid ageret. Incurius, quid dicerent;
Dabat rumoribus tempus, quo senescerent.
XXI *mors.* Sui randem fati conscius, fastos deponit, & fasces, 1576
Vt pro se diutiùs militaret, regnaret, imperaret *Rudolphus*.
Hæc Sapientiæ & Fortitudinis monstra
in Austria inuenies non in Africa.
XXII *moriens historiam de Scala Iacob sibi recitari mandat. & dictum Domini* Nemo ad Cœlū *&c. cui Maximil. adiunxit,* Et omnes, qui credunt in eum. In comitijs eflavit animam:
Vt rationem redderet, antequam è mundo migraret ad patrem.
Per scalam Iacob creditur gradum fecisse,
Innixumque dominum habuisse & thalamo, & tumulo.
Cum nemo ad Cœlum ascendat,
Nisi qui de Cœlo descendit.
Hoc vno verbo defecit in Verbo
Et omnes qui credunt in eum. Io. 3.

CATENA HISTORICA
CAPVT SECVNDVM.

1 *Maximil. II. natalia. 2. coniuges, liberi. 7. belli tirocinium agit sub Carolo V. 8. ducit in uxorem filiam patrui tribus coronis intra annum donatur. 10. in eius coronatione inoleuit primùm, ne Protestantes Missæ adstarent. 19. expeditio in Transyluaniam. 13. nummi auspicales. 24. castrenses. 100. ferales. 34. in Turcas mouet. 36. pax cum Turcis. 37. bellum Graumbachianum. 62. arbitrum se offert inter Belgas, & Hispanos. 63. imploratur à Gheusijs in Hispanos. 76. intercedit pro Orangio. 106. mors. 107. Rex Polonorum eligitur. nummus. 109. epitaphia.*

2 *Maria uxoris Maximiliani II. Imperator. nummus.*

3 *Ernestus filius Maximiliani II. Imper. ecclesiæ propugnator.*

3 *Maximilianus filius Maximil. II. Imper. à Polonis capitur.*

4 *Albertus filius Maximil. Cæsaris Archiep. Toletanus, uxorem ducit.*

4 *VVenceslai filij Maximil. II. Imp. symbolū.*

5 *Anna*

uiuio

ninio excipit coniuratos. 64. Buscoducum occupat. 71. mors. 54. nummus.

53 *Gheusij qui sint? 54. nummus votiuus. 55. blasphemia in fidem Romanam. 57. Iconomachi. 59. populantur templum Antuerpianum. 73. calamitas. 85. Brilam capiunt.*

57 *Carolus Mansfeldius se à Gheusijs subtrahit.*

62 *Ericus Brunsuicensis mouet in Belgas pro Philippo II. Reg. Hispan.*

62 *Io: Nassouius recusat arma sumere in Belgium.*

64 *Philippus Lanoius Gheusios vincit.*

67 *Philippus Norcarmius Tornacenses vincit 68. Tornacum occupat.*

70 *Ferdinandi Aluarez Albani mores, rigor. 74. prætor Belgij. 76. collegium* sanguinis *instituit. 80. Ludouicum Nassauium vincit. nummus votiuus. 82. victoria. nummus triumphalis. 83. eius statua odiosa Belgis, & Regi deijcitur. 84. tributum imponit; apud Regem accusatur. 85. missionem flagitat. 84. insidiæ ei à Belgis structæ. Veniam promulgat. 87. irridetur. 89. Montes obsidet. 90. in deditionem accipit Montes. 91. filium increpat. 93. abit in Hispaniam. relegatur, gloriosum, & superbum responsum.*

70 *Caroli V. dictum mirabile in seueritatem Albani.*

74 *Hornanus comes custodiæ datur.*

82 *Antonius Lalinius Hocstratanus captiuus Albani.*

76 *Philippus Orangius in Hispaniam abducitur.*

77 *Carolus filius Philippi II. Hispan. Regis moritur, an in patrem conspirarit.*

78 *Ardulphus Nassauius occiditur.*

78 *Arembergius occiditur.*

82 *Chiappini Vitellij victoria. 80. imago. 88. exemplum fidei incorruptæ. 99. mors gloriosa.*

83 *VVolgangi Bipontini mors, nummus.*

83 *Henrici Regis Nauarræ nummus.*

86 *Gulielm. à Marca classem instruit in Hispanos. Vormam insulam occupat.*

87 *Batauorum peritia naualis.*

88 *90. Federici Albani victoria. 91. Harlemum obsidet. 92. vincit.*

90 *Mondragonij facinora.*

93 *Ludouicus Requesenius Belgij Gubernator. 96. Lugdunum Batauorum obsidet. 98. expeditio Zelandica supra naturam mirabilis. 99. mors: frustra inclinat ad pacem.*

95 *Sanctij Auilæ victoria.*

97 *Augusti Saxoniæ Electoris nummus.*

97 *Elisabethæ Anglorum Reginæ nummus.*

97 *Valdesij infelix expeditio in Batauos ob amorem Venereum. nummi*

100 *Io: Austriaci victoria in Turcas, nummi 101. in Belgium laruatus descendit; non recipitur. 102. Hispanos iubet Belgio secedere. 104. fuga. Namurcam per industriam occupat.*

103 *Guilhelmus Orangius Belgas sollicitat in Ioannem Austriæ. 105. Ruuartes à Belgis creatur. 94. Middelburgum in deditionem accipit. nummus.*

106 *Henrici III. Francorum, & Polonorum Regis nummus.*

MAXIMILIANI II. GENESIS.

1 EX *Ferdinando I.* Imperatore, & *Maria* filia *Ladislai* Regis Bohemiæ, & Hungariæ (quæ pietatis & liberalitatis suæ erga pauperes testimonio, amplum Viennæ hospitale condidit) nascitur *Maximilianus II.* Viennæ Austriæ, Anno 1527. die I. Augusti inter XI. & XII. horam noctis.

Vxorem.

2 *Mariam* habuit patrui sui *Caroli V.* filiam, hoc est, patruelem. Fuit *Maximiliani* coniugium castum, & fœcundum, ex quo XVI. liberos suscepit, quorum octo in pueritia mortui sunt: reliquos superstites reliquit, videlicet sex filios, & duas filias. Totum hoc annuit eiusdem *Mariæ* symbolum: Corolla, quæ cingit meditationes Imperatricis, inter frondes, frutices, pijra, sobolem scilicet felicem. Tres coronæ in medio positæ, media *Imperatoriam*: dextera *Castilliæ*: læua *Aragoniæ* designant abiectum omnem fastum, subiecta *spinea corona* ob obitum *Maximiliani* (nam *lugubris* creditur iste nummus, & post mortem cusus *Maximiliani*) Corona supernè fulgens super *Iridem* cum *nouem stellis*, si nouem sunt, est *Ariadnæ corona* virtutis præmium, brauium certaminis quam (vt voluere Poetæ *Hesiodus*, & *Horatius*) Ariadnæ Bacchus dedit: & eam mortua, vt virtutis memoria non moritur, retulit in Cœlum. Si verò nouem non sunt stellæ, nec pictor subtraxit; sed Mysta octo tantùm reposuit, *octo Beatitudines* designantur, quas habere sperat in Cœlo.

explanatio symboli.

Fi-

Filij.

III I. *Rudolphus* primogenitus, Imperator

II. Ernestus *clemens* dictus, & *pacificus*. Cum *Rudolpho* fratre in Hispaniam profectus, cum eodem in Austriam reuertitur Anno 1571. Anno postea 1587. à *Sixto V.* Pontif. Max. *Ec-*



clesiæ Propugnatoris insignia Viennæ accepit. Regnum Hungariæ, & Austriam ad annos 17. prò Cæsare fratre gubernauit, cuius tandem consensu à *Philippo II.* auunculo Belgarum gubernator constitutus, Bruxellam Anno 1594. ingreditur: vbi moritur Anno 1595. X. Kal. Martij.

Epitaphium.

Mors fortes pariter prædatur, Morsq. maligna
Mortem nec Martem mens generosa timet.
Prodest cauta tamen, nocet at temeraria virtus
Armat Dux hastis cautior ipse suis.

III. *Mathias* natus Anno 1557. successor fratris *Rudolphi* in imperio.

IV. *Maximilianus* A. C. 1558. Neostadij Austriæ natus. Hic *Stephano Bathoreò* defuncto, An. 1587. à nonnullis proceribus Rex Polonorum salutatus aduersùs *Sigismundum* filium *Iohannis III.* Suecorum Regis, cum in Poloniam venisset, nec reciperetur, Cracouiam obsedit; sed à *Iohanne Zamoscio* Polonorum Duce victus, & carceri traditus, Pontifice tandem intercedente, liberatus est.

V. *Albertus* ibidem natus An. 1559. in Hispania educatur, Theologicis disciplinis imbuitur, Anno 1577. Ecclesiasticum ordinem suscipit, & à *Gregorio XIII.* Cardinalis S. Crucis creatur. Ann. 1583. à Rege *Philippo* auunculo ProRex Lusitaniæ constituitur. Anno 1599. Vlyssiponem contra *Dracum* piratam, & *Antonium* nothum summa fortitudine protegit. Anno 1593. Madritum euocatus, defuncto IV

Car-

Cardinale *Quiroga*, Archiepiscopus Toletanus, & Hispaniarum Primas designatur. Defuncto *Ernesto* fratre, iam iam ordinem sacerdotalem suscepturus, mutata sententia, Belgij ProRex à Rege factus, coniugem sumpsit *Isabellam Claram Eugeniam* filiam *Philippi II.* Hispan. Regis.

VI. *VVenceslaus* Neostadij nascitur Anno 1561. Die 9. Martij. Moritur 1578. Habuit prò symbolo Cornucopiam sub lemmate, *Melior fortuna notabit.*

Filiæ.

V *Anna Maria* vxor *Philippi II.* Hispaniarum Regis; plerisque indignantibus, quòd nullo manifesto pacis bono *Philippus* sororis filiæ matrimonium concupierit. Habuit hæc pro symbolo *Querneis suspensum ramis, alatum; & in orbem se reuoluentem serpentem*, prudentię symbolum. Celeritatis, quòd alatus: Diuturnitatis, quòd rotundus. Quæ omnia cadebant in *Philippo*. Columba in trunco arboris *Maria* est; quæ in orba viduaque domo surculum gentilicium inseuit, *Philippum III.*

Elisabetha nupta *Carolo IX.* Gallorum Regi, quo defuncto, Viennam redijt, vbi ædificato nosodochio sanctè, & piè vixit in assidua Diuini Verbi contemplatione, *quod ei sola spes erat*, vt in symbolo.

IMPERII OCCVPATIO. Ann. 1562.

VI *belli tirocinium.* PRimum cum in re militari tirocinium sub Cæsare *Carolo V.* patruo suo, in bello Smalcaldico fecisset *Maximilianus*, duobus equitum millibus præfectus, vbi non pauca excelsi animi edidit documenta; vigesimo ætatis anno, Bohæmiæ Rex designatus, in Hispaniam profectus est; vbi *Mariam* primogenitam *Caroli V.* in vxorem duxit, Hispaniarumq; regnis, Soceri vice præfuit. Euocatus postea in inferiorem Germaniam à patre Cæsare *Philippus* princeps, Belgicas prouincias Sacramento fidelitatis sibi obstrinxit. Triennio

VII *Hispanias moderatur.* Hispaniarum Regnis moderandis exacto, cum vxore ac liberis Barcinone Genuam appulit, atque inde per Mediolanum, Tridentum, ac Oenipontum in Austriam reuertitur, à patre monitus quòd *Carolus V.* pro *Philippo* filio, animos Electorum prensare conaretur, vt Imperium in familia firmaret hæreditarium. Intra vnius anni spatium, trium regnorum diademate, Bohemi, Romani, Hungari, secundo ab *Alberto II.* Augusto, felicitatis exemplo, do-

VIII natus est. Die XX. Iulij (qui D. Stephano primo Hungarorum Regi Sacer est) peragi debebat coronatio Hungarica, sed moratus in itinere, die vltima venit Augusti, & obuios habuit equites ter mille, auro fulgentes, duce Comite *Sermo*. Seruant adhuc belligeri populi priscum splendorem, quamuis Ottomanico pressi iugo. Non sine rumore fuere comitia, successione non electione cum vellet *Ferdinandus* filium Regem declarari vi pacti, quod cum *Ladislao* intercesserat, vt Hungarica regali deficiente progenie, Austrij vocarentur. Quod cum violentum, & auro vsurpatum Hungari accusarent pactum ab eo percussum, qui nationis iura violare non poterat, vt de eligendo *Maximiliano* consentiebant, ita de modo eligendi dissentiebant. Comitiorum legem sub Anno 1498. latam de non admittendis extraneis legatis in creatione Regis, quo libera darentur suffragia adducebant; vnde ne in discrimen caderet filij successio, coactus est *Ferdinandus* assentire, vt per libera vota *Maximilianus* sceptrum acciperet.

In coronatione etiam Imperiali patre viuente peracta, peculiare id adnotat *Schardius*, quòd Electores *Palatinus, Saxo & Brandeburgicus* solemni Missæ sacrificio noluerũt assistere, sed in conclaue recesserunt, cum reliquis Principibus Protestantibus, quod antea permissum non legitur; sed regnante *Carolo V.* ex consilio Theologorum suorum *Saxo* non recessit, quasi ciuili non ecclesiasticæ adstaret solemnitati. Imo in alia historia cuiusdam Anonymi legitur, quod etiam sub *Maximiliano II.* sacrum exordiente *Moguntino*, Elector *Palatinus è choro in conclaue se subduxit, licet reliqui duo Electores Saxo, & Brandeburgicus sub sacro illo persisterent, donec cantaretur Alleluia.*

IX *extat in tomo 3. Simonis Schardij p. 83.*

X *Electores Protestãtes non adstant Missæ.*

XI *ibidem.*

Maximiliani coronationis testimonium dant *auspicales nummi*. Quorum primus sub XII *litera A.* de Turcis profligandis spem facit. *Comminuam* (inquit) *vel extinguam semiplenam Turcarum lunulam*, Christo auspice; cuius *lignum salutare* fastigium exornat coronæ meæ.

Alter sub *litera B* votum exhibet Regij Vatis, *psal. 85. Vt misericordia & veritas sibi obuient; Iustitia & pax sese osculentur.* Reliqui sub *litera C* missiles sunt, sparsi in plebem, cum in

Re-


IOVIS SACER
MAXIMILIANVS·D·G·BOHE·REX·
COMMINVAM VEL EXTINGVAM
SIGISMVND, AVGVSTVS·D·G·REX·POLONIAE
FRIDERICVS·II·DANIE·NORVEGIE·VANDALOR·GOTHORVMQVE·REX·1564
FEDELTA E COSA RARA
ER
15 62
FRANCOIS DE LORRAIN
DVRATE
ERICVS REX SVECIAE ET GOTH
DEVS DAT CVI VVLT
HENRICVS MOMMORANTIVS DOM ANVILLENS
FRANCISCVS DVX MOMMORANTII
CORONAT EST IN REGEM ROMANORVM 1562
CAROLVS GALLOR REX CHRISTIANIS
MAIOR ERIT HERCVLE
CAROLVS IX FRANCOR REX CHRISTIANISSIMVS
NVLLIS FRAVS TVTA LATEBRIS

Regem Bohemiæ, & Imperatorem coronaretur.

Tentauit sæpius pius Imperator Christianorum vires in Turcas conuertere, sed ob ciuiles discordias tantum votum euanuit. Per

XIII *Bellum danicum.*

Germaniam Dani dissidebant & Sueci, & septennali bello sese mutuis affecerunt cladibus. *Ericus XIV.* Rex Succiæ præerat. Daniæ *Fridericus II.* Erat is bello fortis, incorrupteque fidei, quam cum inter virtutes amaret veluti Reipublicæ præsidium, milites suos inter cætera adhanc prouocabat, erecto symbolo in monitorio nummo sub titulo *Fedeltà è cosa rara.* Rex verò Succiæ *Ericus* omnia cum iactaret in Deum referre, in *castrensi nummo* erecto inter cœlestes radios *sceptro* sub inscriptione, *Deus dat cui vult*, tempora mutet, & tempestates: regna transferat, & Reges constituat. Vita verò, factisque negaret crudelitatis passim, atque sæuitiæ exemplo relicto, vltionem pati est coactus diuinam, pluribus cladibus sibi illatis à Dano. Per sexennium ad regni gubernacula sedit *Ericus*, carceri tandem traditus, quia insaniе fatigatus, in tyrannidem declinaret, *Iohannem* fratrem successorem habuit, qui ab *Erico* aliquot annis in vinculis detentus fuerat. Sic namque in horum fratrum successione ludebat fortunæ vicissitudo: vt hic vincula prò regno: ille regnum prò vinculis acceperit. Continuabat tamen bellum, donec Sueci cladium frequentia fracti, *Iohanni*, Regi persuasere, pacem inire, quemadmodum legati *Maximiliani* Cæsaris apud vtrumque Regem vrgebant, Nec abnuit; Cæteras inter conditiones & hæc fuit, vt lis *de insignijs trium coronarum*, quas vterque Rex prò suis vindicabat, arbitrio compositorum decidatur. Interea vtrique Regum insignia gestandi trium coronarum maneat facultas.

Friderici symbolū vide sub litera H.

Henrici symbolū sub litera F.

XIV

XV *Gallia dissidia ob religionem.*

Non minori dissidio laborabat Gallia. Mortuo *Francisco II.* (cuius regnum annum fuit,) *Carolus IX.* qui *Henrico* genitus erat, sceptrum tulerat, sed funestum, *Henrico* namque externis bellis occupato. *Berengarij* Rhetoris insepulti errores Celticam peruagari, & pestiferum nequitiæ virus euomere cæperunt. Dein in Aquitaniam transgressi, excitauere *Albiensium* manes prouinciæ illi quondam funestos, queis nomen dedit Albia Cadurcorum antiqua ciuitas ad auriferum Tarnem posita. Peregrinæ religionis rumor plurimos centuriauit asseclas, volentibus Superis Galliam omnem vexari nonmodò Regum morte, verum etiam plusquàm ciuili bello, ut pœnam dissidij, & religionis discordiæ, quam in Germania fouerat, pateretur. Igitur *Carolus* annos natus non amplius decem, ciuilium discordiarum semina, quo die regnum inijt, præsentire visus est, regalem trabeam multo fletu induens, & impositum capiti diadema sine dolore non ferens. Regni exordio toto regno inflammata bella, partium duces habuere *Ludouicum Borbonium*, & *Colignios* tergeminos, *Gasparum Callidum*, *Franciscum Ferocem*, *Othonem Cardinalem*. Hos ex singulis prouincijs secuti sunt magno numero nobiles, ignobilesque, studiosi sectæ illius, quam *Io. Caluinus* per *Theodorum* & alios dogmatis sui præcones in patriam retulerat. *Carolus* verò, cum amorem Dei & Ecclesiæ cum ipso nutricis lacte suxisset, articulatim se priùs concidi, ac comminui passurum dicebat, quàm à recta illa regula Patriæ, ac auitæ religionis abduci. *Patiar*, aiebat *inimicos meos, Dei inimicos non patiar viuere*. Hinc ceruam sibi erexit in symbolo, cuius est, habitu serpentes è caueis, & latebris eruere, atque occidere; annuens nullum *Condæorum*, & *Coligniorum* perfugium satis esse, quo minùs insequeretur, detegeret, & occideret. Habuit *Carolus* duos fidos Heroas *Franciscum*, atque *Henricum Momorantios*, qui ei cum alijs in prælijs, tum eo vel maximè, quod ad Druidum vrbem gestum fuit, nauarunt operam. Patrem *Annam Momorantium* cum iam captum, & aciem Regiam inclinare vidisset *Henricus*, ac *Condæum* Principem auctis in suorum animis, prò victore se gerere animaduertisset, ipse facto cuneo, in peditatum istius irruit, neque ante pugnandi finem fecit, quàm via armis facta, in ipsum inuectus, equo globi ictu vulnerato, Principem cœperit. Non enim dubitauit, quin ex permutatione parens prò eo facilè dimitteretur: quod & factum est. Memoria etiam dignus fuit *Franciscus Aurelianensis* Guisij Dux, cuius præclara in Hugonotas facinora, vitam non minùs quàm mortem illustrarunt. Nummum vide castrensem, in quo *natantes in mari* (symbolum asseclarum Romanæ Ecclesiæ,) *marini canes deuorantur*, hoc est Hugonothæ ab *Ipsa Thethi* vel alia Dea maris trucidantur. Suos versu ita alloquitur, quo socios Æneas:

Caroli IX. symbola vide sub litera K.

Effigiem habes sub litera E.

XVI *Bellum inter Polonos, & Moscos.*

Durate, & vosmet rebus seruate secundis.

Eodem tempore Bellona classicum canebat etiam apud Lituanos. *Iohannes Magnus* Rus-

Russorum princeps legatos *Sigismundi Augusti* Poloniæ Regis de pace missos, dum ingentem conscriberet exercitum, aliquandiù detinuerat: dimissos tandem summa celeritate subsequitur bipartitis copiis: quarum pars duce *Serebernio Smolenco*; pars polosca *Sotskio*, in Poloni ditionem eodem tempore populabunda impetum fecit. Verum *Sotskio* se obyciens Vilnensis Palatinus *Nicolaus Rareulius*, licet numero impar, astu, ac virtute se parem præbuit Erant in exercitu Russorum quadraginta millia, & Tartarorum conductorum triginta millia. Polonus verò vix 15000. hominum armatorum penès se habebat. Locatis tamen inter locorum angustias insidijs, palantes Tartaros trucidauit, vt pauci ferrum, aquam, pestem euaderent. Ex Lituanis vix viginti desiderantur; grandi *Sigismundi* triumpho. Cuius in nummo videre est *Aquilam* rostro tenentem *palmam*, pacis symbolum, inter *belli fulgura*, quibus hosti bellum offert, & pacem; vt alterum eligat.

HISPANA CLADES. 1564.

XVII *Hispani Gerbim capiunt* Philippi Hispaniarum Regis, & *Maximiliani* Cæsaris non tam sanguine, quàm fœdere affinia negocia, quid cum Turcis Hispano contigerit, recensère suadent. Anno ineunte 1564. à Melita insula soluens Hispana classis, Africam appulit, vbi post multa cum Mauris, Arabibusque fœlici gestu certamina gesta, *Gerbis* insulam, quam *Menicen* appellauit antiquitas, voluntaria incolarum deditione occupauit. Euocati Turcæ, classem octuaginta quatuor diuersi generis instructam nauigijs in Africam eduxere. Horum aduentu cognito Hispàni, qui ad muniendum *Gerbin* intenti erant, classem tumultuosè educunt, vt Siciliam repeterent, ne cum Barbaro confligerent: sed statim datis velis, medio mari Turcorum obuiam *à Turcis victi* habuere classem. Viso hoste, territus Hispanus, nec alea pugnæ tentata, fugam arripuit, quem insequutus Turca, clarissimam victoriam reportauit: *Philippi* classe ferè omni sine cœde, & Sanguine, pannico terrore deuicta. Ex septuaginta diuersi generis nauibus, quæ viris, armisque egregiè munitæ erant, viginti duo triremes, & triginta onerariæ naues, in Turcarum potestatem venere; qua clade nil vnquàm fœdiùs Christianis contigit. Turcæ inde in continentem egressi, Hispanos in Gerbi oppido varijs oppugnationibus fatigarunt, cruento tamen certamine. Cum modò, ad mœnia Turcæ subeuntes, è munitionibus cum cœde repellerentur, modò deiectis propugnatoribus, eas penè occuparent. Eruptiones interdum in hostium castra ab Hispanis magno impetu fiebant, qui fame, ac siti tandem victi, vt obsidentium manus effugerent, numero supra mille & quingenti, *Aluaro* Duce, ex oppido eruperunt. Is priusquàm dimicaturus exiret, aduocata concione, Crucifixi Domini signum manu gestans, suos commilitones ita est adhortatus. XVIII *Aluari religio* *Quid vobiscum egerim, strenui milites, vt à fortitn- faucibus immanissimæ feræ vos eximerē, nemi- do nem latet, quem socium habui laboris, & gloriæ. Non deest in bello virtus, sed aqua, qua sitim, & ardorem belli temperemus. Sitis magis vrget; quàm arma, & sine gladio hostis triumphat. Quid itaque inter tot, tantaque discrimina? forsam damnatæ memoriæ socios sequentes aquam libertatis pretio comparabimus? Absit. Sitio gloriam, & honorem. Ferro viam est aperire saluti, & per sanguinem ad aquam peruenire, vt hostili cruore possimus sitim extinguere. Melius est in castris mori, quàm inter catenas perire. Nam in miserabili seruitutis iugo, omnia deficiunt præter aquam.* Hæc pauca affatus, cum hoste manus conserit, primo congressu eum fundit, fugatque in castra. *Draguth* verò infidelium Dux, suos cohortatus, prœlium reparat, funduntur Hispani, *Aluarus* capitur. Tū amisso Duce, deditione facta Turcæ potiuntur oppido, in quod ingressi, fœdam Hispanorum ædidere cædem.

MAXIMILIANI II. IMPERATORIS EXPEDITIO In Transsyluaniam. Ann. 1565.

XIX Vbiquè Turcarum fortuna prospera *Maximilianum* Cœsarem ad comitia vocauit, vt Hungaros proceres consuleret, quomodò à Turcis Pannoniæ consuleret, bello, vel fœdere? Ad bellum excitabat *Nicolaus Serinus* vir militia nulli secundus.

Pacem peiorem bello (aiebat) *quis negat? Cæsar, si per eam in discrimen adducatur libertas. Turcarum soporiferum ea est, qua à lecto ad lethum paulatim nos manuducit. Si iam perire facta volunt, otio bellum præferamus, priusquàm marcescat virtus, imparesque nos reddat, & me-*

& meticulosos, vt solo Turcarum nomine consternati, cedamus vrbibus, vt citius Orbis potiātur imperio, Et similes, qui merces in mare proyciunt, nullo vrgente tempestatis periculo. Bellum Persicum dedit nobis inducias: eo finito in nos irruent. Pausat quamdiu Turca, vt dormientes nos intercipiat. Omnes nunquam aggreditur, diuidit, diuisos iugulat. Quiescit rarò, arma gerens in Christum semper, in Christianos prout se offert occasio. Nobilem putat arborem, vsque dum ad radicem securis perueniat: interim nulla dies sine linea: Vnde à vicino infensissimo, moribus, lege, Deo, diuerso pacem sperare liceat, non video. Vel Turcæ Christo cedant, vel Turcis cedat Christus, opus est, vt possimus vnà coire. Pacem dare nequit, qui bello viuit; nec absq; armis seruare potest, bello quæsita. Gemit Asia, plangit Africa, nec ridet Europa, quòd Barbaros in sinu foueat, quorum iugo trina Imperia, quadraginta tria regna, non minores prouinciæ cogantur blasphemare Deum, & Sanctos eius. Cataclismum hunc sola pax Christianorum diluere valet. Ad Romanum confugiamus Antistitem, qui tot animarum iacturam miseratus, claustra mittat in castra. Si Moyses in Philistinos gerens arma, orabat in monte, reliquis in pugnam emissis: cur & nos Monachorum turmas non diuidimus, vt partim lingua, partim manu pugnent in hostem? Tot otiosæ phalanges, non marcescant inutiles. Respice Hungariam Cæsar vt propugnaculum Austriæ. Ea omissa, patrimonialia amittis. Si Pannones in captiuitatem adducantur, nec liberi Germani supererunt. Viennam longo iam tempore adoritur Turca, tentauit eam Solymannus, & prostituet, si ruere permittatur in amplexum. Viennam immunem cupis, in confinibus protege. Hungarorum Obsidionem ne expectes, nam in Oceano sanguinis, qui Turcis exuberat, etiam montes demerguntur. Obsidione, vel carcere includi idem est. Pacem cole, sed Christianorum, vt Turcis bellum dicas. Exceedunt nos viris, non viribus. Pugnant numero, non virtute. Christianos armant in Christum, qui si prò nobis pugnat pugnabunt in eos. Si nobis semel fortuna arrideat, quis seruus non proyciet vincula, & captiuus non exoluet catenas? Victores nos expectant fratres nostri, nam ante victoriam quid prodest clamor; nisi ad martyrium. Dirumpamus vincula eorum, & proyciamus à nobis iugum ipsorum. Mutatio loci mutatio fortunæ. Aggrediamur, nam in solo alieno Solem habebimus Orientem, quem in proprio toties offendimus Occidentem, Cedit, qui recedit. Amissa Moldauia, in Vallachiam confugimus; qua & omissa, in Hungariam perfugimus. Si hanc cedimus, in Austriam recedere opus est, eademque semita, recto tramite toto Orbe excedere, vt nouas quæramus, ad habitandum sedes.

xx Laudauit *Serinum* Cæsar, non tamen arma laxauit; de bello dubius, maluit inducijs gaudere. Natura pacificus, regna obruta, *Solymanni* audacia, atque fortuna, bellum abhorrere suadebant. Quum *Ioannes Sebusiensis* II. Transsyluaniæ Princeps, Turcarum clientela fretus, expugnato Zatmaro, se Regem Hungariæ dixit, regioque titulo nummum percussit, quem habes *n.24.*

Io. Vaiuodæ perfidia.

xxi Quomodò res se habuerit? scribunt quòd inter pacta federis, quæ *Ferdinandus* Imperator cũ *Solymanno* percusserat Anno Sal. 1560. consenserat quoque *Ioannes Sigismundus Vaiuoda* Transsyluaniæ: quem iam pridem *Solymannus* Regno Hungariæ, iure hæreditario possidendo donarat. Mortuo verò *Ferdinando* solutas ratus inducias, miro silentio ad occupandum Zatmar contendit, oppidum in finibus Pannoniæ situm, quod Cæsar *Melchiori Balasso* propter res præclare gestas dono concesserat. Illud oppidum cum paulò negligentiùs custodiretur, paucaque haberet præsidia, absque cæde *Vaiuoda* repentinè occupauit. Factum excusauit *Ioannes*, quòd *Balassum* perfugam & arcanorum suorum conscium, à *Ferdinando* contra pacis leges receptum diceret. Astu in eo capiendo, hoc vtitur. Magnum armentorum numerum præmittit cum pastoribus, ac bubulcis, quæ ingenti puluere, cum oppidum præteruueherentur, excitato, conspectum præsidiarijs adimerent: ponè sequebantur vndecim delectorum militum signa. Ad repentinam illam nubem *Balaßus* continuò mittit, qui quid esset? viderent, cum illi armenta se tantum vidisse renunciarent, habita fide præsidiarij securi quieuerunt, donec præteruectis armentis cum aer adhuc obscurus esset, delecti antequàm videri, ac præueniri possent, impetum vndique faciunt, ac præsidiarios exiguo negotio, & ipsum *Balassum* cum vxore, liberis, ac thesauris capiunt. Valdè insolens fuit *Maximiliano* de capto Zatmaro nuncius, quod *Ioannes* tot beneficijs affectus, patrocinio non leui apud *Ferdinandum* parentem semper à se commendatus, & sæpè excusatus, hanc patrono gratiam referret. Imparatum

cre-

credebat *Ioannes* habere Cœsarem funere patris *Ferdinandi* adhuc implicitum, & in componendis imperij negotijs occupatum. Non inermem tamen inuenit; nam vocatis comitiis, *Lazarum Svvendium* Nobilem Sueuum (quem postea Imperator ob merita in Remp.



Baronem *Altæ Landisbergæ* fecit) consilio, vigilantia, fortitudine, celeritate, & disciplina militari inclytum ei Cœsar obiecit: & quò minùs is de nondùm visis regionibus, nec de insuetis sibi Hungaris dubitaret, addit *Andream Bathoreum*, *Melchiorem Balassum*, *Gabrielem Perennium*, gnaros, & diù versatos. Exercitum incunctanter *Lazarus* Germanum in Scepusiensem agrum deducit, augetur is Hungarorum non mediocri numero, è præsidiis euocato. Et quia *Tokaij* arx natura, arte & in Transsyluaniam aditu comodo, firmissima potissimùm obijciebatur, brumæque vis celeritatem vrgebat: neglectis in itinere leuioribus oppidis, pridie Kal. Febr. 1565. Tokaiū mouet: eodemque die Guntzium peruenit: posterò reficere corpora iubet: tertio iter progreditur: quarto agrum populatur, oppidulum *Kerestur* propè arcem occupat. Indè Vallo, aggere, milite vrbem circundat, tormentis quatit, oppidanos ita fatigat, vt *Nemethio* præfecto sclopeti ictu sublato, deditionem ea conditione facerent, vt numero CCCL. solo gladio acincti, ac sacramenti religione obstricti, ne aduersùs Cœsarem stipendia acciperent, recedere permitterentur. Post Tochaium, Zatmarum etiam, Zerencium, Erdeudam, Kuraram, Bathoram, VVibaniam, Senderauiam, aliaque insignia loca prospero victoriæ cursu expugnauit, & *Maximiliani* II. subiecit imperio. Vide nummum castrensem à *Lazaro* cusum rebus in Turcas præclarè gestis. Symbolo illo numismatico virtus quid possit, infractusque viri fortis animus declarat. Haud secus enim atque Ætna mons Siciliæ, ignem suum, fauillasque longè, latèque proijcit, nec tamen eiaculatione eiusmodi assidua consumitur: sic virtus bellica, & lucet in tenebris; & rebus in aduersis illæsa perdurat: non naufragio, non incendio amittitur: non temporum permutatione mutatur: ægrescere potest, emori non potest.

XXIII *Nummus Lazari Schvvendij.*

XXIV *Melita à Turcis obsessa.*

Melitam insulam tunc temporis *Solymannus* ducentarum, & quinquaginta nauium classe oppugnabat, propterea tardiùs auxilia Transsyluano suppeditabat. Melitæ præerat *Ioannes Valletta* Gallus, summus ordinis Magister, qui

de

de futura obſidione certior factus, omnia ad defenſionem neceſſaria præparauerat. Erant in tutelam Inſulæ propugnacula tria, ſitu, & arte munitiſſima. Caſtrum S. Angeli, Arx S. Michaelis, & S. Elmi. Munitionem S. Elmi Turcę primo omnium oppugnant, tandem expugnant. Poſt, arcem S. Michaelis, 10 bombardis concutiunt; & muri magna parte deiecta, irrumpere tentant, ſed ſtrenuè propulſantur. Trina impreſſione victoriam extorquere conati ſunt, ſemper, pluribus ſuorum deſideratis, repulſi. Interea *Garcia Toletanus* Siciliæ Pro-Rex cum 72. triremibus appellit, & milite in terram expoſito, in Siciliam copioſiorem exercitum adducturus(ſi opus foret)nauigat. Turcæ certiores facti appuliſſe ſubſidia, vaſa colligunt, tormentiſque & manubijs in naues delatis, fugam arripiunt. Cum rurſus circiter eorum 10000. chriſtiana inuaſuri caſtra, terga dare & triremes ſuas repetere coguntur, magna ſuorum iactura facta. Soluitur tandem obſidio XII Septemb. Turcarum prœlio, morbo, alijſque incomodis interfectorum numerus fuit circiter 36000. Chriſtianorum non pauci. Rhodiorum militum 313. deſiderati. Hiſtoriam tribus ſymbolis videre eſt expreſ-
XXV *Vide nũmos triũphales n. 24.*
ſam, *n.* 24. In vno ſtat caput *Ioannis præcurſoris* in diſco, qui propter veritatem & iuſtitiam carnifici ceruicem præcidendam præbuit. Huius gerens nomen *Valetta*, non in fortitudine ſua cornua ſumens dux ſtrenuus, neq; in curribus confidens, & equis; ſed in dextera Domini, quæ facit virtutem, *Deo Iuuante* inſulam, fidei ſuæ commiſſam defendit. Partam victoriam non ſuis viribus, ſed Diuino acceptam ferens auxilio, pulſis Turcis carmine canit illo quo mulieres Dauidem exceperunt à cœde *Goliathi* reducem: *Proſtrauit Saul mille: Dauid decem millia*.

XXVI Ingratiſſimus fuit *Solymanno* tantæ cladis nuncius, literas cum accepiſſet, lectas diſcerpſit; furore accenſus inſanuit. Aſpectum eius declinabant aulici, terrore perculſi. Chriſticolæ domibus clauſi, non ægrediebantur in forum, ne caderent, & rabiem barbarorum accenderent. Remeauerat claſſis, ſed noctu Byzantium appulit, Rege iubente, ne plebs claſ-
legatione Trãſſyluanus mulcet Maximilianum.
ſem conſpiciens laceratam, votum Principis inſimularet. Noua ideo expeditione decreuit vindicare damnũ, & exoranti accurrere Trãſſyluano Io. Sebuſienſi. Is *Stefanum Batoreum* ad Cœſarem *Maximilianum II.* legauerat vt ſimulatione pacis inducias quæreret, vſquè dum *Solymannus* Melitenſi expeditione ſolutus, accurreret. Decretis itaque in *Maximilianum* armis, octogenarius *Solymannus* voluit
XXVII *Solimannus mouet in Maximilianum.*
ipſe deſcendere. *Selinum* inuitauit filium, vt ſecum pergeret, ſed is vino, Veneri, Cæreri indulgens, maluit in ocio marceſcere, non ſine patris ſuſpicione, quòd in patrem moliretur filius, & ante diem inquireret patrios in annos. Inuitati milites fidem frangere datã *Maximiliano*, nefas credidere. Hos vt placaret *Mufti* iubilæũ indixit, quo culpam omnem remittebat ijs, qui in ea expeditione Regem ſequerentur. *Maximilianus* verò cum in proprijs viribus non ſatis præſidij ſibi repoſitum eſſe videret aduerſùs *Solymanni* copias, qui cum quingentis millibus armatorum in itinere eſſe dicebatur, comitia indixit Auguſtam totius Germaniæ in menſem Decembrem. Congregatis Principibus, imminentis belli proponit magnitudinem, auxilia petit, quæ ei liberaliter ad certum tempus decreta. Tanti Turcarum exercitus fama complures exciti reguli ac proceres, ex diuerſis orbis partibus vltro nomina dedere Cœſari. Inter quos *Federicus* comes XXVIII
Cameranus cum quadringentis equitibus ſclopetarijs ægregiè inſtructis à Sabaudo miſſus fuit. Venere etiam *Adrianus Paleonus* vir militari laude inſignis, vnà & *Alphonſus Caſtaldus* cum ſuis copijs. Venere à *Coſmo* Florentino Duce auxiliares copiæ: ex Gallis *Henricus Guiſius* adhuc puer cum delecta Gallicæ iuuentutis manu. Ex Britannica nobilitate *Thomas Schmithus*, *Guilhelmus Georgius*, *Henricus Cambernonus*. *Albertus Laſcus* è Sarmatia. Ad
XXIX symbola.
tantam expeditionem, vt iuuentutis animos excitarent, plura ſymbola excogitarunt. Extãt duo *Maximiliani II.* Cœſaris: Primum eſt *Aquila Mundo inſidens cancellato*(quod iudicium eſt difficultatis regnandi) *mordicus anguem roſtro tenens*, quo annuit, *Imperatorem omnia & præterita & præſentia, & futura Deo permittere, cum inſcriptione, Dominus prouidebit*. Hæc anguis licet non in ſpiram actus, notat: vt ſcribit *Typottus*. Aliud eſt *Aquila inſidens globo terreſtri, ætate grauis*. Hæc exhibet Imperatorem mole rerum grauem, nec leuem ætate, in Deo, conditore huius Machinæ, totum acquieſcere. *Tenia* autem circumfuſa ſine notis, notat Imperatori, & non cuiuis nota conſilia. Alter eſt *Ferdinandi* Archiducis Auſtriæ, qui fratri validam equitum turmam cum inſigni nobilita-

te

te suis stipendijs in auxilium adduxit; totum tamen Præpotentis Dei voluntati committens. *Iona est in symbolo extens è grandis Balenæ faucibus, quem penitùs deglutiuerat,* sub lemmate, *Vincit potentia Fati.*

Alter est *Federici Asinarij Camerani*, Cæsa-



ris castra sequentis. Cuius in nummo *Diana est, sub auroram cum canibus venatum extens, diei ac lucis symbolum:* vnde *Lucifera* à veteribus dicta. *Nox etiam est per Plutonem, qui Proserpinam rapit, significata: nec non per Lunam cum stellis.* His innuere volens, situm esse in mortalium arbitrio vel factis inclarescere; vel inertia sepeliri; sub inscriptione, *Par vbique potestas.*

xxx *Zigeti obsidio.* Adrinopoli ægressus *Solimannus*, Belgradum veniens, obuium habuit Transsyluaniæ principem, *cuius gratia se venisse* dixit qui oppidò pro se venerat, vt Pannones vinciret, si posset. Et quia Zigetum eo tempore fortissimum Christianorum contra Turcas propugnaculum erat, eò mouit cum centum tormentis. Inter duo flumina situm est *Zigetum*, quæ ad modum insulę ciuitatem circumfluunt paludibus circumdatam. Ciuitatem geminam veterem, & nouam turres circundant, propugnacula muniunt, fossa gemina allabitur. Custodia *Nicolao Serino*, qui militari disciplina vel pares non habuit, nec superiorem inuenit, commissa fuit. Ad Iaurinum Cæsar castra tenebat, equitum triginta millibus, peditum sexaginta millibus instructa. Oppido appropinquanti *Solimanno*, collecto *Serinus* præsidio ita alloquitur. *Causam Dei, ò milites, fert secum tyrannus, & diaboli carnifex. Sed dum in Deum tuba Othomanica clangit, pro Deo resonet bucina Germana. Tutelam hanc qui mecum subire desiderat, morti, opus est, immortalem præferat gloriam. Melius est mori, quàm cineribus patriæ superuiuere. Videant Turcæ nos non ita vitæ alligatos, vt obliuiscamur gloriam, vel famam. Dura erit obsidio, sed gloriosa: crudelis, sed famosa. En Ducem in laboribus socium. Agrediar primus, regrediar nouissimus. Hoc vnum rogo, si fortè mors mihi contingat, nepoti meo præbeatis obsequium.* His dictis Malam crucem iuxta statiua erigi iussit, vt malè parentes puniret. Eodem die vnius pœna omnibus timorem incussit. Ter mille habuit in præsidio. Turcæ interim erectis trinis aggeribus, centum bombardis diù, noctuque muros quatiebant. Mensem durauit obsidio; necnon adhuc *Solymannus* de victoria securus, sagitta epistolam proiecit in arcem, qua auro, & ambitu *Serinum* expugnare tentauit, cum arcem haud posset. Croatiæ principatum offerebat, si arcem traderet. *Serinus* verò legit, & risit; dicens, *non inutilem papyrum fore, ad onerandum sclopetum.* Arte itaque difisus *Solymannus*, milites vocauit iratus. Hos decinare minatus, ni protinùs arcem expugnarent. Verba hæc dum proferret, adeo excanduit, vt ingrauescente ætate, apoplexia correptus, eadem nocte diem obijt extremum. ProRex verò *Miemethus*, ne mors innotesceret, Hebræum medicum laqueo finiri mandauit:

xxxi *Serinus à Solymanno tentatur.*

xxxii *Solymanni mors.*

uit: timens ne dilaberentur milites. Sic non minori constantia, repetita aggressione, malo Christianorum omine accenso fortè pyrio puluere, cibaria omnia quæ erant in arce periere. Cæcidit tunc valor, si non fama, fame victus. Decem & septem supra ducentos tantumodò supererant præsidiarij, ex ter milli-
xxxiii bus, qui cum *Serino* arcem fuerant ingressi. Iam de clementia desperabat tyranni, quia tam fortiter obstitisset. Hinc ad milites, *Quid forsan arma victricia conspurcabo, ad pedes Turcarum proyciendo? Gloriosum exordium finis consequatur non obscurus. Vitam, quæ aliena est, ne inquinemus, eam ab hoste rogando. Nequit fidem seruare infidelis. Melius est vt Leones cadere, pugnando: quam vt iumenta fugiendo. Moriamur stantes, & postquàm Martes viximus, moriamur martyres.* (*Factum heroicum Serini.*) Tanto duce excitati milites, responderunt decorum non esse, tot amissis socijs superuiuere: quibus neque fortitudine, neque gloria cederent. Sociorum itaque manibus, Honori, Fidei malle litare sanguinem. Tunc eos amplexatus *Serinus*, pretiosa promi iussit vestimenta, eaque prò lorica induit: galeæ item loco galerum sumpsit ex villoso serico, pala, in quà magni pretij adamas inclusus erat; ex qua pennarum ardeatinarum fasciculus cristæ instar assurgebat, insignis. Gladios præterea quatuor ex armamentario produci imperauit, quorum vnius acie tentata, eum sibi delegit, reliquos inter amicos distribuit; hæc arma sufficere ei dictitans, qui expeditius pugnare, quàm diutiùs cum morte certa luctari mallet: tum claues à cubiculario allatas in tunicam interiorem insui mandauit, & vnà 100 aureos, eius qui se interfecto potitus esset, præmium: & ita ducibus, & militibus, omnibus in aciem instructis, post nomen *Iesu* ter inclamatum, portis arcis apertis, stricto gladio ante suos intrepidè exiuit, ac generosissimè inter confertissimos hostes pugnando in ipsa porta vitam amisit. Caput à Turcis (quorum ad XXX millia desiderata fuere) amputatum, spectaculi causa circumgestatum, tandemque ad *Maximilianum* Imper. missum est (ad cuius patrem *Ferdinandum* idem *Serinius* caput *Catzianeri* à se obtruncati serico inuolutum attulerat).
xxxiv Castra habebat tunc *Maximilianus* ad Iaurinum, vbi vsque ad hyemem commoratus non solum Hungariæ, sed etiam totius Christianæ Reipublicæ propugnacula contra hostiles incursiones iuuenili ferocia tutatus est. Potuisset cum *Solymanno* aleam belli subire, sed dispari numero, & grandi Christianorum discrimine, quid enim, si victor *Solymannus* superesset, de Christiana Republ.?

Traiecerat eodem tempore *Ioannes Transsyluanus* Tibiscum fluuium, & cum Pannoni- xxxv
bus, ac Scythis populabundus in agrum excurrebat Austriacum. *Carolus* verò Archidux Austriæ triginta armatorum millia cum collegisset, in hostem irrumpẽs, incursionibus vexabat duceq; *Florellio Turrio*, copiarum parte in Illyricum immissa, prædas agit. Bosnæ præfectus incursionibus cognitis, collecto milite Sauum traycit. *Carolus* verò oppugnatione Argiruti relicta, in hostem irruit, in fugam vertit, captoque duce, ferè omnes Turcas ferro sustulit. (*Caroli Austrij victoria in Turcas.*) *Bannus* etiam altera copiarum parte, cum ad oppidum Solonem accessisset, quatuor Turcarum millia obuia habuit, cum quibus commisso prœlio, trucidauit, fugauit, cæpit. Victoriarum inde cursum prosequutus ducibus *Turri Georgio*, & *Turriferreo* fortunam semper habuit amicam: quam castrensi nummo (quem videre est *num. 29.*) sculpi fecit sub lemmate *Audaces fortuna iuuat*, quòd id genus hominibus quasi faueat: infensa ijs, qui nihil audent experiri: sed veluti cochleæ perpetuò latent intra testas. (*nummũ vide n. 29.*)

Interim Octobri exeunte, Viennam reuerti- xxxvi
tur *Maximil.* relicto cum copijs in Pannonia *Lazaro Suendio*. Licet enim Turcæ discessissent, *Transsyluanus*, (ad cuius auxilium *Pertauus Bassa* cum magnis Turcarum, VValachorum, Tartarorumque copijs erat relictus) *Tocaium* anno superiore sibi ereptum acri obsidione premebat, sed eam soluere coactus est, ob periculum Transsyluaniæ, quam Tartari, Turcæ, VValachi auxiliares populabantur. (*Suendij victoriæ.*) Hos dum Transsyluanus eijcere conatur, *Suendij* virtute, Zatuarum A.C. 1567. Mense Ianuario, & sequenti Februario Muncazium, arces in Transsyluaniæ finibus munitissimæ, expugnatæ sunt. (*Anno 1567. pax cũ Turcis.*) Quo facto nec parum *Maximiliani* finibus dilatatis, tandem anno exeunte 1568. pax Octonnalis inter *Maximilianum* & *Selimum* constituta est, qua etiam Transsyluanus comprehendebatur. Inter pacta hoc præcipuum, *vt quisque quod bello cæpisset, retineret.*

XXVII CVm *Maximilianus* A.S.1566. prima imperij ſui comitia Auguſtæ Vindelicorum celebraret, *VVillhelmum Grumbachium* cum ſocijs iam antea à Cæſare proſcriptum, noua proſcriptione omnium Imperij Ordinum conſenſu aggrauauit. Erat *Grumbachius* è nobili Orientalis Franciæ ſtirpe natus, ſed à vera animi nobilitate alienus, factioſis deditus erat conſilijs. Vaſallus erat Antiſtitis VVurceburgenſis *Melchioris Zobellij*. Hic offenſus



Grumbachio cum ob alias cauſas, tum quòd Alberto Brandeburgico militaſſet, factumque colore, neſcio quo, palliare conaretur, Feudo eum priuat. Intercedit exiguum temporis interuallum, quo *Zobelius*, ex vrbe Herbipoli in arcem, per Mæni pontem, aſcenſurus, aliquot ſclopetorum ictibus inſidiosè necatur: magna *Grumbachium* ſuſpicione premente, quaſi is cædis hujus author caputque fuiſſet. Reus ſcripto ſeſe purgat, injurias prætendens, quibus ab Epiſcopo afficiatur: magnam ſimul ex ordine Equeſtri ſibi manum comparat, ad rem bello etiam, ſi opus foret, decernendam. Quin ad præſidium nobilitatis adiungit patrocinium Principum, gratia, authoritate, affinitatibus potentium: præferens cæteris Ducem Saxoniæ *Iohannem Fridericum Secundum*: quem penes, cauſæ meritis in immenſum exaggeratis, eò facilius ſeſe inſinuat, quo facilius illuſtres perſonæ ex animi ſui candore, æſtimare alios conſueuerunt.

Nactus Patronum tantum, maiora tentat: congregatis ſocijs circiter octingentis VVurtzburgum, noctu effractis portis, adoritur, capit, diripit. Imperator *Ferdinandus* atrocitate facti grauiter offenſus mandat: vt in iudicio Camerali non tam violatæ fidei erga Dominum Feudi inſidiosè circumventum, ſed & fractæ pacis publicæ reus agatur. Moritur interea *Ferdinandus*: ſuccedit Filius *Maximilianus*: à quo, flagitante executionem Antiſtite Herbipolitano, proſcribitur *Grumbachius* vice altera cum ſocijs, & eorum receptatoribus. Duci *Auguſto* Electori Saxoniæ demandatur ab Imperatore, & cæteris ordinibus decreta in proſcriptos, ni pareant, executio: cunctantem & bellum hocce toto animo auerſantem impellere Imperator ac vrgere non deſinit, vt obſidio-

ſidionem Gothæ acceleret. Hoc publici magis quam priuati periculi reſpectu Elector, quod imperij authoritatem detrectare non liceret, Gotham proſcriptorum receptaculum obſidet: deditionem fieri flagitat: denegata, arctius obſeſſos includit: impedita ſtipendiorum ſolutione: commeatu deficiente, occiſo præcipuo Capitaneo vrbano miles conductus cum plebecula, quæ in vrbem defenſionis cauſa contracta erat, fremere ac tumultuari incipit: fit concurſus ad arcem: portæ vi recluduntur: Comprehenditur factionis Princeps *Grumbachius* cum complicibus Doctore *Christiano Bruckio* Cancellario: *Brandenſteinio* tribuno militum, & *Iohanne Beiero*, quondam Electoris Quæſtore. Vrbem & arcem ingreditur Elector 13. Apr. cum legatis Imperatoris: cuſtodiæ Principi ponuntur, qui ſe tradit in manus & poteſtatem Cæſaris. Deditione legatis facta, coniurati tormentis ſubijciuntur: ſententia in capita eorum promulgatur: pari cum *Grumbachio* ſupplicio afficitur Cancellarius, diſſectione corporum in partes quatuor. *Stenius* capite truncatur: truncus quadrifariam ſcinditur: gladio itidem ſubijcitur *Brandenſteinius*, *Beierus* ſuſpenditur. Plectitur & capite *David Baumgartnerus* ſeditionis reus: laqueo punitur puer magus His peractis diuiduntur machinæ bellicæ centum ſexaginta:octo grandiores Cæſari dono mittuntur: exercitus omnis dimittitur: Arx Grimmenſtein longè elegantiſſima ac munitiſſima diruitur ac ſolo æquatur. Hic fuit tragicus eorum exitus, qui conſilia de mutando Reipublicæ ſtatu tractaſſe dicebantur. Sumptus huius belli ad 53630 florenorũ Principes Imperij *Auguſto* Electori reſtituerunt.

TVMVLTVS BELGICI. Ann. 1567.

Ex Famiano Strada; Thuano, &c.

xxviii Habet ſemper Auſtriaca Domus Spartam, quam ornet. Turcæ in Germania, Hæretici in Belgio eodem tempore fatigabant Cæſarem, & *Philippum* Hiſpaniarum Regem atrociſſimo illo bello, quod totam Europam implicauit, quaſi vno in Belgio de Europæ imperio dimicaretur. Vnde verò paucis Belgarum prouincijs ea confidentia, ac vires tantæ, quibus potentiſſimo cum Rege, ſexaginta iam annos, terra, marique ex æquo decertauerint; & ad Batauiæ oram, è piſcatorijs nauigijs noua repentè Reſpublica extulerit caput, quæ terra, marique non minorem ſe Regibus pati velit, recenſere iniucundum non erit. Vnde Belgici agri, inter armorum aſſiduas tempeſtates, tãta gignendis frugibus vbertas, alendoque bello non loci minus, quam hominum pertinacia? vt hic non iam peregrinus Mars, ſed ſtatarius armorum fixerit ſedem. Fuere, qui inter Hiſpanorum arcana, dixerint *Philippum* hic bella fouere, vt Martis ſcholam apertam haberet, vbi milites exerceret (quos veluti *Ianizeros* ſuos Othomanus Imperator) aliò expediret ad totius Orbis imperium: Quaſi in eodem ludo Soli Hiſpani, non hoſtes erudirentur: quorũ tamẽ arma hebeſcere otio, quàm labore ſplendeſcere, foret vtilius. Temporum alij non hominum hæc dixere vitia. Recurrunt inter Romanos annales *Arminius*, *Segeſtes*, *Maroboduus* Belgarum turbines: cum ſpe libertatis excitati populi in Cæſarem conſpirarunt, non ſine longo Romanæ gloriæ diſcrimine. Vſque adeo in rebus humanis ſæcula, ac perſonæ intereunt: cauſæ, & euenta eadem recurrunt.

Plurimi cum Belgarum ambirent regimen; xxxix in oculis omnium prælucebant Comes *Egmondanus*, clarus militari ſcientia princeps; cui non exiguam ſanè partem victoriæ ad S. Quintinùm, & ad Grauelingam deberi Rex palam profeſſus erat; & *Orangius*, qui ob claritatem *Naſſauiæ* domus, nullum in Belgio ſuſtinebat parem. Verum huic, religionis fraudatæ ſuſpicio, quòd Lutherana hæreſi implicitus, liberum Proteſtantibus in Belgium aperiret iter: illi, memoria infauſta *Caroli Egmontij* Geldriæ Ducis, hoſtiſque infenſiſſimi Domus Auſtriacæ, regimen eripuit: & *Margareta* prima. *Caroli V.* proles, vidua *Alexandri Medicei*, nunc *Octauij Parmenſis* vxor per Belgium Gubernatrix eligitur. Mulier ingenij prompti, miræ dexteritatis, non fucatæ religionis, ac ciuilis politiæ ſupra fœminam; Belgis chara ob memoriam Patris, cui ſatisfacere credidit *Philippus* à quo ſibi fuerat in morte commendata. Dedit ei à ſecretis *Granuellanum* Attrebatenſem Antiſtitem, *Carolum* comitem *Barlamontium* ac *Vigilium* priuati conſilij præſidem, cum quibus longè à ſenatu arcana conferret, inter quos ſine pompa, ſed maiori fructu, nec numero, ſed virtute veritas præualeret. His ita conſtitutis, *Philippus* de veteri Religione aduersùs nouatores multa diſſeruit, cuſtodiam commen-

Margareta Gubernatrix Belgij.

Conſilii ſecretũ.

mendauit,& abijt,nec sine incomodo. Namque vt *Carolo* pace ad coronam imperij capessendam profecto in Germaniam, Hispani rebellarunt;ita Belgæ,digresso *Philippo* discordijs agitati,tandem à Principe desciuere. Rebellionis non vna causa. Libertatem primò numerant,quæ si imminuta motus excitat. Pluribus priuilegijs Belgium donauerant Principes,quibus si non tota libertate fruerentur populi, nec seruitute videbantur grauari. *Brabantini* præcipue, in quorum prouinciam vicinæ se transferebant pariturae mulieres, vt Brabantinas immunitates filijs eo solo genitis acquirerent.Hinc malorum origo: quia Hispanus miles contra immunitates Belgicas tamdiù deti-
xli *grauamina Belgarum* neretur in Belgio. Gallico namque absoluto bello, tria millia Hispanorum sub ducibus *Orangio*, & *Egmondano* detinebâtur in Belgio, inani spetie honoris, reuera ad imminuendam inuidiam externæ militiæ, gratiosis Ducum nominibus apud suos. Sed hi potiùs molestiam augebant, Belgas stimulantes, vt Hispanorum reliquias non sustinerent. Vel quòd in turbido
de milite Hispano *Orangius* piscari præsumeret; vel quod in ambitu gubernationis repulsam passus, vindictam quæreret. Tantus conatus non potuit Regi non esse suspectus. Et quanto Belgæ ardentius, ac contumaciùs missionem externæ petebant militiæ, tanto segnius Rex, atque cautiùs agendum putabat. Alia causa concitauit Belgas. Numerus fuit auctus Episcoporum. Quatuor cum essent, quatuordecim adiuncti sunt. Quorum dos ex monasterijs inita; vt morientibus Abbatibus, in eorum locum sufficerentur Episcopi, qui prouentus, & iura perciperent, nihil tamen de cœnobiorum cultu innouatum. Et hoc non sine indignatione veterum, & no-
xlii *De numero aucto Episcoporum* uorum Antistitum. Querebantur illi de turbata Iurisdictione; hi de angustijs iurisdictionis, & tenuitate redditsuum.Nobiles etiam indignè ferebant nouos Antistites, quorum suffragijs videbatur imminuta comitiorum libertas;cum in locum Abbatum substituerentur Episcopi, longè potentiores. Acrior erat Monachorum querimonia, quia iniquum videretur, penès Episcopos transferri prouentus, & honores, Monachis onere,& sola solitudine relicta, non leui fidei damno, quia regulæ monasticæ ignari Episcopi monachis præsiderent; & ab aula traherentur ad aram ascentatores,milites; cum antea nonnisi literis,ac vitæ sanctitate viri eligerentur,ab eis, quibus ab ineunte ætate mores eligendorum innotescebant. Hinc imminuta querebantur priuilegia eo maiori detrimento, quòd inconsultis Belgarum Ordinibus, Rex quatuordecim Episcopos nouiter excogitasset. Nouissima tandem, & potissima turbarum causa fuit Tribunal Inquisitionis, insitatum Belgis; cuius noua iudicij facies plus terroris in Germaniam attulerat,quà obseruantiæ. Impe- xliii
ratum hoc fuerat à *Carolo V.*, & *Philippo* filio *Inquisitionis*
nec bis;sed ingruentibus bellis, frustranea fue- *tribunal*
re mandata.Pace tandem constituta, *Margare-* *Belgis o-*
tæ iniunxit, Patris renouare edicta;quæ cum in *diosum.*
eam curam intenderet, populos ita pertinaces offendit, vt mussitare priùs, dissentire postea, apertè tandem negare non erubuerint ei acquiescere religioni, quæ non suaderetur, sed gladio imperaretur. Hisce rumoribus minime territa,tẽtauit supplicijs nouatores disperdere, sed in cassum. Nam post preces, vi aperta irrumpentes hæretici,ipso in foro concionabantur, catholicam fidem oppugnantes, nec manus continentes à templis,& aris;nullo quidem duce, summa tamen licentia, quæ in spetiem libertatis, Deum hominesque spernebat. His videbatur fauere nobilitas,in Regem indignata,quòd neminem non Hispanum agnosceret. Infortunij sui *Granuellanum* accusabat auctorem,penès quem regimen Belgij erat,Regentis nomen penès *Margaretam*. Hinc apud Regem literis,apud Gubernatricem querelis ceu superbum,ac nobilitati infestum fatigabant. Zelus *Granuellani* augebat querelas, quia propè solus toto in Belgio religionem videretur vrgere Catholicam. Populus vt plurimum à nobilitate discors, nunc consentiebat, & nobiles prensabat veluti suæ libertatis vindices. Hi vel Germanarum vxorum contubernio corrupti; vel decoris patrimonijs, rem domesticam augere seditione sperarent, incendium promouebant,non extinguebant. Inter tot rerum apparatus, solus Dux aberat, vel aderat,sed occultus
Orangius. Exasperatus ob sibi præpositam xliv *Orangius*
Margaretam,socios quærebat, & occasionem, *Dux hæ-*
vt vel negato Deo imperaret. Caluiniana labe *reticorũ.*
pollutus,odium fouebat non minùs in Regem, quàm in Episcopos. Ingratum dicebat *Philippum*,cui cum *Orangij* gladius tot regna dedisset,ille *Orangium* vno torque alligasset. Episcopos veluti carnifices animarum, & expilatores bonorum odio habebat, & victimam decreuerat, quandocumque imperaret. Dignus itaque schismatico milite dux, & hæretico Duce di-

Belgarũ postulatio dignus miles,facilè conuenère. Prima itaque
postulatio repetita, vt milites peregrini mitterentur è prouincia. Coacta annuit *Margareta*,
quum repentinis admonita Regis literis, *ne Hispanos è præsidijs amouèret,sed cunctando,noua mandata expectaret*, iussit inter Zelandos
subsistere. Sed hi militum insolentia irritati,
decreuerunt,in aggeribus,quos Oceanum contra sustollunt in littore, operam exinde nullam
ponere,quamuis supercrescerent aquæ; libenter passuri(aiebant ipsi)mare potiùs superfundi
aduersùs terrarum ereptores. Curauit Gubernatrix animos placare efferratos, sed inter arcana nec *Granuellanus* remedium adinuenit.
Missis itaque Hispanis, lætitiæ gemina signa
dedere Belgæ.ob Cardinalitia purpura redimitũ *Granuellanum*, & *Orangij* nuptias cum *Anna* filia *Mauritij* Saxoniæ Ducis. Non probauit *Margareta* coniugium cum puella in aula
xlv *nuptiæ Orangij cum Lutherana* nata *Lutheri*. Verùm asserente *Orangio* sibi abundè prouisum,actumque cum *Augusto Annæ*
tutore,*non ducendam à se puellam, nisi catholicè victuram*,quieuit *Margareta*. Cuius tamen
promissi fidem tam impleuit ipse, quàm ipsi
fidem coniugalis pudicitiæ seruauit vxor,quam
post annos tredecim adulterij conuictam domum remisit; ducta *Carlota Borbonia* Ducis,
Mompenserij filia.

xlvi *Tornaci ac Valencena tumultus.* Primi inter Belgas, qui religionem exuerint, *Tornacum* fuere,ac *Valencena*, vbi Caluiniani nocturnam Gallica lingua concinentes
psalmodiam, turbas excitarunt & plausum, diuerso tamen euentu. Nam Tornaci subita animaduersione, traducto ad omnes metu, res
composita est. Valencenæ verò cunctatione
atque incuria, turbulentis hominibus spatio
dato,seditio creuit in peius. Septem iam menses attinebantur Valencensi carcere noui concionatores;admonitusque à *Margareta* præfectus causam cognoscere,respondit: *non esse sui muneris; neque ingenij sui plectendis hæreticis operam dare*. Ipsa verò accusato Magistratus
metu, seriò monuit, ne vltra cunctando morbum efficeret insanabilem. Quamobrem rei
igni addicti:Supplicium verò dilatum ad diem
Lunæ,qua Lanarij (petulans hominum genus)
& tunc in religione suspecti, miscendisque turbis assueti,ex consuetudine abessent. Cum mos
illi esset ad vesperam Sabbathi in agros prodire,nec ante diem Lunæ in orbem reuerti: partim vt cum vxoribus feriarentur in proximis
pagis:partim ne obseruarentur, si festo die ad
rem Diuinam cum catholicis non conuenirent.Lunæ itaque die,cum albescente luce producuntur damnati, en multitudinis accursu
impletur locus,quæ forsam parata, & præmonita expectabat. Nam vocem attollente vno ex
damnatis, *Pater Æterne*, protinùs impetu facto,ac refracto septo supplicij, cogitur Magistratus in carcerem reos retrahere. Seditiosi
verò Dauidica canentes carmina, ouantes Caluinianum psaltrium extollentes in altum, iubent de religione verba facere.Tunc siue concionantis impulsu, siue complurium accessu
reintegratur seditio. Supra duo millia hominum erant, effringunt carcerem, reos extrahunt,& ni ei libertas religionis promitatur incolumis,peiora minantur. Immissis tandem à
Margareta phalangibus, sumpta de turbatoribus pœna, seditio licet tardius, nec sine periculo componitur.

Interea Nobilium querelæ, præcipuè *Orangij*, & Ogmontij in *Granuellanum* adeo intu- xlvii
inuerant,vt post legationes Romam, atque in
Hispaniam adornatas, vt in eum Regem, &
Pontificem concitarent, cum re infecta redirent, perinde quasi eorum postulata negligerētur,anno ineunte 1564. ab aula omnes discesserunt præter *Egmontium*, qui Gubernatrici
affirmauit, eos non ante redituros, quàm inde *Granuellanus reuocatur.*
abiret *Granuellanus*,cum quo nec ijsdem mœnibus circumscribi vellent.His cognitis *Philippus* etiam *Granuellanum* reuocauit,vt radicem
omnem incideret tumultus.Inde *Margareta* vt
Egmontij & *Orangij* conspirationem diuideret,curauit ab Hispania eisdem stipendia mitti
dispari numero, vt eos æmulatio seiungeret.
Legationem adiunxit *Egmontio* impositam ad *Egmontius legatus ad Philippum.*
Philippum,vt vel locorum distantia perfidæ societatis funiculum rumperet. Excepit eum *Philippus* Anno 1565. die 15. Martij perhumani
ter,vti decebat virum primarium, multarum- xlviii
que palmarum Ducem.Audiuit sæpe de publicis Belgij necessitatibus, ac priuato commodo
differentem. Postremò responsa, quæ Gubernatrici referret, in ijs præsertim, quæ ad reli- *Philippi pietas.*
gionem pertinent, ex Theologorum placitis,
quos coegerat,concepit. In eo Doctorum senatu admirationi fuit Regia pietas.Consulti *quid de Religionis libertate?* sentirent, quam enixè
postulabant nonnullæ Belgarum ciuitates.
Quum plerique, perspecto earum prouinciarum statu,affirmarent,auertendo grauiori malo,*posse* absque Dei offensa liberum sacrorum
cul-

cultum populis indulgere: Negauit,accitos à se illos,vt docerent, *an permittere poßet? sed an sibi necessariò permittendum perscriberent?* Illis necessitatem videri nullam asseuerantibus, tunc Rex in eorum conspectu, humi positus ante Crucifixi Domini simulacrum. *Ego(inquit)Diuinam maiestatem tuam oro, quæsoque Rex omnium Deus, hanc vt mihi mentem perpetuam velis,ne illorum, qui te Dominum respuerint, vspiam esse me,aut diei dominum acquiescam.* Ita firmata de religione sententia, *Egmontio* tradidit legationis commentarium, *Instructionem* dicunt,ita inscriptum. *Instructio earum rerum,quas tu Princeps Gaure,Comes Egmontij, patruelis meus, meique de imperij iure consilij, exponere nomine meo debes Duci Parmensi, sorori meæ.*Inter mandata,Religionis cura, id erat

XLIX Philippi Decretũ de Religione. præcipuum, quod nouis literis XXII. Octobr. 1565.sequentibus confirmauit. *Plecterentur Anabaptistæ, aliique hæretici; quorum pœna nec remitteretur,nec differetur. Inquisitionis tribunal esse summoperè necessarium. Tridentinum Concilium in omnibus seruaretur.* Regis nomine illud promulgarunt Præfecti, quorum plurimi vel timore correpti,vel hæresi polluti,se impares populorum furori profitebantur.Brabantia primum, vt Louanium, Bruxellæ, Antuerpia, Buscoducum, edicto parere recusat, libertatis prætextu, quæ Tribunal Inquisitionis numquàm passa esset. Coniurationis caput dicebatur

L Ludouicus Naßauius hæreticorum caput. *Ludouicus Naßauius*, Principis *Orangij* frater, qui à iuuentute cum alijs iuuenibus ex flore Belgicæ nobilitatis, Geneuæ versatus, facile in hæreticorum fraudes inciderat.Arridebant ei plurimi mercatores, qui maria vagantes ad mercium lucrum,fidei iacturam fecerāt.

Fœdus Hæreticorum. XV.Martij, Anno 1566. Bredæ in vrbe Principis *Orangij*,fœdus conscripsere nouem è nobilitate homines. Fœderis summa,quod *Compromißum* dixere,à mutuis vel multorum promissis,fuit.*Ob libertatem inita nobilium societas, vt obstaret ijs, qui fidei specie in optimorum ciuium fortunas intenderent. Quamobrem persanctè iurare, Inquisitionem in Belgio nullo modò passuri;ita tamen vt præter Dei honorem, Regis amplitudinem,Patriæ tranquillitatem,nihil moliri deberent.* Cum his Princeps *Orangius* conuenisse dicebatur, vt ipse se excusando in senatu conquestus est eodem tempore, quo à Comite *Megano* admonita *Margareta*, Bruxellas aduenturos sub initium Aprilis Nobiles circiter quingentos supplicemque libellum in *Quæsitores* oblaturos, non sine rumore,quod illato in vrbem milite Viluordiam abducere vellent *Margaretam*, ibique clausam habere,donec impetrent,quæ vellent.Sciscitante itaque *Margareta* Senatum,an coniurati admittendi essent in vrbe?negauit *Philippus Croius* Arescoti Dux, & *Carolus Barlamontius.* Quid opus, aiebat, *quingentis hominibus, vt libellus vnus offeratur? non sibi videri eam speciem suppliciter postulantium. Vnum mitterent minori pompa,atque inuidia. Portæ itaque occludendæ, vel plurium oculis obseruandi, deque ijs supplicium illicò sumendum, si quid licentiùs agerent.*Contra Orangius *vanos* dicebat *timores, ignotos non esse homines, sibi vel amicitia, vel sanguine iunctos: grauem futuram iniuriam, si nobilibus viris non permitteretur, quod licet miserrimo cuique, rogare.* Similia memorabat Egmontius:*præsertim quod si vi agendum esset,non videret quo apparatu occurrendum esset hominibus iam armatis:tutum non esse eos lædere, quos perdere non poßet.* Mansfeldius verò, etsi Pontificios Inquisitores non probaret, turbas tamen damnabat,imò & filium *Carolum*, quem coniuratis immissum audiebat. Inter huiuscemodi altercationes, ansam arripuit *Orangius* calum- *LI Orangij quæstus.*

niandi Regem, quod *cum hostibus Orangij in caput eius conspiraret, nec nisi tempus oppertiri, quo facinus imperaret.* Super hæc addere parantem admonuit *Margareta*, neue innocentiam suam calumnijs ream ageret; inde mollibus verbis vtrunque placatum ad publicam reuocauit causam. Decretumque *vt inermes admitterentur in vrbem*. De *Inquisitoribus* verò, cum Regi hoc vnum votum esset, veterem religionem seruare,quodque munus ab ipsis Episcopis exerceri posset, qui iam numero creuerant,vt superuacui essent Romani Quæsitores, quos *Carolus* in Belgium inuexerat pastorum inopia,non debere aduersantibus populis tam violentum obtrudi remedium. Ne quid verò hæreticis indulgere videretur, coniuratis respondendum esse; *Non esse,cur de Inquisitoribus laborarent, cum ob obitum Pontificis, vsum intermiterent iurisdictionis.Quoad pœnas hæreticorum,cum omnes sint capitis, salubri aliquo temperandas remedio.* *Decretũ suspensionum in Inquisitores.*

Eodem die sub vesperam coniurati Bruxellas aduentarunt ducenti numero, forensi veste *LII* ornati,gestantes singuli bina ante ephippium sclopeta,preibat Dux *Brederodius*,&*Ludouicus Naßauius*,qui in domum *Orangij* diuerterunt. *coniuratorũ legatio insolita.*

Se-

Sequenti die aulam ſubiere bini procedentes, ducibus *Brederodio*, & *Naſſauio*, quorum alterum, cum claudus eſſet, riſu excepit ciuitas, tota ad ſpectaculum effuſa, nec ſatis expediens, quo nomine haberet nouum illud legationis genus. Aulam ingreſſi, poſt obſequia *Brederodius* libellum obtulit, paucis exornauit, *nihil aliud honeſtis viris eſſe propoſitum, quàm Regis obſequium, ac patriæ ſalutem*. Libelli ſumma erat, *quod cum Margareta ad Prouincias ſcripſiſſet, fœdus illud non pro libertate, ſed ſpe populationis conceptum, nomina delatorum deferret: vt vel fœderati, ſi conuincti, vel accuſatores, ſi falſi, pari ſupplicio caſtigentur*. Reſpondit Gubernatrix, *quando nonniſi Regis dignitatem, ac patriæ ſalutem ſpectarent, haud dubiè poſtulatis ſatisfacturam*. De delatoribus mentionem non habuit; vel ſpetie obliuionis quæſtionem fugeret inextricabilem; vel imperij arcana offenſa crederet. Coacto Senatu, plura in quæſtionem venère. An coniurati tenerentur in libello nomen ſubſcribere? nec placuit, ne plures ſollicitarentur, ſi libellum circumgeſtarent per vrbem. Reſponſum itaque iuxta recens decretum, & ſpe facta *intermittendi* Inquiſitionem, *ac moderandi decreta*. Sic coniurati dimiſſi. Eodem die excepit *Brederodius* in Culemburgianis ædibus coniuratos peramplo ſanè conuiuio. Tercenti circiter erant, ideoque confidentiores ſuper menſam. Ibi de nominanda ſocietate actum, cui nomen impoſuere, *Nobilis Concordiæ*, ducem verò *Inſtauratorem libertatis amiſſæ*. Quæ tamen nomina vna cum ebrietate

liii *Gheuſij dicti Hæretici.*

digeſta; vel noua obliterauit appellatio. Euntes ad Margaretam coniuratos cum inſpiceret *Carolus* comes *Barlamontius*, in contemptum *Gheuſios* Gallica voce appellauit, quaſi nihil à mendicis, ac nebulonibus timendum eſſet. Quod cum *Culemburgio*, atque *Bergenſi* retuliſſet *Brederodius*, contemptu irritatis, placuit ad vindictam nomen aſſumere, atque ex eo petere inſignia firmatæ conſpirationis. Hinc compotantes, cœperunt ſeſe inuicem inuitare, & *Gheuſios* appellare, *Gheuſioque* nomini ſumptis poculis, plaudere. Peracto conuiuio, *Brederodius* mantica, quæ fortè ibidem reperta, ad collum emendicantium more ſuſpenſa, ligneoque poculo vini pleno, manu elato, conuiuis omnibus ſimul propinat, vitam exhibet prò indemnitate ſociorum. Inde confidentiores effecti, extra muros *Gheuſium* nomen ſtatuunt efferre, & plauſum explorare. Die itaque ſequenti, tota vrbe apparent coniurati veſtibus è panno cinneracei coloris induti: alij ſcutellas, & caliculos (quæ pauperum ſuppellex eſſe ſolet) pileis affigunt: plerique nummum primò exculptum è cera, vel ligno, poſtea ex auro inſtar bullæ, è collo ſuſpendunt; in cuius altera parte *Philippi* Regis imago, hac inſcriptione, ſed Gallica, *Fideles Regi*: in altera *Mantica* duarum manuum complexu intercepta, ſub lemmate, *Vſquè ad manticam*, ſed Gallicè, *Iuſques à Porterla Beſace*. Ex aduerſo *Philippus Croius Areſcoti Dux*, vt ſe recenti *Gheuſiorum* facinori opponeret, *Virginis matris filium Ieſum* complexu fouentis imaginem in galeri ſpiram eleganter compoſuit; quem imitata Bruxellenſis Nobilitas à Pio V. Pontif. Max. Indulgentijs eſt remunerata. Cuius occaſione vbique terrarum inoleuit Orthodoxis ſacrorum ex metallo numiſmatum religio. Antuerpiam regreſſus *Brederodius* ſupra quatuor hominum millia obuios habuit in caupona, quibus è prandio ſurgens, ingenti patera plauſit, & ad conſtantiam prouocauit. Vix etiam in vrbes redierant coniurati, quod mentientes equitum Aurei Velleris patrocinium, & iudicium, *ne Religionis cauſa, quæ ſeditionem non haberet admixtam, inquiſitio fieret, Cuius criminis non alij præter fœderatos, iudices eſſent, donec ſibi vtiliter à Rege, aſſentientibus totius Belgij Ordinibus, decernatur*. Curauit *Margareta* feſtinatis nuncijs falſitatem detegere, impedire tamen non potuit, quin ad coniuratorum ſonitum, ex Anglia, Germania, Gallia, Anabaptiſtæ, Lutherani, Caluiniani conuollarent; qui noctu priùs, deinde palam concionarentur, ac grandioribus figmentis, ac nugis Romanum Pontificem, Tridentinos Patres, Eccleſiaſticos Inquiſitores, ſanctiſſima quæq; vellicarent atq; imperitæ multitudini fabulas venditarent Et quamuis vt nebulones à prudentioribus cognoſcerẽtur; gaudebant tamen decipi, ipſi mox alios decepturi nihil obſtante. Edicto *Margaretæ* conciones interdicẽtis, quia prohibitas, nã flagrantiori repetitę ſunt ſtudio; vitio generis humani, quod nititur in vetitũ. Antuerpia inter Gallos & Germanos media cõtumaciã fouebat. Supra quindecim mille ægreſſi in agros, poſt Caluinianam concionem, buccinatorem equo imponunt, veluti triumphatorem in vrbem reducunt, trepidante Magiſtratu, ne eo tumultu Vrbs inuolueretur. Submiſit *Margareta* quaſi ipſa iam iam itura, *Carolum Brimæum Comitem*

Margin notes:

liv *nummus Votiuus hæreticorum.*

lv *fingunt decretũ ſibi vtile.*

tem

tem *Meganum*, quo viso, tumultuari cœperunt Antuerpiani, vociferantes *Meganum* Gheusijs infensum venisse, vt paulò post occupata milite Antuerpia, *Romanæ* acquiesceret *Inquisitioni*. Nec quieverunt, donec amoto *Megano*, datus est ei *Orangius*, quem totiès postularant; quibus assensit *Margareta* inops consilii, cum alium non haberet; & ne iniuria tantum virum prouocaret. Antuerpiam ingressus vt liberator, & Augustanæ Confessionis restaurator acceptus est; Quibus vocibus dum se opponit, vel opponere fingit, non tam militem impetrat à *Margareta*, quo tueatur Imperium; sed & corporis custodes, nimia in hoc *Margareta* indulgentia, quæ dissimulatione flagitij, firmauit hosti principatum.

Antuerpiæ tumultus. lvi

Condæus mittitur.

lvii Interim nouum conuentum *Gheusij* ad Trudonopolim cogunt medio Iulio. In quo duo agitata; Primum *qua securitate sibi cauere deberent, si Rex eorum quemquam vlcisci vellet*; Secundum, *ne certa populis præscriberetur Religio; liberum cuique esset, quam vellet, sequi*. Impia multis visa est hæc sententia, & se subtraxerunt à fœdere; inter quos *Carolus Mansfeldius* filius *Ernesti*. Princeps *Condæus*, tres *Colinij* fratres, *Orangius* dicti sunt in eo fœdere conspirasse, vt trepidante Belgio, resurgere Gallia nequiret. Primum coniuratorum facinus, fuit templorum depopulatio, initio sumpto ab inferiore Flandria: à pagis cladem exorsi, veluti ex Orco emissæ furiæ, circa Audomaropolim irrumpunt. Sacrarum ædium, cœnobiorum aditus oclusos frangunt: aras euertunt: imagines Sanctorum deturbant, nemine reclamante. Successu læti, vrbibus appropiant, Ipras conclamant; cuius templum maximum depopulantur; idque tanta securitate, vt publico ciuitatis ære viderentur conducti. Par iniuria vicina fatigauit oppida; cuius nuncius ad *Margaretam* peruenit à Sacro redeuntem, comitante *Egmontio*. Ad quem conuersa: *Audis Comes, quàm læta perferuntur è Flandria, prouincia tua? Infelicem me, cui Belgium moderanti, tantam Diuinæ Maiestati, tantam Principi suo illatam videre contigit contumeliam. Tu verò de cuius præcipuè virtute, ac fide sibi Rex pollicitus semper est omnia, patieris in prouincia tibi commissa, tam immania in Deum scelera impunè patrari?* Respondenti *primùm de imperio, postea de religione cogitandum*; negauit non sine indignatione *Margareta*, æquum esse consilium, cum *rebus humanis præcedere debeat honor Dei*. Quum adhuc subiecisset Egmontius *non ita sentire eos, qui in hisce prouinciis aliquid possident*. Eadem constantia respondit; *Optandum quidem esse religionem & potentiam pariter posse retineri: sed vbi alterutro carendum sit, Religioni ante omnia cauendum*. Accito itaque Senatu, decretum, vt *Maximilianus Raffingemius* cum duabus cohortibus, & cum Montinij equitatu, redeuntem à Sacrorum direptione Insulensem plebem, non ante in vrbem admitteret, quàm armis traditis. Et quamuis reclamaret *Egmontius*, quia si armorum via ineunda esset, minimè posset componi tumultus, nisi ducentis hominum millibus contrucidatis. Non tamen illa destitit, dicens melius esse, eam perdere plebem, quàm Deo sustinere rebellem.

Iconomachia.

lviii *religio Margaretæ.*

lix Per Belgium interim nihil remittebat furor hæreticorum. Antuerpiæ à Virginis Matris simulachro exordientes, vna nocte templum per Europam celeberrimum ita deturparunt, vt nil integrum intra quatuor horas, inuiolatumque relinquerent; vt non absurdum sit credere, Dæmones immissos hominibus operam consociasse, spoliatis aris, disiectis imaginibus, subuersis sepulchris, Cœlestem panem profanis pedibus conculcatum, Sacro Crismate inunctos calceos, nullo sacrilegorum damno, vt Deo permittente, credantur Erebi monstra operi præfuisse. Inde ad reliqua ciuitatis templa, cœnobia, procurrentes non minori sæuitia in Sacros cineres, ac lapides peccarunt, vt albescente die, templum inuenire non esset in vrbe. In domos mercatorum iam properabat latronum caterua; quum ciues non vltra cunctandum rati, qui non pugnarunt pro aris, certarunt pro focis. Præ foribus itaque exeuntes armati, ad vlciscendam publicam iniuriam, portas vrbis omnes, vna excepta clauserant; ex qua furiæ illæ exierunt populabundæ in agros.

lx Dum hæc Antuerpiæ, iisdem planè diebus Gandaui, Aldenardæ, alijsque per Flandriam vrbibus furor grassabatur sacrilegus. Omni propemodum Belgio, si Namurcum, Lucemburgum, Artesiam excipias, noua concidit religio. Atque vt Tiberij principatu duodecim vrbes terræ absorbuit hiatus, hic prouincias infernalis spiritus funestauit. Trudonopoli dicitur conuenta direptio, quæ *Margaretam* terreret, duce *Ludouico Nassauio*, apud quem sacrorum prædæ comportabantur, vt inter socios distribueret: nam cum Gandaui diri-

totius Belgij tumultus.

pe-

perentur templa; superuenit à *Ludouico Nassauio* epistola ad ministros, & mercatores Belgij, qua eos monebat, vt quia religionis causa satis in tuto esse videbatur; turbis sese opponerent, certi id futurum, neminem fore qui eis in religione negotium facesseret. Vana equidem non fuit promissio; nam Bruxellis *Margareta* cum occlusis portis, neque fugere daretur, sed templorum instaret direptio sub eius oculis, inuita subscripsit, *vt haeretici conuenirent ad audiendas conciones modò inermes, nec catholicis adessent infesti*. Suo tamen hæc, non Regis nomine; vt plaudere, vel reuocare posset *Philippus*. Is desperata pace, cum nonnisi ab armis expectare posset remedium, sorori mandauit externum scribere militem, Duce *Erico Brunsuicensi*, alijsque inter quos Comes *Ioannes Nassauius* frater Orangij Principis. Denique ne Germani Principes tantum apparatum secùs interpretarentur, ad eos scripsit, præcipuè ad *Maximilianum* Cæsarem rogans, prò ea quæ inter illos amoris, ac sanguinis coniunctio intercedit, iuuaret auctoritate sua militem, ducumque delectum. Cæsar verò nè imminente Turcarum irruptione, milite spoliaretur; siue decorum sibi putaret, Gubernatrici, eodemque tempore Ordinibus Belgij scripsit, vt se arbitro, iurgia componere non grauarentur. Gratias retulit *Philippus*, sed cum armata iam factione nihil tutò absque armis componi posset, denuo prò militum rogauit delectu; quod Cæsar nō solùm id præstitit, sed edicto vetuit, ne quis Germanorum militum iret aduersùs Regem. Idem egit *Carolus* Rex Francorum; Septemuiri catholici. Protestantes excusata religione, ad Confessionem Augustanam prouocabant *Philippum*. Inter eos, qui à Rege arma sumere sunt inuitati, solus *Ioannes Nassouius* frater *Orangij* recusauit. *Ericus Brunsuicensis*, dissuadentibus *Hasso*, ac *Palatino* Præfecturam subijt.

Margareta hæreticis indulget. lxi

lxii *arma parat Philippus.*

Cæsar se arbitrum offert.

lxiii *consultatio hæreticorum.* Tum *Orangius*, frater eius *Ludouicus*, Comites *Egmontius*, *Hochstratanus*, *Hornanusque* Teneramundam conuenere, vt in cómune prò societatis salute deliberarent. *Mansfeldium* etiam tentarunt, confictà Regis ira in caput eius; sed is fidelis vsque ad obitum nec fidem, nec obsequium mutauit. *An armati venienti occurrerent Regi?* in disceptatione venit, vel *supplices?* neutrum placuit. Tertia opinio præualuit, *Dominum mutare*; ad Cæsarem confugere, qui vel precibus, vel armis *Philippum* ad pacem cogeret. Vel in vtrumque Septemuiros, & Turcas concitare. Hisce non contenti, alia habuere Amstelodami comitia, dissimulante *Orangio*. qui propè Amstelodamum agebat. Ibi cum mercatoribus, & plebe conuenere Caluiniani, vt mutuò se adiuuarent: qui manu haud posset, pecunia suppleret. Et licet religione discordes, cum alij *Lutherum*, alij *Caluinum* profiterentur; in hoc etiam cogitarunt concordiam, ita suadente *Ludouico Naßauio*, vt sepositis parumper de religione dissidijs, in Augustana confessione coirent; nam hisce religionis inducijs, neque Septemviros habuissent aduersos, neque Germanos milites, qui in religionis socios non tam facile arma tulissent.

Eodem tempore *Brederodius* militem Antuerpiæ contraxerat, vt & alibi idem gesserant cæteri coniurati, annuente *Orangio*; quorum singuli singulas adorti prouincias, spolia partiti erant, priusquam cum Regijs confligerent. Prima defectio cœpit à Buscoduco, quod *Antonius Bombergius* Antuerpiensis, *Brederodij* nomine inuaserat. Is verò à Gheusijs Amstelodamum vocatus, clam appulerat hæreticorum plausu spe ipse potiundæ Batauiæ. Eodem tempore *Io: Marnixius* Tholosæ Dominus vnus ex coniuratis, sexcentis militibus in Zelandiam mouens; Flissingam frustra adoritur, quod regium militem præmisisset *Margareta*. Reuersi itaque ad Osteruelam *Tholosiani* Antuerpiæ pagum, in ripa Scaldis posuere castra, ad extorrum, & fugitiuorum asyllum, qui in dies accurrebant, vt ipsi Antuerpiæ terrori essent. Sollicita *Margareta* in Tholosianos *Philippum Lanoium Beauorij* Dominum non leui instructum immisit præsidio. Quod cum resciuisset *Orangius*, qui Antuerpiæ dominabatur, iussit illico pontem, quo ab vrbe Osteruellam transmittebatur, excindi; ne in suppetias hæreticorum, socij accurrerent Antuerpiani, dixit ipse; reuerane catholici catholicis succurrerent, vel vtrisque se amicum venditaret: vndè occlusis portis, ignari Antuerpienses, quò hæc cura spectaret, sequenti die repentino tormentorum strepitu exciti, procurrunt in mœnia, pugnam spectantes, dispari genio, studio, atque clamoribus, manu, vultu plaudentes, vel gementes cum inimici caderent, vel amici. Cecidere tamen Caluiniani numero mille, & quingenti. Tercenti circiter capti, & iugulati omnes, quod eorum nulla salutis spes esset. Quod cum vidissent Caluiniani Antuerpienses, repentè correptis

xliv *Gheusij militem legunt.*

Prima defectio.

lxv *conflictus inter catholicos, & Gheusios.*

reptis armis, quatuor horarum spatio, quatuordecim hominum millia conuenere, dubij an in portas, vel in eum, cuius iussu clausi attinebantur, irrumperent. Fouebat turbas Tholosij coniux, quæ cœde audita mariti, per vrbem volitabat, clamore, & planctu excitans socios ad vindictam Credidit *Orangius* sola præsentia furentes compescere, sed cum in publicum cœpisset verba facere, plura dicere clamore prohibitus, vt *Partium proditor* increpatus, recessit; nam manus admouere cogitabant; & fuit, qui in *Orangij* pectus admotum sclopetum non exploserit à socio impeditus. Marinum pontem occupauerant, & ex armamentario curulibus exportatis tormentis, de curia inuadenda, Monacis expellendis decreuerant. *Orangius* verò periculo doctus, præsidiarias cohortes Lutheranis adiunxit, qui vnà cum Catholicis in Caluinianos induerant arma. Tunc viribus Maiestate firmata, valido militum manipulo, cunctoque comitatus Senatu, Caluinianos adit, & more imperantis iubet arma deponere; secus si faciant, hostem se Caluinianæ factioni perpetuum iurat. Detulerunt ij hanc *Orangio* speciem honoris, re vera exterriti quia impares se cernerent.

lxvi *Orangij discrimẽ.*

lxvii *Valencenæ obsidio.*

Non minori gloria apud Valencenas causa se habuit catholica. *Orangius* cum ibi Caluinianus preco omnia misceret, tacitè forsam annuente Magistratu, qui *Margaretæ* præsidium accipere recusarat, *Philippum Norcarmium* obsidione cinxerat. Quod cum resciuissent *Gheusij*, vndique accurrere decreuerunt; quasi Valencenis vltimum foret fortunæ iudicium. Quatuor *Gheusiorum* millia conuenère in agro Tornacensi, duce *Ioanne Soreno* vt Insulas vrbem inuaderent, die quo *Maximil. Rassinghemius* vrbis gubernator absuturus erat, & ex agraria concione Caluinianis redeuntibus in vrbem, ingrederentur immixti. Regredientem forte *Rassimghemium*, morabatur aliqua Armentæriorum cohortes, *Cornelio* Ministro Caluiniano, qui ex fabro ferrario, concionator, ex concionatore miles arma tractabat. *Rassimghemius* verò cum iam de Armentarijs audisset, selectis centum quinquaginta pedibus, quinquaginta sclopetarijs, propè Vaterloum pagum pugnam committit, maiori fructu ob spolia, quàm gloria ex hostium ignobilitate. Audita suorum Tornacenses clade, Lanoium diuertunt, & portis exclusi, expugnare tentant. Interim *Norcarmius*, Valencenis copiarum parte relicta, superueniens, & cognita hostium statione, tanto irrumpit ardore, vt inter angustias, quibus se Tornacenses munierant, more pecudum cœderet, paucissimis per saltos euadentibus, sex tantumodò suorum desideratis. Inde victor Tornacum properans, iubet aperiri portas, Ciues audita ab ijs, qui profugerant, suorum strage, Ducis se clementiæ comittunt. Ille verò relicto in vrbe præsidio, confestim ad Valencenam redijt, quam ferociter, nec sine labore tandem expugnauit. Ex huius ciuitatis statu cum Sacro, tum ciuili restituto, Laus *Norcarmio*, & rebellium consternatio, *vt hac vna in vrbe, omnium vrbium claues reperta* dicerentur. Hinc maiora cogitans *Margareta*, ad nouum iuramentum Magistratus, belliqueque ministros incitauit; non quo perfidiam vinciret, sed quo minori inuidia fallentes plecteret, vel abnuentes exhautoraret.

Norcarmius vincit Tornacenses

lxviii

lxix *recusant dicere Sacramentum*

Probauit consilium omnium primus Comes *Petrus Ernestus Mansfeldius*, exemplum secuti Dux *Areschoti*, Comites *Egmontius*, *Meganus*, *Barlamontius*. *Brederodius* qui equitibus præerat, centuriam potiùs remisit, quàm iuramentum admisit. Idem fecere *Hornanus*, *Hochstratanus* dicentes satis esse Sacramentum, quo superioribus annis se obstrinxerant; hinc à gubernatione semoti. *Orangius* supererat, qui recusato Sacramento, successorem petijt, quando præfecturis suis se excidisse intelligeret. Quod cum per nuncium non probaret *Margareta*, quia *Orangium* apertum nollet inimicum, & vt dato Sacramento præturam reassumeret suaderet; respondit ipse *cum nihil aduersùs primum iuramentum peccasset, non opus esse nouo iuramento, quod præter morem exigebatur, aduersus forsam patriæ priuilegia, quorum obseruantiam cum iurasset, nolle se iuramento in iuramentum pugnare; vnde ad periurium potiùs, quam ad iuramentum prouocaretur. Cum in formula iuramenti, non Cæsar, non liberi, non vxor, non Deus exciperetur; & tamen se beneficiario iure Cæsari cognoscebat adstrictum. Vxori etiam connubiali lege, quam natura inuiolabilem exigit, cum tamen quia Lutheranam mactare teneretur. Deo tandem, cuius gratia se ministrum pati non poterat tantorum suppliciorum, quæ spetie religionis irrogabantur. Et illud tandem cogitandum, Regis ministrum talem fore, cui se subijcere minimè decorum crederet generi suo.* Hinc *Albanum* Ducem intelligebat, quem indignabundus nominauit, & Simu-

Orangius renuit iuramẽtum.

lxx *Albani mores.*

luit. Is missus erat à Rege, quamuis Belgis ingratus ob genium truculentum, atque superbum. Ferebatur quum *Carolus V.* ab *Albano* petijsset, *qua pœna rebelles Gandauenses multare posset?* respondisse, *contumacem euerteret ciuitatem*. Quo immiti responso offensus *Carolus V.* iussisse eum in turrim ascendere, vrbemque illam totam æstimare, postea interrogasse,
Guanto. *Quot pellibus Hispanicis ad conficiendam æquè grandem chirothecã* (hoc enim sonat Gallicum Gandaui nomen) *opus esset?* obmutuit *Albanus*, cognita Cæsaris ira. *Bertius* (is erat *Margaretæ* nuncius) cum placare non posset *Orangium*, colloquium impetrauit cum *Egmontio*, & *Mansfeldio*, sed & hi frustranea verba fecere. *Orangius* verò seorsim abducto *Egmontio* imminentem ei descripsit ab Hispania tempestatem. Subduceret se priusquàm operiretur. Cui
lxxi *Egmontius* periculi negligens, Regis obiecit
Orangij verba Egmontio. clementiam, quæ hoc vnum poscebat; *pacatas prouincias*. Reposuit Orangius, *Perdet te hæc, quam iactas, clementia Regis. Præuideo, vtinam falsò, te pontem futurum, quo Hispani calcato, in Belgium transmittant*. His dictis non sine la-
coniuratorũ diuisio. crymis Bredam abijt cum vxore, ac familia præter *Philippum* filium natu maximum, Louanij studiorum causa relictum, inde Cliuiam se recepit. *Egmontius* verò quasi tota turbarum culpa in discedentem reiecta, innocuus, & absque æmulo cœpit *Margaretæ* operam ostentare, conciliabula prohibendo, *Compromisso* re-
deditio. nuntiando, *Hochstratano* libellos remittendo, veluti dissolutæ amicitiæ argumentum. Hinc magna rerum conuersio. Contetriti coniurati, inuicemque suspecti, fugiunt, veniam petunt non sine mercatorum querelis, se desertos contra quàm conuenerant. Confluebant vndique nuntij cumulatam de hæreticis victoriam renunciãtes; Antuerpiam ingressa triumphantis
Brederodij mors. more *Margareta*, de obitu *Brederodij*, inse-
lxxii quente totius Hollandiæ deditione. *Margareta* verò de firmanda magis, quàm de fruenda felicitate sollicita, præsidiarium militem deditis imponit vrbibus, rebelles mulctat, reos plectit, templa catholicorum reficit, hæreticorum destruit, mira populorum contentione, & alacritate, Belgium denique totum primæ restituit tranquillitati, *Gheusijs* verè *Gheusijs* effectis. Hoc vnum deerat, Regis præsentia, qui si adfuisset in tempore, haud dubiè populorum

motus composuisset. Eius cunctatio vaticinium probauit *Pij V.* Pontif. Max. *Si in præcipiti* (aiebat) *aut Rex cunctatus fuerit; aut quemuis ex Regijs administris rei conficiendæ submiserit; magnopere vereor, ne Belgium religione, Rex Belgio exuatur*. Parabat *Philippus* expeditionem, missis etiam ad Europæ Principes nuncijs, sed in spetiem, vt ostentato profectu, Belgarum Dynastas in offitio contineret, & *Maximilianum* lxxiii
Cæsarem, cuius arbitrio se commissuri dice- Maximil. suspectus
bant Belgæ: & reliquos omnes à fouenda *Gheusiorum* factione, deterreret. Accitis itaque Philippo.
comitijs, *quid agendum in Belgas?* consulit. Bello alij, dexteritate potiùs, & consilio cum alij dicerent, nutare videbatur *Philippus*, donec aulicos priuata conciliauit vtilitas. Degeret in Hispania Rex, ministrum præmitteret (qui *Albanus* præuidebatur) sic cæteris locum daret in aula. Ita euenit; non multò post designatus
Albanus venit, quamuis reclamante *Margareta*, quia parta pace, religione, atque obedientia Albani aduẽtus.
restitutis, nouus miles non nisi ad irritandas superueniret prouincias, ipsa Regẽ monuerat. Is verò actis sorori gratijs, *Albanum* mittere scripsit, *non vt ei laudem decerperet; sed vt illi operam suam præstando, minore Gubernatricis labore, ad eam diem acta conseruaret, & nulla eiusdem inuidia de noxijs supplicium sumeret*. Illa verò non parùm indignata, quod pacato Belgio imminens Hispanus ad desperationem incolas prouocaret, & iam centenni circiter hominum mille suppellectilem alio asportassent, missionem flagitauit, tantò ardentius,
quanto ipsa inconsulta, *Egmontium*, & *Hor-* lxxiv
nanum custodiæ dedit *Albanus*, non sine Bel- custodit Egmontium & Hornanum.
gij rumore, vociferantibus plurimis, *ea procerum captiuitate Belgium captum esse*; præcautum consilium *Orangij* laudantibus, quod maturè se subtraxisset *Granuellanus* tamẽ Romæ audito successu, sciscitatus dicitur, an *captus*
quoque fuisset taciturnus? (ita appellabat *Oran-* Margareta abit
gium) atque nuncio negante, *Vno illo* (inquit Granuellanus) *retibus non concluso, nihil ab Duce Albano captum*. Impetrata itaque missione, *Margareta*, in Italiam venit, relicto apud Belgas incredibili desiderio sui. Vt Duaci, vbi restituto Franciscano cœnobio ex *Margaretæ* Parmensis ære, gentilitia eiusdem signa (vti assolet) adiecta essent, numquã illac populus permearet, qui ad eorũ aspectũ, capita denudaret,

AL-

lxxv *ALBANI PRÆFECTVRA IN BELGIO.* Ann. 1568.

PRæfecturæ initijs ab animaduersione sumptis, *Albanus*, patrocinium odio suo quæsiuit *Orangio*, qui si non iustè, saltem gloriosè arma sumeret, vt se, patriam, liberos, vxorem in libertatem repetere videretur; licet dominandi libidine, ac odio inflammatus, ni ad bellum faces hæretici suppeditassent, aliunde materiem incendij quæsijsset. Nec enim deesse diù potest occasio improbitati. Futurarum calamitatum præsagia fuere biceps Leodij natus puer: & Mechliniæ subitaneum incendium, igne casu, vel dolo pulueri iniecto sulphureo, tanto terræ quatefactæ motu, vt pleræque Brabantiæ vrbes, nutantibus ædificijs trepidauerint. *Albanus* tamen iactura potiùs quàm præsagio commotus, cœpit catenam, quam in Hispania cogitauerat, Belgio circumferre, acie Antuerpiæ erecta ad ripam Scaldis, cum ad ostium fundare potuisset, vt ab Hollandia hostem arcere posset venientem, ea ratione, qua sibi potiùs ab vrbe, quàm vrbi ab hoste præcaueret.

præsagia malorũ.

Arx Antuerpiæ.

lxxvi Inde duodecimuirali instituto collegio, quod sine appellatione cognosceret præterita crimina, vulgò *Colleggio Sanguinis* ob crebra supplicia dicto; *Gulielmum Nassauium Orangium Principem*, *Antonium Lalinium comitem Hostratanum*, *Florentium Pallantium Comitem Culemburgium*, *Gulielmum comitem Bergensem, Henricum Brederodium*, aliosque coniuratos ad dicendam causam vocauit. Illi verò accusata incompetentia fori, ad *Maximilianum* Cæsarem, ac Germaniæ principes confugere, vt specie compositionis, interim arma pararent. Non abnuit Cæsar, atque Imperij principes Belgarum patrocinium. *Albanus* verò & *Maximiliani* literis, & legato Bauariæ Ducis, quem vt Regi gratum Principes delegerant, non suo, sed Regis mandato hæc fieri, respondit. Statimque festinata causa, *Orangium Gulielmum*, & *Ludouicum* fratres, ac reliquos reos Maiestatis pronunciat, Fisco bonis adiudicatis. Simul Bredæ, *Orangij* oppido Hispanum imponit præsidium: filium eius *Philippum* tredecim annos natum, è Louaniensi Academia in Hispaniam mittit. Quod cum immane iactaret *Orangius* erga innocentem puerum, non ingrata creditur fuisse filij captiuitas callido Principi, vt si res Hispana superior foret, eoque suis ipse exueretur dominijs, esset in quem Hispaniæ moribus innutritum suam Rex clementiam ostentaret. Si autem, vti sperabat, secus eueniret, adesse sibi minorem natu *Mauritium* paternæ fortunæ comitem, & bonorum hæredem. Decreto itaque eiusdem concilij capite damnantur plurimi. *Culemburgij* diruitur ædes *ob execrandam memoriam repetita in illa coniurationis in Deum, & homines*; eodem tempore, quo nuncius ab Hispania venit (*Carolum* Regis filium, patre iubente, custodiri? simulque *Florentium Momorantium* Montinij dominum, quem *Margareta* in Hispaniam legauerat. Is capite damnatus perijt. *Carolus* natura ferox, patri molestus, & deprauatæ religionis patronus, quum patre inuito, in Belgium descendere vellet, custodiæ traditur, vbi ex morbo ob alimenta partim obstinatè recusata, partim intemperanter adgesta, nimiamque niuium refrigerationem extinctus est. Licet mussitauerint aliqui in necem patris conspirasse, & nimis familiariter se habuisse cum *Isabella* coniuge *Philippi*, quæ ipsi *Carolo* in coniugem iam antea fuerat designata; vnde paucis inde mensibus post obitum *Caroli*, mors sit sequuta *Isabellæ*, quasi vtrumque vis abstulerit. Propterea eo tempore Ouidianum illud ab *Opmero* vsurpatum carmen, quo & *Caroli* facinus, & mortis annum, literis numerorum loco positis exprimerent.

Collegiũ sãguinis.

Orangius ad Cæsarem confugit.

Cæsar orat pro eo.

captiuitas filij Orangij.

lxxvii *Caroli Hispani captiuitas.*

mors.

FILIVs ante DIeM patrIos InquIrIt In Annos

Quæ tamen falsa Epistolæ testantur *Philippi* ad Reges, asserentis, *nouitatis non aliam causam, quàm quòd Religionis, populorumque conseruationem Sanguini suo præhabere voluerit: coactumque se propterea; filium sibi vnicum earatione propemodum sacrificare; ne Deo ingratus existeret.*

lxxviii Orangius interim percusso cum Germaniæ Principibus fœdere, irrumpit diuisis copijs sub coniuratorum imperio. Vbique tamen repulsis, & captis *Gheusijs*. Frisiam ingressus *Ludouicus Nassauius* cum *Adulpho* fratre, alijsque ducibus, ne progrederetur, *Arembergius* occurrit. Primæ velitariones Hispanis obuenère feliceas: Sed quia loco, & equitatu inferior esset, leuibus contentus prælijs, oblatam à *Ludouico Nassauio* pugnam sedulò differebar, expectans *Megani* copias, quæ in suppetias veniebant. A militibus verò ob eam moram, tanquam cum *Nassauio* tacitè colluderet, palàm carperetur;

par inuidiæ Dux, testatus omnia in discrimen ea festinatione dari, salutem rumori posthabuit. Educto milite, vt certo aliquo documento redargueret obtrectatorum voces, conspicatus
lxxix *Adulphum Nassauium* strenuè redintegrantem ex aduerso prœlium, inuadit. Et quamquàm pila exceptus, inde tamen ferociter, sclopeto primùm, stricto dein ferro, mutuis vulneribus traijciuntur. Superstes *Arembergij* exercitus, dum locorum ignarus, in insidias se
Arēbergij mors. se induit, à *Nassauianis* circumuentus, intempestiuæ fortitudinis pœnas dedit. *Albanus* porrò volens in Frisiam properare, priusquàm *Ludouicus* cum *Orangio* consociaret copias, veritus ne per absentiam suam cieretur tumultus ob nobiles captiuos, eo se metu liberare credidit, sublatis in foro per carnificem viginti tribus nobilibus. Fuere hæc præludia Egmontianæ, & Hornanæ tragediæ. Periere & ipsi, *Albano* iubente, sub manu carnificis, quorum funesta funera doluere Belgæ odio maiore, quàm luctu. Fuere qui linteola *Egmontij* cruore
Egmōtij mors. conspersa seruauerint, seu monumentum amoris, seu vindictæ irritamentum. His peractis in Frisiam mouet *Albanus*. Substiterat *Ludouicus Nassauius* ad pagum Gemirgum, inter sinum Dullastum ac flumen Amisiam. Habebat à tergo Emdam, sibi amicam; excepturus inde commeatum, & *Orangium* fratrem è Germania venientem; circum paludes crebræ, & confusa aquis itinera absterrebant subiturum hostem: solum à fronte inter subditos, instabilesque cœno campos, callis vnus contra fluuij tumores latè firmatus eminebat, atque excurrebat in castra, pagumque, isque tormentis decē
lxxx oppositis inaccessus. Non deerant suo officio Duces, omnia experti consilia quibus militem in bellum accenderent. Nummos suos quisque cudi curauerat, quo nil fortius antiquitas credidit ad milites excitandos. *Albano*, priusquàm ex Hispania discederet; *Pius V.* Papa religionis Zelo motus, per *Granuellanum* Cardinalem, sanctam ei Rosam cum gladio, & vexillo prò strenua Romanæ Ecclesiæ defensione offerri curauit. *Granuellanus* verò votiuum nummum cudi fecit, in quo Pontifex vexillum crucis tradit, sacro illo lemmate, *In hoc vinces*. Etiam *Guilhelmus Orangius* idem sed nomine tenùs vsurpauit, *Halcyonem* sculpsit, imbellem auem in nidulo suo; cui fluctus nil incommodi adferunt: quod domicilium eius sit ore per quam angusto, grandium spongiatum similitudine; & tanta insuper duritie, vt ferro incidi vix queat. *Manus etiam est inter nubes cum sceptro sub inscriptione*, CHRISTVS, quasi cœlitus inuitarentur ad rebellandum Deo, & Regi.

Habuit etiam *Ludouicus Nassouius* inscriptionem suam *aut recuperare, aut mori*, quam passim in vexillis vsurpabat. Is itaque ita castra munierat. Timori verò cum nulla sint munimenta; consternatos militum seditione Gheusios, quasi natando *Albanus* aggreditur *Albani victoria.*
tanta fortuna, vt intra sex horas deleuerit. Numquam enim maiori aut ignauia, aut contumacia pugnatum: si pugna tamen illa, & non veriùs strages fuit. *Nassauius* mutata veste aufugit. Properabat interim *Orangius* cum exercitu in Germania collecto, militum octo & viginti mille. Stipendium spoponderat Palatinus Septemuir, Virtembergensis Dux, ciuitas Argentoratum, Germanis legionibus quadrimestre. Belgis & Gallis tria millia talerorum in singulos menses Antuerpiæ mercator Hispanus Equitatum alebant ipsi coniurati. Cum hisce sopijs & viginti tormentis. Rheno transmisso, ad Mosæ ripam consedit, tranatoque vado, venienti *Albano* pugnam obtulit; nec renuendam censebat *Chiapinus Vitellius* castrorum lxxxi
præfectus. Sed *Albanus* quod animo præuide- *Vitellius.*
ret tanto exercitui non adfutura stipendia, ideoque nec concordiam, hieme ingrauescente, iam statuerat minimo suorum periculo, hostium eludere conatus, obstando ne illi vrbe aliqua potiti, prædam haberent pro stipendijs. Nec eum fefellit opinio. *Orangius* vrbibus aliquot frustra tentatis, seditione coorta, interfecto à furente milite, *Malburgio* Centurione, ipse sclopo appetitus, gladij capulo pilam appetente, periculum euasit. Maius in castris gliscebat malum, nisi Gallica aduenissent auxilia. Hæc vt reciperet, mouit *Orangius*; qui in itinere capta Trudonopoli, copioso commeatu ditatus, Tillemontem contendit, vt se Gallis coniugeret. Sequebatur à tergo *Albanus*, exercitum sexdecim bellatorum millium trahens; eratque primo in agmine *Vitellius*, qui *Orangio* traijciente Getam amnem, indignatus *Albani* cunctatione sibi victoriam eripi: in legionem ab reliquo exercitu seiunctam mouet. Nec abnuit *Albanus* (potius quia factum erat, quàm quod factum vellet) immisso & ipse filio *Friderico* cum sex tormentis campestribus, & lxxxii
aliquot Hispanorum cohortibus in hostes, qui *Vitellij*
subita impressione trepidi, modò agmen, mo- *victoria.*
dò

dò fugam respectabant, modò in prælium meliorum ductu redibant, eoque inter pugnæ fugæque consilium plures cadebant; adeo vt *Vitellius* non dubitaret, si omnibus copijs transmisso amne contenderetur, eo die hostis deleri posset, vt crebris nuncijs *Albanum* sollicitabat: qui iratus *Vitellij* festinatione, quasi prælium extorquentis, increpato nuncio, *Abi* (inquit) *iube Vitellium consistere in ripa, nec amplius de pugna interpellet. Nam seu tu, seu quiuis alius importuni monitores accesseritis, per caput Regis adiuro, viui non redibitis*. Ea denunciatione Vitellius, coercito milite, iram in obstantes effudit. *Orangiani* verò conglobati apud *Louervallij* vexillum, nouo impetu *Vitellium* inuadunt: qui nec animo, nec loco motus *Louervallium* antè alios dimicantem excipit, eoque grauiter sauciato, in signiferum inuehitur, ereptumque ei hostile vexillum, nouâ suis absoluit victoriam. Delato ad *Albanum* signo, in eo columnam intuitus, & inscriptionem *Nescit labi virtus, nisi virtute superetur*, dixit: *Profectò à virtute Vitellij hac die virtus est superata*. Cæsi intra duas horas hostium duobus mille, capto *Louervallio*, *occiso Antonio Lalinio Hochstratæ* comite. *Orangius* tamen Gallico auctus auxilio, reparasse videbatur cladem, ni commeatus defecisset. Cum nouies itaque, ac vicies castra mutasset, *Albano* semper insequente, qui nulla arte ad pugnam trahi poterat, suadente *Ienlisio*, reliquisque Gallicis ducibus, statuit *Condao* se adiungere, tertium ciuile bellum in Gallia reparanti. Sed milite in Regem Galliæ arma detrectante, stipendiaque strictis in Centurionem gladijs exposcente, tot conflictatus aduersis, diuendita suppellectili, eaque ratione pacatis, ac dimissis militibus, ipse in Germaniam cum parte copiarum perrexit, melioribus auspicijs bellum reparaturus. Tantæ victoriæ
nummum nummum triumphalem suspice, in quo debitæ
Albani pietatis, ac gratitudinis ergo
vide n. *Sabao*
80.
lxxxiii *Thure calent aræ, sertisque recentibus halant.*
Anno Belli interim securus *Albanus*, mittit in Gal-
1569. liam prò *Carolo IX*. aduersus hæreticos duo e-
Albanus quitum, tria peditum millia, Duce *Ernesto*
Gallo Re- *Mansfeldio*, relaturus Regi gratias ob *Oran-*
gi auxi- *gium* hostis loco habitum. Nec defuere *Hugo-*
lia mit- *notis Gheusij*, immisso *VVolfgango Bipontino*
tit. cum *Ludouico Nassauio*, qui religionis specie cum Gallis rebellibus in Regem causam communem susceperant. Extat *Bipontini* nummus castrensis in hac expeditione mortui, in quo *Draco cum Elephante luctans* conspicitur. Alius est Reginæ Nauarreæ cum filio *Henrico*, qui in Regem *Carolum*, cum Hugonotis fœdus percusserat. Deo verò fauente victor fuit *Carolus*, capto *Condao*, profligato exercitu, *Ludouicus Nassouius* vix saluus effugit. *Mansfeldius*, qui ab *Albano* in Gallias missus fuerat, in brachio graue vulnus accepit. Triumphalem suspice nummum *Caroli IX*. Regis *columnas duas* hoc est, *Religionem*, & *Rempublicam* instaurantis.

Interim *Albanus* eiecto *Orangio*, triumphanti similis Bruxellas regressus, non sine inuidia; cum multi victorem *Orangium* vellent, non *Albanum*. Cumulabat inuidiam, quod eodem tempore trophæum sanè superbum Antuerpiana in arce statuendum ex tormentis bellicis *Ludouico Nassauio* ereptis conflari sibi iusse- *Albani*
rat. Nudo capite, dextero brachio inermi, & in *statua.*
vrbem intento statua, duos pede premebat, *Belgij Nobilitatem, & populum* sicuti *Orangius* est interpretatus, & Operis inuentor *Arias Montanus* dicitur affirmasse. His geminis signis manus inerant plurimæ libellis, crumenis, securibus, facibus armatæ, ora Laruis tecta: aures, & colla pendentibus grauata caliculis, *Gheusiorum* suppellectili. In basi marmorea inscriptum elogium, *Ferdinando Aluarez à Toledo Alba Duci, Philippi II. Hispan. Regis apud Belgas Præfecto: Quod extincta seditione, rebellibus pulsis, Religione procurata; iustitia culta, prouincijs pacem firmauerit: Regis optimi ministro fidelissimo positum*. Basis latera vario emblemate figurata; infra additum, *Iungelingi opus ex ære captiuo*. Quanta inuidia ob hoc simula- lxxxiv
chrum laborarit *Albanus*, ipso indignante Re- *Philippi*
ge, cuius simulachrum cum nobilis ab Italia *II. Regis*
statuarius ære suo, vrbium portis imponere *modestia*
vellet, laudata hominis voluntate responderit, *malle se artificem, qui quantacumque impensa suum in Cælo signum collocaret*. Hinc *Albani* statua quadriennio post sublata, Rege iubente. Odium etiam auxit noua tributi ratio ab *Alba-*
no impositi. Ea erat, *vt rerum mobilium quoties* *tributũ*
venderentur, decima; immobilium vigesima; om- *imponit*
nium centesima semel à Belgis penderetur. Quamuis Belgij Ordinibus reclamantibus quod ad decimam; *quia eo tributo interterentur commercia; nec passuros mercatores, vt pro eadem re sæpius decimam soluant? quippe antequàm panni, tapetes, quæque alia textilia conficiantur, soluendam esse decimam prò lana, inde prò filo,*

tum

tum prò textura, & tinctura, ac pluribus huiusmodi artificijs; ideoque auctis mercium pretijs, emptores absterrendos; al ò potiùs artifices migraturos, summa interim egestate prouincijs relicta. Quare cum monitis minas *Albanus* adderet: Ordines vero necessitatem populorum obijcerent: nec deesset, qui *Albano* per epistolam ignoti nominis significandum curaret, *si ille Themistoclem ageret, duas prò exigenda pecunia Deas afferrentem, Suadam, & Violentiam; esse se Andrios, qui ne eam persoluant, totidem intercedant magnæ quoque Deæ, Paupertas, & Aporia* Nonnullæ etiam ciuitates in Hispaniam legatos miserunt; quam prouocationem *Albanus* iniquissimè tulit, veritus æmulorum potentiam. Dissimulauit tamen, venia erratorum vulgata, quam diù distulerat.

insidiæ in eum.

veniam promulgat.

lxxxv Interea venit in Belgium *Anna Maximiliani* Cæsaris filia, quæ post *Caroli* Hispaniarum Principis mortem, cui destinata coniux fuerat *Philippo* patri desponsa tunc erat, perpetuo *Caroli* fato, vt vxores sibi destinatas pater aut viuo præriperet, aut in mortui locum duceret. Hanc vt in Hispaniam *Albanus* ipse comitaretur, enixè flagitauerat à Rege: honorificum ratus, per eam occasionem abire. Abnuit verò Rex *Albano* offensus, quòd turbarum veniam iuxta mandata non vulgasset. Relicto itaque negotio deducendi reginam, ad exactionem tributi rediit. Bruxellenses, quos sperabat obsequentes, adeò repugnarunt, vt clausis institorum officinis, toto eo die pistores, lanij, tabernarijque ab opere cessauerint. *Albanus* iræ præceps illa ipsa nocte suspendi imperat ex eis aliquot prò foribus tabernarum. Iamquè miles in armis, lictor cum laqueo præsto erant: quum nuncius de Brila à *Gheusijs* capta, tamquàm Deus è machina laqueum repentè soluit. Inopinata clade perculsus *Albanus*, quæstionem omittit odiosam, duos agitatam annos non alio fructu, quàm vt aucta in Hispanos inuidia defectionis consilium maturaret. Cœptum est à Batauico Mari bellum, quasi qua parte dominaturi essent, principio intellexerint, *Anseres maritimi dicti*. Horum Dux aquatilium *Gheusiorum* fuit *Gulielmus* Comes à *Marcha*, *Lumæi Dominus*, depictis in vexillo *decem monetis*, ad decimi nummi memoriam, inuidiamque militibus inferendam. Rapinam potiùs ab initio, quàm bellum aggressi, prædatorijs nauigijs oram infestabant Hollandiæ: & si quando aut ab occursu plurium, aut à tempestate declinandum erat, in Britanniæ portubus plerunque perfugium. Sed à Regina prohibiti, dum Cantabricam inuadunt nauem, aduersa ventorum vi in Vornam Hollandiæ insulam deferuntur, Vbi prò mercatoribus habiti, discrimine in audaciam verso, Brilam insulæ portum, priùs occupant, quàm vt hostes cognoscerentur. Ad captæ insulæ famam, tamquàm ad signum prouincijs elatum, mirum profectò, quanta per Belgium repentè mutatio consecuta sit. Omnis fermè Hollandia, ac magna Zelandiæ pars *Albanum* deseruit, cuius effigiem grandibus irridendam conspicillis, quæ ei à tergo Lumæius imponebat, passim exponebant. Brilla enim à Belgis conspicilla vocantur; sic facetè annuentes, naso ocularia vitrea suspendere, ac ori frenos inijcere: infrenatam iam esse *Albani* ferociam. *Lumæio* itaque curante, in verba *Orangij* iurarunt Hollandi, tanta confluentium multitudine, vt quatuor intra menses, Flissingano in portu steterit instructa centum quinquaginta nauigiorum classis, qua intra decennium sępè pugnantes, ferè semper extiterint victores. *Hoc decima, vigesimaque pretio* (aiebat Namurcensis Episcopus) *emptæ sunt Orangio maritimæ prouinciæ, nouusque principatus.*

Anna, vxor Philippi.

Anno 1570.

Brila capta.

lxxxvi *rebellãt Batauî.*

lxxxvii Albani contemptus.

Nec minor inter Hannonios cura, captis à *Ludouico Nassauio* Montibus, Gallorum ope. Cum *Gheusijs* vulgo dicebatur conspirare. *Carolus* Rex Gallorum, rebus compositis Hugonotorũ (nũmos inspice feciales) Quorũ Princeps *Colinius* contracto vndique milite, *Vitellium* ipsum pertentauerat, vt ad partes *Caroli* transiret: cuius literis acceptis *Vitellius* in ignẽ, vt erant obsignatæ, tabellario præsente coniectis, facessere hominem iubet, & factum responsi loco ad *Colinium* referre. Admonitus *Albanus*, *Federicum* filium cum Vitellio obsidendis montibus præmittit, ipse secuturus. Venientem excepere Galli, ne castra Hispanus poneret. Et quamuis in ea velitatione sauciatus à plumbea glande *Vitellius* in sinistra tibia, tentoria tamen loco, quo destinauerat, fixit. *Colinius* liberandæ vrbis sollicitus, *Ioannem Hangestum Ienlisij dominum* cum valida militum manu delegit: Is quamuis à *Ludouico Nassauio* admonitus non inire pugnam, antequam venienti *Orangio* se adiungeret, moræ impatiens, atque consortis, cum quo laudem communicaret, cum *Federico* impigrè se gerente, ferociùs, quàm cautiùs signa confert, &

lxxxviii

Vitellij fides.

ma-

magna suorum strage profligatur; non sine *Vitellij* gloria, qui recens à vulnere, licet consistere haud posset, abesse tamen à pugna non sustinens, obuia fabrum sandapila gestari se voluit, vt aciem instrueret. Tùm primo in agmine, inter dimicantium tela conspicuus, voce, manu, præsentia ipsa, plurimùm profectò
lxxxix valuit ad victoriam. *Orangius populatur Hanoniam.* Porrò *Orangius* fortunam iterum experiri malens, vt ipse in suo nummo castrensi profitetur (in quo *populum* arborem aquatilem sculpsit, quia Hollandiæ, & Sclandiæ populi, vndique aquis cincti audaciam augerent) cum sex mille equitum, & vndecim peditum millibus Hannoniam ingressus, ad liberandum fratrem *Ludouicum*, immani barbarie populabundus irruens, nullo amicorum, hostiumuè discrimine, iuxta *Albanum* venit. Is castrorum munitiones ita posuerat, vt & vrbem obsideret, & auxiliarios arcesseret. Dumque frustra perrumpere conatur *Orangius*, sub primas tenebras, in *Albani* castris audit signa lætitiæ. Quid rei esset? solicitus, ab exploratoribus edocetur, Regis *Caroli* iussu Hugonotorum stragem editam. *Carolus IX.* Rex Galliæ, vt reformatæ religionis principes (qui in eius caput conspirauerant) in vna velut muscipula cape-
Laniena in Gallia ret, nuptias instituit celebrandas Lutetiæ ab *Henrico* Rege Nauarræ cum *Margareta* sorore sua. Eò cum venisset *Caspar Colinius* Admirallius Galliæ, multique alij reformatæ religionis viri nobiles, die S. Bartholomæi XXIV. Augusti, Rege iubente occiditur cum reliquis omnibus, qui Caluinianam doctrinam profiteri cogniti sunt. Hanc cædẽ, quòd in nuptijs *Henrici Nauarræ* Regis peracta sit, *Bartholomeanas noctes*, seu *Parisienses nuptias appellarunt*. Inopinato casu consternatus *Orangius*, quando interfectis *Colinijs* nulla à Gallis sperare posset auxilia, aleam tentandam cum *Albano* decreuit. Sed abnuente *Albano*: veritus ne Galli, suorum nece audita, dilaberentur, *Ludouico* fratri significat *Orangius* rebus suis vt consulat, fatisque cedat: ipse Mechliniam redit non sine vitæ discrimine, nam indusiati Hispani, Bataui sque immixti, noctu tentorium *Orangij* ingressi,
xc *Orangij discrimẽ.* occidissent, ni ipse à catella, quæ eodem lecto cubabat, contentiùs adlatrante, vnguibusque faciem heri vellicante expergefactus fuisset. Hinc plenus timore, in Hollandiam concessit; redditis *Albano* à *Ludouico* Montibus, qui maiori celeritate, quàm clementia quidquid in Brabantia, & Flandria ab *Orangio* captum, recuperat; vbique læta Regijs occurrente fortuna *Mondragonius* in Zelandia *Mondragonij facinora.* cum bis mille selectis militibus ausus pede transmittere Oceanum, quinque circiter millia passuum, admirabili fortitudine, Goesium ad Scaldis ostium obsidione liberauit, hostium exercitu cæso, vel fugato. *Fridericus* etiam in limite Hollandiæ Nardemo expugnato, sæuitia potiùs quàm rigore imbelles etiam trucidauit, tanto Hollandorum odio, vt obfirmatis desperatione animis, extrema omnia perpeti, quàm *Albani* iussa facere maluerint. Hinc Harlemum non modò xci *Harlemi obsidio.* oblatam veniam respuit; sed palam veteri religione exuta, fractis sacris imaginibus, octo mensium obsidionem tulerit pari hostium, vitæque contemptu; vt iam *Fridericus* reditum adornaret, nisi *Albanus* increpita filij incon- *Albanus filiũ increpat.* stantia per literas monuisset, *si locum ei in animo esset, deserere*, se quamuis lecto decumbentem in castra venturum; *aut (si morbo in horas ingrauescente impediretur) acersiturum ex Hispania matrem, quæ bello imposita, filij partes suppleret.* Ferociam tamen non remittebant obsessi. Quum enim è regijs castris proiectum esset in vrbem abscissum hominis caput, cum inscriptione, *Caput Philippi Coninx qui liberando Harlemo cum bis mille auxiliaribus venit.* Iterumque aliud, *Caput Antonij Pictoris, qui Montensem vrbem Gallis prodidit.* Harlemenses ca- *Arlemẽsium cõstantia.* ptiuis vndecim obtruncatis, capita dolio inclu- xcii sa, noctu in castra deuoluunt circumiecta dolio inscriptione, *Albano Harlemenses, vt ob decimum nummum adhuc non solutum persequatur bellum, decem capita persoluunt, ac pro vsura dilatæ solutionis vndecimum superaddunt.* Nec contenti homini illudere, Sanctorum ornamenta in mœnibus exposita flagris cædunt, *impietas* in castra proijciunt, suo tamen memorabili damno, nam dedita vrbe arbitrio victoris, præsidiarij vnà & ciues *Federici Toletani* sententia, continuato multorum dierum ferali spectaculo, omnes pereuntes, elusi impiè Numinis soluère pœnas. Tentata est etiam ab Hispanis Alcmaria, sed ingruente hyeme soluit Fridericus in castra. *Vide numeros obsidionales infra n. 100.*

In Belgiũ Interea aduenerat *Ludouicus Requesenius*, cui prouincia, & exercitu traditis, in Hispaniam cum filio *Albanus* concessit, benignè acceptus à Rege. Omnia in Belgio gesta an xciii *Albani relegatio* Regi grata fuerint? dubium facit relegatio *Albani* aliquot post annis sequuta. In eo tamen in-

for.

fortunio maior apparuit, in gloriâ calamitate conuersa. Etenim mortuo *Henrico* Lusitaniæ Rege, moturus illuc arma *Philippus* Rex, anceps quem tanto exercitui præficeret, omnibus posthabitis, *Albanum* elegit non sine aulæ admiratione, quod homini irritato tantam fideret expeditionem. Immo *Albanus* ipse gloriabundus respondisse ferebatur ei, qui eum ab exilio euocauerat, *Admirari se, quòd ad regnum subigendum, opus Regi fuerit catenato Duce.*

Clementiæ plus, quàm armorum cum secum tulisset *Requesenius*, fame laboranti *Mondragonio* Middelburgi tentauit accurrere, sed — *Orangij victoria naualis.*



non valuit. Sexaginta nauium instructa classe Antuerpiæ, Middelburgum nauigat. Vbi non longè *Orangium* obuium habuit, quorum in conspectu (nam ab vtraque parte diuisa classe, nec *Orangius*, nec *Requesenius* pugnarunt,) concurrentibus nauigijs, regij superantur. Hostium victoriam deditio Middelburgi illico est consecuta. Durante obsidione hi nummi cusi sunt. *Deo, Regi, Patriæ Fideles Middelburgenses.* Cladē tamen Mari acceptam, terra melior — *deditio Middelburgi.* — *nummus obsidion.*

Hi-

Hispanus reddidit. *Ludouicus Nassauius* frater
Orangij cum *Henrico* fratrum minimo; & *Chri-*
stophoro Bauaro filio Palatini Septemuiri, Gel-
xcv *Orangiani cæsi.* diæ constiterant, *Orangium* è Bomeliana insu-
la excepturi. Sequebatur illos ex altera Mosæ ri-
pa *Sanctius Auila* cum exercitu Hispano, qui
deportatis repentè transflumen copijs, Nassa-
uianos inter Vahalum ac Mosam tumultuario
aggere communitos, inuadit, sternit, tanta
strage vt ipsi Duces *Ludouicus*, & *Henricus*
fratres cum *Palatino* cæsi nec reperti inter ca-
dauera fuerint. Tam prosperæ victoriæ fru-
ctum atrox Hispanorum seditio perdidit ob
xcvi *Lugduni obsidio.* non soluta stipendia. Septimo tandem supra
quadragesimum diem sedato milite, Lugdu-
num Batauorum *Valdesio* ductore, obsessum
pergant. Principio expugnatis hostium muni-
tionibus, intercluso vndique commeatu, extre-
mam vrbi necessitatem indixit. Placidis tamen
inuitabat conditionibus ad deditionem. Sed il-
lis contemptim,irociterque respondentibus,
alimenta sibi non defutura, donec læuum bra-
chium restaret; hoc esuros, dextero ad libertatem
tuendam reseruato. Vana tamen erat sine viri-
bus ira; nam graui in vrbe excitato tumultu,
ciuibus fame passim expirantibus, plebs portas
aperire minabatur, ni Consules deditionem
properarent. Quod cum resciuisset *Valdesius*
xcvii aggressionem imperat in tertium diem. Inter-
ea Hagam profectus, amore captus illustris eo
loco fœminæ, tristiorem illam conspicatus, de
causa interrogat? respondenti *lætari non posse,*
instante Lugdunensium morte, vbi tot cari, affi-
nes, & amici degebant; Valdesius ne coniugij
spem intercideret, bono esse animo iubet, se-
cretò promittens; omissurum se aggrediendi
consilium: Quod is tanto liberalius polliceba-
tur, quantò certior erat, casuram vrbem sine
sanguine. Quod certò euenisset, ni vicini popu-
li à desperatione capientes consilium, rescissis
aquarum repagulis, in Lugdunensem agrum
Mosa, Isela, ipsoque Oceano immissis innũdas-
sent. Vt sic nauigando terras, Lugdunum na-
ues commeatum importarent. Quanti homi-
nes, quantaque classis subito ex vicinis insulis
emerserit? incredibile dictu. Hispani obsessi
veriùs, quàm obsidentes, castra leuarunt, vna
Valdesij culpa Marti Venerem immiscentis.
Augebat infortunium nauis Hispana ob tem-
pestatem in Angliæ portum delata, quæ ad mi-
litum stipendia quadraginta nummorum au-
reorum millia ferebat, ab *Elisabetha* Regina
retenta, causata regni necessitatem, frustra re-
pentẽte Hispano, qui paria referens, cũ naues
Anglorum ac bona per Belgium attineret, An-
gli naues quatuordecim Lusitanorum Indicis
mercibus onustas, ignaras inter vtramque na-
tionem dissidij, occuparunt; & gloriabundi in
honorem suæ *Elisabethæ* referentes plausum, *Vide supra Nũmos nu.*
votiuum nummum cudi fecerunt, in quo ve-
lut *Phænix resurgens* Regina conspicitur. *94.*

Augustus etiam Saxoniæ Elector *Orangij*
affinis, quo securiùs *Gheusijs* suppetias affer-
ret, discordantes sectarios de religione, Tor-
gauiæ conuenire iussit, & concordiam re-
nuentes custodiæ tradidit; percusso *nummo vo-*
tiuo, in quo velut alter *Iosues à Deo missus* Au-
gustus, *gloriatur sibi Verbum Domini fuisse co-*
missum. Tantis malis nouus aduenit tumultus.
Hispani spe frustrata Lugdunensis predæ *Hispanorum seditio.*
stipendij loco destinatæ, Captum constri-
ctumque *Valdesium* non antè soluunt, quàm *Anno*
solutis à *Requesenio* stipendijs. Is cum à conti- *1575.*
nenti exclusis hostibus, Zelandiæ insulas perfu-
gio esse videret, in eas expeditionem decernit
ducibus, *Auila, Mondragonio, Vitellio* vniuer- xcviii
sam expeditionem moderante. Sed quia per a-
pertum mare agere non licebat, hostili præua-
lente classe, per interiecta insulis freta, quæ
alicubi pedibus transmittuntur, ire destinat.
Monstra marina dicas fuisse milites istos, quæ
non minùs aduersùs homines, & propugnacu-
la in ipsis aquis ab *Orangio* erecta pugnarint,
sed aduersùs elementa. Nisi dicas indignatam
mortem respuisse amentes, qui mori volebant;
& qui non ad pugnam sed ad necem se in-
flammarant, certi non euasuri periculum. Na-
tantes itaque non minus inter vortices,
quàm inter tela Philippolandiam appellunt,
vbi hoste pulso admiratione priùs, quàm
violentia, Scandiam nono post mense totam
expugnant, *Requesenio*, & *Vitellio* paulò antè xcix
sublatis. Is dum Scaldensi obsidioni intentus *Vitellij & Requesenij mors.*
huc, illucque cursitat, euersa sella, ex aggere de-
cidens, eoque casu repentè exanimatus, mox
ingrauescente morbo, occubuit Italæ militiæ
gloria. *Requesenius* dum Scaldiæ instaret, audi-
to in Brabantia regij equitatus tumultu, veri-
tus, ne pedites idem attentarent, dum protinùs
contendit, altero quàm Bruxellas attigit die,
moritur vir bello, paceque clarus. Suorum vi-
ctorijs nullo modo ferocior factus, pacem
semper sollicitauerat; coactis Bredæ comitijs,
vbi adfuere *Maximiliani* Cæsaris legati seriò

instantes, ne motus isti aliquando in exitium totius erumperent imperij. Verum Gheusijs religionis specie obfirmatis, ne dominium deponerent, conuentus soluitur, cuso numismate, in quo *pileum libertatis symbolum* conspicitur. *Vide n. 94.*

Belgicæ administrationis summa penes Senatum remansit, dubitante Rege, an ea confirmanda esset regiminis forma, quòd Belgarum proceres traditam sibi Rempublicam curaturi dicerentur attentiùs. Importuna tamen erat tumultuanti Belgio plurium gubernatio, quòd turbatis maximè rebus remedium ab vnius imperio peti soleat. Populus in Senatu nullam agnoscebat maiestatem: & potentiam in multis diuisam non magnoperè formidandam. Nobiles imperium suorum vti parium spernebant. Nec deerant, qui discordiam fouentes, noua meditarentur. Non defuit sibi *Orangius*. Occasione discordiæ vtendum ratus, non destitit, donec concitatis Ordinibus in Hispanos excitauerit arma, & prò non solutis stipendijs miles, oppida, domos popularetur; totumque Belgium ad defectionem spectaret. Tum Rex *Ioannem Austriacum* Belgij moderatorem designatum festinare iubet pluribus Turcarum victoriis clarum. *Prima* ad Naupactum, Anno 1571. Cyprum Insulam Turca Venetis eripuerat; in hac Bragadenum vrbis præfectum, per summum scelus, violata fide, viuum excoriarat. Hinc Summus Pontifex, Rex Hispanus, Veneti percusso fœdere, classem instructissimam, Duce *Ioanne Austriaco*, emiserunt, qui ad sinum Corynthiacum comisso prælio, classem Turcicam feliciter profligauit, Turcarum cæde ad 25000 captis: 4000. Christianorum liberatis captiuis 14000. Ornauit Victoriæ nobilitatem Colossus Messanæ propè portum erectus. *Secunda* in Africa, vbi recuperato Tuneto, *Amida* Rege capto, iterum traiecit, Cæsaris vsurpato lemmate. *Veni, & Vici* in nummo, quem in memoriam expeditionis cudi curauit. *Vide supra n. 94.*

c *Io: Austriacus.*

Itinere itaque duobus tantùm comitibus per Galliam maturato, eodem die, quo Hispani, ac Germani milites Antuerpiam furibundi irruperant, *Ioannes Austriacus* filius *Caroli V.* Imperatoris, Belgium intrauit specie mancipij. Lucemburgi larua deposita, Senatui, & Tribunis mandauit arma ponere. Paruere isti, non Senatus, *Orangio* instigante *Gubernatorem* non ante suscipere, quàm eiectis Hispanis. Quod negandum asserebat *Octauius Gonzaga* vnus à Secretis *Austriaco*; quia *hoc votum esset Orangij vt vacuas milite prouincias tutò inuadere posset. Si gubernatori conditiones præscribunt armato, quid facient inermi?* Ex aduerso *Escouedus* alter à Secretis *Austriaco* non alia via credebat in Belgium pergendum, *quàm si à vi abstineret, quòd Prouinciæ fermè omnes, sacer æquè ac profanus ordo sacramento adicti, non passuri quempiam Belgio imperare, nisi externa ante dimissa militia: Securitate cum alij non adhuc profecissent, tentaret ipse clementia, & molliori plagam sanare remedio. Nec de milite anxius esset, qui facile ex Germania, & Burgundia poterat euocari, donec mitteretur ab Hispania.* In hanc partem inclinauit *Austriacus*, ne retenta militia, maiori apud Regē insimularetur inhiare fortunę. Vel ne Belgico implicitus bello, Anglicam amitteret expeditionem, quā in animo habebat reginæ in vxorē, & regni cupidus; vel quod & ipse fideret sola clemētia posse Belgiū pacificari. Hinc fœdus in hęc verba sancitū (*Nos Ordinum Delegati hic subscripti promittimus hoc fœdus perpetuò retenturi ad Sacrosanctæ fidei, & Apostolicæ Romanæ Religionis conseruationem, ad pacificationis perfectionem: ad Hispanorum, eisque inhærentium eiectionem: obedientiæ Regiæ Maiestati debita interim semper salua*) consulto Rege, firmauit. Grauate discedebant Hispani, nec sine tumultu, querentes vt Regiæ Maiestatis hostes Belgio propulsari, qui Regi Belgium asseruerant. *Orangius* verò dolens admissum *Austriacum*, gratulantibus finitimis Principibus; cum & ipse, & Hollandi inuitarentur edicto subscribere, respondit, *religione impediri, ne cum cæteris subscriberet*. Vrgenti Areschoti Duci *commune prouinciarum fœdus ratum vellet*, negauit; nudato capite subridens, *Vides* (inquit) *hoc caluitium? scito me non magis capite, quàm corde caluum esse*. Hinc ad suscitandas turbas, clam Senatores, Ordines monet, miseratur, irascitur quòd *recuperatam proycerent libertatem, nec viderent in Lucemburgensi prouincia delitescere Hispanos modò reuocandos*. Tantam inuidiam rumor is de reuocandis Hispanis conflauit Austriaco, vt omnia in malum interpretarentur. Non esse (aiebat *Orangius*) quod Austriaci crederent iuramento, quia in Hispania priùs ante iurasset; nihil se in Belgio contra Regis commoda consensurum. Sic ludificatos à *Carolo Octauo* Gallorum Rege Florentinos, quibus iurauerat, quamprimùm Pisas redditurum. Fidem dein repetentibus

cxii *Hispanorum missio.*

Anno 1577.

ciii *Orangius suscitat Belgas in Austriacū.*

ci

bus responderit, se priùs Pisanis contrarium iurasse. Vbi verò inclinatos Belgas cognouit *Orangius*, ratus posse *Austriacum* armis, & populi beneuolentia destitutum facile opprimi, amicos immisit, qui vel raperent, vel occiderent. Nec latuère *Austriacum* insidiæ. Occasio-
civ *Austriaci fuga.* nem nactus occurrendi Galliæ Regis sorori ad aquas Spadanas proficiscenti, magno Nobilium comitatu, Namurcum venit. Vbi perhonorificè exceptus, postridiè quasi venaturus, ex composito arcem Namurci obequitans, laudare locum non ante visum cœpit. Inuitatus ad introspiciendum à *Barlamontij* præfecti filijs, non inuito arcis gubernatore, cum comitibus ingressus, statim occupatis munitionibus, mutatis præsidiarijs, conuersus ad comites, gratulatusque hunc primum regiminis sui diem, cum vsque adhuc solum titulum habuisset. Inde Ordinibus rationem facti explanat. Ipsi verò accusantes conficta insidias, vt belli causam quæreret, ipse negaret: *Ruuartes* creatur *Orangius* Bruxellas accersitus (is erat quasi Romanis *cv Ruuartes quid?*
dictator). Ex Septemdecim prouincijs, queis Belgium constat, duæ tantummodò Lucemburgum, & Namurcum cum *Austriaco* sentiebant, facile expellendo, cum vix quatuor hominum millia haberet sub signis, si *Orangius* quindecim hominum millibus instructus illicò aggressus fuisset. Sed ordinandæ Brabantiæ omnia posthabens; vt Hollandiæ præcaueret, eius consilio arcem diruerunt Antuerpienses; quorum exemplũ non minori alacritate secuti cæteri, excusso arciũ iugo, ceu primos libertatis dies agitauere. Dũ hæc in Belgio in Germania:

MORS MAXIMILIANI II. IMPERATORIS. Ann. 1576.

cvi Contigit. Siue curis confectus, siue longa corporis ægritudine debilitatus, optimè meritam de Christiana Republica animam in comitijs, & quasi inter Ordinum imperij manus Deo reddidit die XII Octob. Anno ætatis IL. Mense II. Die XII. In agone mortis constitutus, historiam de Scala Cœli Iacobæa sibi prælegi mandauit; & cum dictum Christi *Nemo ascendit ad Cælum, nisi qui de Cælo descẽdit; Filius hominis qui in Cælo est. Ioh. 3.* legeretur, Ipse verò addebat, *& omnes qui in eũ credunt.* Mortuus dicitur in comitijs, quæ coegerat, vt expeditionẽ in *Stephanũ Battoreũ* adiuuarent. Mortuo namque *Carolo IX.* Francorum Rege, *Caroli*
Henricus III. frater eius Rex Polonorum nocte *IX. mors.*
intempesta, celatoque abitu suo Polonorum Regulis, citatis equis Parisios venerat, ad susci- *cvii*
piendam coronam. Testimonium est nummus *eligitur Maxi-*
votiuus, in quo *humi posita duæ coronæ* (insignia *mil. Rex*
sunt Galliæ, & Poloniæ) *quas spernit, de tertia* *Poloniæ.*







in Cælo confidens. Huius reditum cum frustra aliquandiù Poloni expectassent, *Maximilianum II.* Imperatorem, Regem sibi crearunt, magna instante prò *Maximiliano* parte Senatus Pauci verò ex proceribus *Annam* sororem defuncti Regis *Sigismundi* Reginam eligunt

ea conditione, vt maritum sibi sumeret *Stephanum Batoreum* Transylvaniæ principem. Ad vtrumque factiones legatos suos direxerunt; Vnde in æde D. Augustini Viennæ sacra suscipit Imperator. Cumque omnia videret ad bellum spectare, comitia indicit. In quibus dum moram trahit, vel pacem præfert spreta corona, morte præuentus potiora regna quæsiuit. In hac coronatione castrensis cusus est nummus, in quo vsurpata veteri Laurentium lege, *ne quid alienum tollerent in armum*, Bathoreum lancea transuerberat.

CVIII Exequijs eius ritè celebratis; *Rudolphus* filius suffectus, vt nulla pompa prætermissa patris animæ parentaret, ferales nummos cudi fecit; quos supra vides.

EPITAPHIA.

Maximus Æmilius, Romanus in Orbe Monarcha CIX
Hic Moriens posuit corporis exuuias.
Nominis illius fuit Cæsar ille Secundus.
Sed nulli meritis ille secundus erat.
Cæsare descendens proauo, patruoque Monarcha
Cæsare progenitus, Cæsar & ipse fuit.
Insuper imperij quoque nato sceptra reliquit
Quo nullum maius gessit in orbe decus.

Aliud.

ALta qVIes praLVstre CapVt qVoD praefVIt OrbI
SVbrVIt eXCeLLens VIX tegIt Vrna DeCVs.

Aliud ex *Reusnero.*

Quo iacet in tumulo ter Maximus Æmilianus.
Cæsar, in hoc virtus, Paxque, fidesque iacent
Clara dedit vitam Fabiana, Tiberia mortem
Vrbs Mausolæum nobile Praga tenet.

CAPVT TERTIVM.

Linguarum peritia in *Maximiliano II.* Imperatore, qui ferè omnia calebat idiomata, thema nobis exhibet exarandum,

De Linguarum peritia.

1 *Lingua optima & pessima. 2. ethymologia. 3. officia. 5. loquendi vsus à natura. 10. prima lingua an fuerit hebræa. 11. linguæ hebraicæ dignitas. mystica est, in Cælo scripta, prima & vltima erit hebræa. in patria qua lingua loquendū. 12. linguarū confusio quādo facta, an ante Babel. 13. causa confusionis. 15. linguæ quot. 16. an perierit aliqua lingua. 17. cōfusio facta à Deo, vel ab Angelo. linguarum donum diabolus dare an possit. 18. confusio linguarum quomodo facta. 19. linguæ omnes sūt maternæ. 19. puer expositus in sylua nullo loqueretur idiomate. 20. carceratorum Venetorum peculiare idioma. 20. vnio linguarum à Christo reparatur. 23. donum Dei est linguarum peritia. maledictionis signum seruire principi loquenti diuerso idiomate. 24. & 27. Reges qui linguas taluerint. 25. linguarum peritia aliquibus odiosa. 26. lingua pro societate. 27. æstimata à Turcis. 28. & 32. quam vtilis. 29. Printipes electores tenentur ediscere linguas. 30. principi necessaria. 34. linguarum confusio pœna est. 35. linguæ maternæ priuilegium, custodia.*

1 *auctoris querela.*

3 *Angelus quomodo vocem emittat. 11. qua lingua loquatur. 17. Angeli custodes prouinciarum.*

4 *bruta an habeant vim loquendi, & comunicandi. 33. naturalem habent consonantiam.*

5 *nominum virtus. 6. an à natura. 7. an ad libitum vel à natura significent.*

5 *Deorum excantatio quomodo fieret.*

5 *Romanorum genius* Latinus.

6 *Efficacia nominis IESV.*

8 *Deus anonymus est, idest non habet nomen. 9. eius nomen Iehoua an hebræum.*

13. *Noe adstat fabricæ Babylonis.*

14 *Nimrodus cur Babel extrueret.*

14 *melius est habitare cum catulo, quàm cum homine linguæ diuersæ.*

15. *Mithridates viginti duo caluit idiomata.* 24

17 *creatio solius Dei est.*

21 *Apostoli loquuntur linguis varijs, quomodo & cur.* 32.

22 *linguarum peritia principem decet. 31. sit conformis populo lingua, moribus.*

22 *amor est harmonicus.*

22 *Alexander cur Persarum loqueretur lingua.*

23 *Aßuerus eandem legem exarari volebat linguis omnibus populorum suorum.*

26 *legatus sit linguarum peritus. symbolum legati.* 32.

26 *eloquentiæ symbolum.*

33 *Adam cum Brutis nomina imposuit, quomodo intelligeretur ab eis.*

34 *Turcæ non obligantur, nisi cum materna loquuntur lingua.*

34 *Andreas Gritti Legatus Venetus à Turcis* car-

carceri datus.

35 *Romani vbique latinam volebant exerceri linguam. Magistros habuere in prouincijs latini sermonis.*

36 *Rudolphus I. Imper. iubet leges exarari solum lingua Germanica, sic Veneti.*

I *Lingua optima, & pessima.* REm omnium optimam, atque pessimam aggredior, *linguam*, aiebat Anacharsis. Optima mea fuerit vel pessima? cum Christo dicam, *interroga eos, qui me audierunt. Si malè loquutus sum, testimonium perhibe de malo. Sin autem benè, cur me cædis?* Quis me cædat? Liuor sit, aut veritas, Deus scit. Insurrexerunt in me testes iniqui, sed mentita est iniquitas sibi. In Deo speraui; non timebo quid faciat mihi homo. Loqui cum non didicerim adhuc, sileam: ne vel odiosa veritas me auocet in iudicium. Nescit enim vox missa reuerti. In solo natus libertatis, vbi licet sentire quæ volo, & dicere quæ sentio, dumodò sermo à tramite non recedat honesti, lubeat inuidos adnotare, non quid dico sed quid taceo: si tamen tacere fas est, vbi lingua recurrit. Linguam *Hugo de S. Victore* à lingendo dicit, quia lingit adulando,

II *linguæ æthymologia.* mordet detrahendo, attrahit mentiendo, ligat, & ligari non potest: labilis, & teneri non potest, sed labitur, & fallitur. Labitur vt anguilla, penetrat vt sagitta, tollit amicos, multiplicat inimicos, mouet rixas, seminat discordias, vno ictu multos percutit, & interficit: blanda est, vt subdola: lata & parata ad exhaurienda bona, & miscenda mala. Qui eam custodit, custodit animam, quoniam mors & vita in potestate linguæ est. *l. b. 2. de Anima.*

Lingua post rationis vsum nihil homini præstantius Sūmus Opifex dedit; qua nō multo minùs, quàm intelligendi vi, se demonstrat cæte-

III *Linguæ officia.* ris animantibus longe diuiniorem. Eius in homine duplicem vsum Stagyrita agnouit. Alterum vitæ necessarium, & in gustu consistit: alterum vtilem, quo animi interpretatio, locutioque perficitur, soli homini ab Opifice tributa. Porrò cum geminus linguæ sit vsus; ita duobus membris enascitur, & adhæret, videlicet æsophago siue gulæ; & asperæ arteriæ siue iugulo: illi quidem vt præmansum cibum & potum, veluti manus quædam subministret: huic verò vt vocem emissam articulatè formet. Vnde duplicem administramus cibum per linguam; corporalem videlicet ab his ipsis, & spiritualem cæteris. De prima administratione inquit *Varro*, quod lingua dicitur quasi cibum ligans, ipsum enim circumuoluens dentibus contrendum præbet: postea conglobans in ventrem demittit. De secunda manifestum est, qualiter lingua præbemus cæteris pabulum verbi Dei. Et quod facit homo sensibili voce, efficit Angelus imprimendo conceptum. Emittit aliquando etiam vocem sensibilem; vt in Christi ascensione memoratur fecisse audientibus omnibus: *Viri Galilei, quid statis aspicientes in Cælum. Act. 1.* Est etiam non Egyptiorum modò, IV *loquendi & communicandi vis an brutis insit?*

sed & Græcorum opinio (vt scribit *Goropius lib. 1. Hermathenæ*) non homini tantùm à natura loquendi, communicandique vim inesse, sed brutis etiam animantibus eandem tribui facultatem, qua, quæ velint, suo generi exponant. Si in cœnum ceciderit elephas, à quo se neque solus, neque vnius ope liberare queat; idque alteri indicet videnti; is statim monitus, alijs casum nunciat, atque ita re intellecta, plures elephanti lapso ferunt suppetias; vt refert *Clemens Alexandrinus 1. Stromatum.* Apollonius Ephesi passerum sermonem interpretatus legitur. Paraca vrbs Indiæ celebratur, cuius ciues draconis vel hepate, vel corde comesto, omnium animalium voces, ac murmura intelligunt. Quod moderatè accipias, ne rationabili creaturæ vim inferas, & iniuriam. Rationem namque ita hominum facimus propriam, vt supra instinctum nil cognoscamus in brutis. Quibus si à natura ea vis est tributa, vt sua inter se significare atque conferre possint cuius malitiæ erit, negare homini collocutionis vsum ab ipsius naturæ fontibus emanasse. Hinc admirabilem V *Virtus nominū.*

quandam vim certis inesse nominibus natura insuflante decantant: quia sæpè videmus morbos difficillimos, & frustra à medicis tentatos curari. Catonem citant, cuius grauitas ab incantamentis non abhorruit. Prisci homines Vrbium tutelares Deos excantare, id est certis verbis euocare solebant, quorum forma apud Macrobium legitur. Qua de causa Romani *Latinum* vrbis suæ genium, & nomen diligenter celarunt, ne si ab hostibus cognitum esset Numen vrbi præsidens elici posset. Rebus omnibus cum peculiares, & proprias nomenclaturas natura dederit: si quis sciret, mirabilia ageret. Pythagoras tantam vim credebat in vocibus occultari, vt si quis mali ominis nomine vocaretur, ei censeret nomen permutandum; ne eius occulta contagione aliena subiret infor-

fortunia. Superstitio hæc sit vel religio? vt solvere non aggredior, ita Nomen Dei Sanctum, atque terribile excipio, cuius virtute pelluntur

VI *Nominis Iesu efficacia.*

morbi, fugantur dæmones. *In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis: serpentes tollent: et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, & benè habebunt. Mar.* 17. Prospera omnia ei pollicebantur Hebræi, cui *Tetragrammaton* benè pronunciare diuinitùs esset concessum: quod non nisi paucissimis ab omni æuo, singulari Dei munere contigisse arbitrantur. Qua de causa ne perperam pronunciando peccarent, loco *Tetragrammaton*, modò *Adonai*, modò *Eloyn* efferre consueuerunt. Hinc vocabulorum virtuti vim magna operandi alligantes, voces Sacras vel à Syris, vel ab Hebræis in solennibus ritibus vsurpatas, in aliam linguam transferri prohibent, ne vnà cum vocibus sublatis mysteria omnia, & vires carminis tollerentur è medio.

nominum vis an à natura.

Hinc deducunt non ab hominum arbitrio, sed vel à natura, vel ab ipsius naturæ opifice vt origines, ita & vires sortiri nomina; quatenùs hæc signa sunt potentiæ supernæ: non quod verborum materialium, neque characterum ea vis

VII sit; nam neque ipsum sanctissimum nomen Iesu, quod ad omnia efficacissimum est, vim eam habet materialiter, sed quia Deum significat Saluatorem, cui placuit tali nomine inuocari, & sub tali nomine dæmones torquere; quasi se alligauerit nobiscum cõcurrere, cum piè & fideliter eo nomine Iesũ inuocamus. Hoc sensu legitur, In nomine Iesu flectitur omne genu cœlestium, terrestrium, & infernorum *Philip.* 2.10. id est Maiestati eius, quẽ hoc nomine imploramus, omnia sunt subdita. Hinc fit perspicuũ nomina, ac rerum simulachra à natura nõ

nomina an naturaliter, vel ad placitũ significent?

effluere; aliàs vbique gentium eadem essent. Verumtamen ab homine imponi naturam conuenienter, & aptè sequente: vt Ethymologia probat, quam in totum tollere necesse esset, nisi rationabiliter dicerentur imposita nomina. Naturaliter itaque significant, qua conuenienter naturæ posita: & ad placitum, quia ab homine posita, sed sic posita, vt rei significatæ naturam sequantur.

VIII Quod si Adam dicatur *Genes.* 2. appellasse res *nominibus suis*; explica, id est proprijs & maximè congruentibus. Nomina namque indidit, quæ proprietates & naturas eorum maximè exprimerent, quantum cognitio permittit humana. In *Iehoua*, qui est nomen Dei, quod tamẽ dici, scribi, vel computari non potest, dicente ipso, *Ego sum, qui sum*, ne plus virium credas reperiri, quàm in quouis Dei nomine: nisi quod vox *Iehoua* essentiam notat, quam aliæ non exprimunt voces. Anonymum est qui dicat

Deus anonymus est.

Deum, id est omni nomine carentem, quia solus & vnus est. Non enim opus est proprio nomine, addit *Lactantius*, nisi cum discrimen exigit multitudo.

Cur ergo Isaias ait, *Tu es Iehoua pater noster, redemptor noster, ab æterno nomen tuum.* Si IX ab æterno, ergo ante hominem Dei nomen? Respondet Iustinus Martyr numquàm Deum sibi imposuisse nomen. Nomen Dei dicitur ab æterno, vt æterna eius significetur potentia, & annuantur arcana, quæ per nomen Iehoua pandere, & explanare solet. Ita accipienda sunt verba, *Ego Dominus, qui apparui Abrahæ, & Isaac, & Iacob, & in Deo Omnipotente, & nomen meum Iehoua non indicaui eis.* Neque enim Abrahæ, neque cuiquam priorum Patriarcharum Deus tanta & magnalia ostendit, quanta Moysi in Ægypto, in mari Erithræo, & in deserto, quum à Moyse nomine Iehouæ inuocaretur. Hebraicum verò, vel Egyptiacum hoc nomen sit? Doctores disputant, nec facile conueniunt, quia & quot linguæ vel nunc sint, vel olim fuerint, forsan ignorant. In hoc consonant, quamuis *Goropius* X

Prima lingua Hebraea fuit.

dissonet, linguam, quam ab exordio Adam habuit, & secundum quam imposuit animalibus nomina, Hebræam fuisse, quæ ante linguarum diuisionem non appellabatur Hebræa. Erat quippe vna duntaxat lingua communis omnium hominum, *Erat terra labij vnius, & sermonum eorundem; Genes.* 2. Facta verò diuisione, lingua quæ omnium communis fuerat, specialis facta est in familia, *Heber*, quo viuente, linguarum diuisio contigit, idcirco ab *Heber* postea Hebræa dicta est: quod nomen Abrahamo primùm tributum legitur, *Genes. c.* 14. Hæc illa lingua, qua vtuntur (si tamen aliquo vtuntur idiomate vocali) Intelligentiæ: XI

Angeli qua lingua loquãtur?

in qua (vt pulchrè notat *Georgius Venetus in tom.* 8. *ton.* 2. *Harmonia mundi*) data est lex, à Christo predicatũ Euangeliũ, hymni conscripti diuini, data oracula omnia, dempta tantummodò illa reuelatione, quæ Græcè Apocalypsis dicitur, Græco sermone tam exarata, quàm

Hebrea linguæ dignitas.

habita. Tum quia mystica est lingua in figuris, punctis, accentibus, & numeris per illas literas importatis: adeo ut secretiores Theologi ex reuo-

uolutione literarum & apicum, & ex supputatione numerorum per literas significatorum omnia promittant explicare. *Literæ hebreæ in cœlo scriptæ.* Tum quia literæ illæ dicuntur scriptę in sede Dei, hoc est in Cœlo: instar cuius figurarum sunt formatæ literæ ipsæ, quibus priùs vsus est Moyses in danda lege; quæ vt è Cœlo manauit, lingua etiam è Cœlo manante exaranda erat. Porrò vt prima homini è Cœlo descendit, ita vltima in Orbe Hebræa erit extirpata cõfusione illa, quæ in pęnam humanæ temeritatis & fastus inflicta est. Imo & in patria (si quis dabitur sermo vocalis) linguis cæteris obliteratis, Hebræa sola erit. Cuius signũ est, quia Intelligentię dum hominibus loquũtur scientibus ipsam linguã, vtuntur hebraico sermone. Quáuis nonnulli asserant Angelos singularũ gentium, cum quibus habitant, linguas exercere. Hebræa tamen mihi creditur conuenientior; quia sicut quælibet victoriosa ciuitas non solùm iugum imponit domitis gentibus, sed multoties, & idioma, sic Imperator illius ciuitatis supernæ, & astantes principes decernent, vt omnes illuc euecti loquantur lingua & sermone inde oriundo, & quo solebat vti princeps illius regni, dum inter homines versaretur. Quod forsitan erit, priusquàm illò deueniamus, vel saltem post iudicium futurum per ignem, iuxta illud Sophoniæ *In igne zeli mei deuorabitur omnis terra, & tunc reddam populis meis labium electum, vt inuocent nomen Domini, & seruiant ei humero vno.*

XII *Linguarũ confusio quando facta?* Quando verò linguarum sit facta diuisio? *Philastrius lib. de Hæresibus. c. 106.* putat ante turrim Babel varias fuisse linguas, quas tamen homines non ignorabant. In Babylonica postea dispersione in quolibet patre familias vnam tantùm mansisse linguam, à lingua alterius cuiuslibet patrisfamilias diuersam. Probare sententiam conatur ex *c.* 10. *Genes.*, vbi filij recensentur Noe distincti *secundùm cognationes, & linguas.* Falsum tamen, quia ex capite apparet sequenti ante dispersionem terram fuisse *labij vnius, & sermonum eorundem*: propterea dicendum in *capite* 10. figurate loqui per prolepsim de linguis quæ non erant, sed

XIII *Confusionis causa.* quæ paulò post futuræ erant in Babel. Linguarum vnde venerit confusio? Cronista soluit. In Armenia, quæ Babyloni est Orientalis cum cessante diluuio quieuisset arca, montana conscenderant posteri Noe diluuij metu: inde sensim metu abeunte, in valles descendetunt & campos. Occurrit Babylon, vbi spe maioris vbertatis fulciere casas. Cogitauit postea Nimrod, qui cum suis inter Noachi posteros præualebat, turrim ædificare, quæ arx esset suæ tyrannidis, & impietatis. *Noe adstat fabricæ Babylonis.* Noe adhuc viuens ædificationi interfuit, & fortè adiuuit sed pio voto, & longè diuerso à cogitationibus Nimrodi. Is de muris magis quàm de moribus solicitus, XIV nec ex recenti diluuij memoria sanior factus, sed audacior in tantam incidit insaniam, vt turrim cogitaret, qua Cœlum scanderet. *Sed & multitudinem hanc linguarum* (ait S. Asterius hom. aduer. auaritiam) *& idiomatum immoderata quorundam cupiditas in vitam nostram introduxit. Qui felicitate nimia lasciuientes; cum peruium sibi Cœlum fore credidissent, ridendamque eius ad ascensum turrim moliti essent in cassum, tum ipsi cohibiti sunt, & coerciti, tum pro consensu, concentuque sermonis dissidium atque dissensionem inuexerunt, humanaeque genti molestiam ex obscurarum sono vocum, interpretandique laborem reliquerunt.* Impietatis suæ mercedem nacti, confusionem nempe linguarum, & per linguarum confusionem, sententiæ animique diuisionem. Pœna grauissima, ob quam non possit vnusquisque vel contubernali, vel commeanti socio suos manifestare conceptus, & necessaria petere: vt melius sit (ait *Augustinus*) esse cum catulo, vel equo suo, quàm cum socio extranei idiomatis, quia intelliget catulus quæ ille non intelligit.

Quot fuerint linguæ tempore confusionis? XV *Linguæ quot?* pro certo haberi non potest. Linguas diuisas non fuisse iuxta numerum *personarum* sed *familiarum*, quæ septuagintæ duæ creduntur extitisse. *Genes. c.* 10. est communis opinio. Sunt qui septuaginta quinque fuisse tradant. Alij numerum hunc longè superant; inter quos Plinius à *Thimosthene* memoriæ proditum tradit, in vnam Dioscurriadem Colchorum emporium, trecentarum linguarum homines solere conuenire: addens à Romanis postea per centum & triginta interpretes negotia ibi gesta fuisse. Mithridates non magnam Asiæ partem, si toti conferatur, imperio tenens, viginti duas in ditione sua habuisse, & didicisse constanti Scriptorum testimonio perhibetur. Quibus si reliquas addas, quæ toto tum Orbe diuersæ fuerunt, an non putamus maximum numerum euasurum? ita arguit *Goropius*. Quot sint in Orbe Atlantico, & apud Hyperboreos quis explicabit? Complures post Christi natalem nouas extitisse scimus num-

quam

quam antea factas, nedum cognitas: inter quas cum in sola Europa, minima totius Orbis parte, quàm plurimæ ab illo tempore exortæ sint; quid de cæteris innumeris gentibus cogitandum? Græcia tota cum insulis suis, Italia, Sardinia, Sicilia, Hispania, Gallia, Anglia, Scotia, nouis vtitur linguis, post dilaceratum Romanorum imperium, è diuersa priorum mixtione erratis, & corruptela.

XVI *an aliqua linguarum perierit?* Vtrum autem aliqua ex illis linguis omnino perierit, gente deleta, cuius illa propria erat lingua? affirmare videtur Plinius *lib. 5. c. 30.* scribens, *Ex Asia interiisse gentes tradit Eratosthenes Solymorum, Lelegum, Bebrycum, Colycantiorum, Trepsedorum. Isidorus Arimos, & Capretas, vbi sit Apamia condita à Seleuco Rege.*

XVII *confusio facta à Deo, vel ab Angelis?* Deus autem vel Angeli Deo iubente linguas miscuerint, vel vnam in plures multiplicauerint? iunctim videtur innuere Cronista, *Venite igitur, & descendamus & confundamus linguas eorum Genes. 2.* Vbi Origenes, *Quid aliud significet putandum est: nisi quòd diuersi Angeli diuersas in hominibus linguas ac loquelas operati sũt? Vt verbi gratia; vnus aliquis Angelus fuerit, qui Babylonicam, tunc vni earum gentium impresserint linguam: alius qui alij Egyptiam, & alius qui Græcam: & sic diuersarum gentium ipsi illi fortasse principes fuerint, qui linguarum, & loquelæ videbantur auctores. Mansit autem lingua per Alam primum data, quam nos fuisse putamus Hebræam in ea parte hominum, quæ non pars alicuius Angeli vel principis facta est, sed quæ Dei portio mansit. Extollit igitur vnusquisque Angelus gentem sibi creditam, & ab erroribus ad Deum conuertere studet. Et ab initio quidem sæculi huius, cum dispergeret Deus filios Adam, statuit fines gentium iuxta numerum Angelorum Dei, & suo quæque gens Angelo assignata est. Vna autem fuit & electa gens Israel, quæ portio Domini fuit, & funiculus hæreditatis eius.* Sic Origenes *homil. 51. in lib. Num.* Veriùs tamen Deum patrem non altero cuipiam loqui Deo, vt obijciebat Iulianus Apostata, sed filio suo, & Spiritui Sancto, vti fecit *c. 1. n. 26.* Vbi Creatio non Angelorum est opus, sed solius Dei, quamuis verbo vtatur plurali, *Faciamus hominem.* Ita linguarum confusio, non enim Angelus cuiusque populi rector suam ei linguam indidit, sed Deus qui per suam Omnipotentiam menti illabitur, & solus linguarum habitum infundit. Quare cognitio S. Scripturæ, vel linguæ Hebrææ, aut Græcæ, quum diabolus nonnullis Anabaptistis antea rudibus & idiotis, hausto bolo anabaptismi suggerit, non est habitualis, & permanens, sed tantum actualis quasi suggerendo, & inspirando secretò carmina. Quod ex eo patet, quia mox vt ad sanam fidem redierint, relicti à dæmone, ilicò in pristinam recidunt ignorantiam.

Qualis illa fuerit linguarum confusio, & quemadmodum facta? placet Cornelij à Lapide sententia, quòd Deus linguæ Hebraicæ primo obliuionē indixerit (Heber excepto & familia eius, qui primæuum & Sanctum retinuit idioma) delendo ex animis eorum hominum habitum illum, quo significationes omnium vocum illius linguæ cognitas habuerant. Hac obliuione obruti, cum ipsum Heber & Phaleg loquentes audirent quasi de Hebræa lingua nihil vnquàm audissent, vel nouissent, *conticuere omnes, intentique ora tenebant.* Deinde nouo impartito idiomate, quælibet familia quasi sibi maternum ita loquebatur, & de eloquutione gloriabatur, vt socium & conciuem aliter loquentem, musto madidum crederet, & irrideret insanum. Sic adinuicem se illudentes, & non intelligentes cessarunt ab opere, & dispersi sunt proprium ferentes idioma: quod ei naturale factum & maternum, quia à quo lingua venit Hebræa; & reliquæ veniunt. Puerum si exponas in sylua humano educatore semoto, vt fouisse legitur quidam Rex Egyptiorum, qua lingua loquuturum credimus? Hebræa sunt qui dicant, quia primigeniam. Nullam dico ego, quia non connascitur, neque ab oculto præceptore edocemur, sed publico, & externo. Per auditum acquiritur: & nisi à natura humanam sortiretur vocem, ferinam ex brutorum contubernio nancisceretur. Humanam itaque sed non articulatam, & cognitam sed nouam & à seipso progenitam & volatilium cantibus, ac quadrupedum consimilem vlulatibus, cum quibus diù fuisset versatus. Nec mireris dum nouum idioma recenseo; nam Venetijs qui carceribus detinentur, linguam adeo habent peculiarem, vt coram omnibus verba faciant, sed nullus intelligit præter eum, qui assiduo labore, & vsu, illius linguæ peritiam fuerit assecutus. Hæreditas hæc in nos à nostris transmissa maioribus, postquàm dilapidata concordia (quam per vnum labium, & vnam vocem Creator legauerat homini,) in Babylone conuenere cōcordes, sed quia aduersùs Deũ, recessere discordes. *Vidit Deus superbiam ipsorum,*

Marginal notes (right column): XVIII *Quomodo facta?* — XIX *lingua omnes materna & cui.* — XX *Linguarũ vnio à Christo reparato.*

rum, & hunc errorem (ait Augustinus) *illis immitti iussit, vt non se cognoscerent loquentes; & factæ sunt diuersæ linguæ per superbiam. Si superbia fecit diuersitates linguarum, Humilitas Christi congregauit diuersitates; tam quòd illa turris dissociauerat, Ecclesia colligit. tractat. 6. in Io.* Vt colligeret (attendite Principes) legatos suos, idest Apostolos linguis instruit, priusquàm Euangelium in orbem mitteret prædicaturos *Ab hoc die* (inquit S. Leo *ser. 2. de Pentecoste*) tuba *Euangelicæ prædicationis intonuit: ab hoc die imbres charismatum, flumina benedictionum omne desertum & vniuersam aridam rigauerunt.* Nec aliter poterant legari, qui ad omnes gentes destinabantur, omniumque erant Apostoli, & Doctores Christus ipse, qui de Cœlo descenderat, vt peccator ascenderet, varijs loquebatur linguis; idest cum lingua loqueretur patria, à varijs variarum linguarum gentibus intelligebatur. Verè Pastor oues suas tenebatur agnoscere. *Cognosco oues meas; & cognoscunt me meæ.* Sol planetarum princeps regiones suas percurrit sollicitus, & nulli vel nullibi incognitus. Amari magis cum debeat princeps, quàm timeri; nonnisi terrorem adferre potest genti illi, quam visitat peregrino sermone. Suum nequit populus credere Regem, in quo vel vocem dissimilem inuenit. Amor si est harmonicus, & ex consonantia nascitur; quomodò amabimus, quem etiam sermone discordem offendimus? Magnus Alexander vt Persas sibi deuinciret, patrio deposito amictu, talarem induit Persico more tunicam; ne gestu, voce, habitu deuictis populis se ostentaret extraneum, sed larua, & mendaci tunica ciuem mentiretur in aduena. Non latebat Macedonem peregrina verba tubam esse inter turbas Persarum, quod grandi nationis dedecore seruirent extraneis. Hoc signum iræ Dei (habet Heremias) quòd *adducam super vos gentem, cuius ignorabitis linguam, nec intelligetis, quid loquatur. c. 5.* Et Deuter. c. 28. *Adducam super te gentem de longinquo, cuius linguam intelligere non possis.* Benedictionis verò cœlestis argumentum est princeps linguarum peritus. *Vade* (ait Dominus Ezechieli) *ad domum Israel, & loqueris verba mea ad eos, non enim ad populum profundi sermonis, & ignotæ linguæ tu mitteris 3. n. 4.* Quid si Græcus mitteretur Romanis; vel Arabs Siculo? *Si nesciero* (respondet Paulus) *virtutem vocis, ero ei cui loquar barbarus, & qui loquitur mihi barbarus. Et si tantum benedixeris*

XXI *Apostoli varijs loquuntur linguis.*

Christus eodem tempore à pluribus nationibus intelligitur.

XXII *Princeps linguas calleat.*

XXIII *donū est Dei.*

spiritu, quis supplet locum idiotæ, quomodò dicet Amen super tuam benedictionem, quoniam quid dicis, nescit? Gratias ago Deo meo, quod vestrum linguis omnium loquar. Et postea, *Itaque fratres æmulamini prophetare, & loqui linguis nolite prohibere: 1. ad Cor. 14.* Reges qui populis præsunt diuersis, maximum facient dignitatis incrementum, si suæ innitantur prudentiæ, non aulicorum fidei, quæ vt plurimum mutatur in perfidiam. Assuerus Rex Medorum, qui ab India regnauit ad Æthiopiam, mandata sua eo volebat exarari idiomate, & lingua, cuius subditi essent periti. Propterea idem præceptum varijs vulgabatur linguis. *c. 1. Esther. 22. & c. 3. n. 12.* Hac ratione olim Xersem, & Mithridatem varias linguas discere non piguit. Duarum & viginti gentium, quas sub ditione habuit Mithridates linguas percalluit, earumque gentium per interpretem loquutus numquam. Idem legitur de Cleopatra regina Ægypti, quæ teste Plutarcho, per seipsam Æthiopibus, Throglóditis, Hebræis, Arabibus, Syris, Medis, Parthis, responsa dabat. Amalasunta Theodorici Ostrogothorum Regis filia, gentium omnium tenebat linguas, quibus aliquid commercij adhuc cum Romanis esset. XXIV

Non latet nonnullis odiosam fuisse linguarum peritiam: nam Alcibiadem Galenus reprehendit, quòd linguarum cumulo vteretur. Inter miracula erat, si quis duas nouisset linguas. Gerionem vt monstrum tricorporeum fabulæ fingunt, & tria corda habentem, quia tres linguas calleret. Sed eruditæ antiquitatis faciliùs est inuenire mysterium, si ad memoriam reuoces, *linguam* pro *societate, & fœdere* sumi. Heluetij post expulsos principes libertate firmata statuerunt, ne quis confœderatorum cum extraneo coiret, socijs inscijs. Reges quoque Gallorum prohibuere regnicolis omnibus sub pœna læsæ maiestatis, societatem seù *linguam* inire cum extraneis, vel literas mittere, nec accipere; *In edicto Caroli IX. de pacif. 1562. ar. 5. & Anno 1563. ar. 7. & 9.* Tantum abest vt linguarum noceat peritia, vt inter legati conditiones linguarum recenseatur peritia, & Gerionis symbolo explicetur. Alij statuam fingunt æream instar Colossi in templo fundati super solida rupe, cuius in medio collocata est, firmissima basi consistens, ordine duplici columnarum forma circulari circumdata, in quibus singulis conspiciuntur virorum imagines, qui in celeberrimis linguis, quæ nobis notæ

XXV *linguarū peritia quibus odiosa fuerit.*

XXVI *lingua pro societate.*

legati conditio.

symbolū.

ſunt, excellentes fuerunt. Tenet coloſſus manu
ſiniſtra facem flammis coruſcantem; In dex-
tra vas plenum aquæ. In ore eius apparet lingua
aurea, ex qua dependent aureæ catenulæ ſubti-
les, quibus trahit ad ſe infinitam hominum
multitudinem, annexam auriculis non vi, ſed
ſponte, magnaque alacritate ad eam properan-
tem. Sub pedibus eius veluti dormientes imma-
nes beluæ, Tigris, Aper, Vrſus. Picturam hanc
ita explicat *Camerarius*. Rupes indicat robur
& firmitatem eloquentiæ. Coloſſus excellen-
tiam eloquentiſſimorum virorum, quorum ſa-
pientia, & auctoritate ſuperantur rudiores, E-
xemplo ſint Pericles, Demoſthenes, Cicero: de
quo tanquàm Romanæ facundiæ principe, ta-
le extat Iulij Cœſaris præconium. *M.T. Cicero-
nem ob eius eximiam virtutem & egregias ani-
mi dotes, per vniuerſum terrarum Orbem ſal-
uum eſſe iubeo:* Ærea fingitur ſtatua, ob ſuauem
orationis ſonum, & diuturnitatem. Fax in ma-
nu ſiniſtra, vis ardens eſt eloquentiæ qua è te-
nebris in lucem deducitur veritas. In dextra
vas aqua plenum, flumen eſt eloquentiæ qua
facile prauæ eluuntur cupiditates. Catenulæ
aureæ à lingua emanantes hominem alacrem
trahentes, melifluus eſt orationis ſermo, quo
humanum deuincitur genus. Ferociſſimæ bel-
luæ infra pedes eloquentiæ accubantes barba-
ros etiam annuunt homines eloquentia delini-
tos, vt de Orphæo, & Amphione fabulantur
Poetæ lapides, bruta ſono conciliantibus.
Imagines in columnis nouem præcipuas lin-
guas demonſtrant, Græcam, Latinam, Ara-
bicam, Germanicam, Hetruſcam, Gallicam,
Hiſpanicam, Anglicam, Hebræam præterea
quia omnium matrem. Latus eloquentiæ Lin-
guæ ſæpiunt, quia dormit vel ſepulta iacet, ſi
XXVII lingua caret, qua auditorem ſibi conciliet. Tur-
cæ barbarorum ferociſſimi, & à literis maxi-
mè alieni, quot linguas quis callet, totidem viris
illum æquivalere, vulgato dictitant prouerbio.
Præterea Carolum Magnum, Fridericum II.,
Maximilianum I. Imperatores, qui diſcriminis
plenum aiebant, ſine linguarum peritia tracta-
re habenas imperij. Themiſtocles quamuis ſe-
quàm v- nex, & exul anni ſpatio ſummo labore Perſicè
tilis lin- loqui didicit, quo ſine interprete cum Xerſe
guarum loqui liberè poſſet. Mortale quidem Regibus
peritia. imperij arcana, quæ ſubuculam ipſam latere
XXVIII neceſſe eſt, ob linguarum ignauiam, homini
credere venali, & ore loqui alieno; Otho filius
Othonis I. Imperatoris nauali prœlio à Græcis
victus & à piratis captus, ſaluus non euaſiſſet,
niſi eum peritia linguæ Grecæ ſeruaſſet, qua vi-
ctores fefellit, in Siciliam euaſit, vbi eos vltimo
affecit ſupplicio. Idipſum mouit Auguſtum
Electorem Saxoniæ, vt ſeneſcentem latinam
ediſceret linguam; pœnitentia ductus quòd iu- XXIX
uenis neglexiſſet aurea monita Caroli IV., qui *Principi-*
in *Bulla aurea* de electione Imperatoris iubet *bus Ele-*
Electorum Principum filios à primis annis Ita- *ctoribus*
licam, Latinam, Illyricam linguam addiſcant, *neceſſa-*
qua ſermonem cum multis gentibus commu- *ria.*
nicare poſſint. Sigiſmundus Imperator cum in
Baſilienſi Concilio Germaniæ principes ru-
des aduerteret (ferè enim ad ſingula verba lati-
na interprete indigebant) adhortari illos cœpit,
vt ſaltem liberos ſuos bonis literis erudirent:
ne inter idiotas, & illiteratos non ſatis nobili-
tati decora vocabula numerarentur. *Dubra-* XXX
uius S. 25. Quomodo imperare poteſt ille, cui
verba deficiunt ad publicandum imperium?
Principem dices eum, qui ſubditis ſuis princi-
pem ſe neſcit appellare? ſi teſſera antiquitatis
eſt ſermo, quo hominem agnoſcebat, *Loquere,
fac vt videam*; ignotum & ſermone diſſimi-
lem vel contemnent, vel inuiti quieſcent, do-
nec adſit ſpes noua. *Vonones* Rex datus Parthis
à Romanis, lætanter primùm acceptus, quòd
ex regio Parthorum ſanguine ſibi Princeps da-
retur. *Mox ſubit pudor* (ait Tacitus *An. 2.*) *dege-* XXXI *rector ſit*
neraviſſe Parthos, petitum alio ex Orbe Regem *cõformis*
hoſtium artibus infectum: iam inter prouincias *populo.*
*Romanas ſolium Arſacidarum haberi, darique.
Vbi illam glorioſam trucidantium Craſſum, &
exturbantium Antonium prolẽ; ſi mancipiũ Cæſa-
ris, tot per annos ſeruitutẽ perpeſſum, Parthis im-
peritet?* Accendebat dedignantes & ipſe diuer-
ſus à maiorum inſtitutis, raro venatu, ſegni
equorum cura, quoties per vrbem incederet,
lecticæ geſtamine, faſtuque erga patrias epu-
las: irridebantur & Græci comites, ac viliſſima
vteſilium annulo clauſa: *ſed prompti aditus, ob-
uia comitas, ignotæ Parthis virtutes, noua vitia;
& quia ipſorum moribus aliena, perinde odium
prauis, & honeſtis.* Eodem voto odioſa erat
Amalaſunta Gothis, quia Atalaricum mori-
bus inſtrueret Romanis, melioribus quidem,
ſed ſibi ignotis. Hinc Iſabella Hiſpaniarum
Regina tabulis teſtamentarijs Ferdinandum
maritum, Caſtellæ rectorem, & tutorem dixit
excluſo Philippo filio, vt moribus imbueretur
Hiſpanis. Chriſtus miſſos Apoſtolos, vt in om-
nem terram reſonarent Euangelium, linguis
in-

instruit, non solū vt intelligerētur ab omnibus,
xxxii hoc enim vna poterat supplere lingua, vt eodem
tēpore à diuersis intelligerentur nationibus; sed
quamlibet nationē suo alloquerētur idiomate,
& nullibi aduenæ essent & peregrini, sed ciues,
& coloni. Dulce lenociniū patrius est sermo, vt
aduena intret in terrā alienā. Missus ab Assy-
riorū Rege Rabsaces, vt Iudæos solicitaret in
Regē Ezechiā, Hebræos credidit alliciendos, si
Hebraico loqueretur idiomate. Arcanū assequu
tus Sobna Ezechiæ aulicus Rabsacem tentauit
eludere, suadēdo vt lingua loqueretur Syriaca,
*Loquere lingua Syriaca ad seruos tuos: intelligi-
mus enim: ne loquaris ad nos Iudaicè in auribus
populi. Isa. 36.* Renuit porrò Rabsaces, imò *cla-
mauit lingua Iudaica*. Godofredo Bulionio re-
gnum Hierosolymitanum à Latinis ducibus
vltro delatum legimus, tum propter alias ani-
mi, corporisque regias dotes, tum verò etiam
quòd trilinguis, ac veluti triplici patria (vt qui
Gallus natus, Italus propter magnum auuncu-
lum Stephanum Romanum Pontif.; Germa-
nus, quia sub Cœsarum signis meruisset) Sacro
bello cunctorum animos in se verterat, & lin-
guarum peritia discordes sæpè conciliauerat.
Æmil. lib. 4. Si natura ad hominum eruditio-
nem ipsis in brutis regimen designauit, nam
apes, & grues vnam sequuntur ordine literario;
cum vrso non dominetur aper, & Leo canibus
nisi per violentiam; vt per naturam taurus præ-
cedit armenta: & elephantorum gregem excel-
lentissimus ducit. Quomodò Indis imperabit
Britannus, & Pannona Gallo? Habent & ipsa
naturalē quandam consonantiam sed in spetie
sua instinctu harmonicus genus non transcen-
dit. Cū Leone Leo conuenit non cū Vrso: nam
& Brutorū confabulatio vtcūque fit & equiuo-
ca ex similitudine consurgit; vnde aduersus
spetiem non pugnant, quamuis feritate plas-
xxxiii mata. Homo ipse vt dominaretur brutis, cū eis
nomina imposuit, vel ita est loquutus, vt &
Bruta intelligerent; vel irrationabile animal ita
Deus eleuauit, vt ei sermo non esset ignotus hu-
manus. Tradit namque *Moses Barcephas lib. de
Paradiso*. Adamum editiore Paradisi loco insi-
dentem, augustaque maiestate, ac vultus splen-
dore, qualem emicuisse è facie Moysis, vocē
quæ sensu excipi posset pronunciata, singulis
animantium generibus nomina indidisse, vnū-
quodque nominatim appellando: *illa verò sū-
missis capitibus prona, neque præ nimio decore,
quo ille splendebat intueri ipsum audentia, singi-
latim præteribant, & suis ab illo appellabantur
ex ordine nominibus. Cumque taurum ille nomi-
naret, continuò is audito nomine suo transibat
coram illo capite submisso: Similiter nominatim
citatus equus, præteribat deiecta ceruice, neque
Adami aspectum sustinens, idemque cæteris con-
tigit.* Hinc apparet Adamum non potuisse in

Bruta an intelligerēt Adamum.

bruta suum exercère imperium, nisi Deus irra-
tionabilia quodammodo rationabilia faceret
(mysticè porrò verba hæc interpretare, & sanè
rationabile verbum moderando, humanam ne
polluas dignitatem, rationem irrationali indul-
gendo) vnaque esset rationali, & irrationabili
lingua, vt suum agnoscerent imperatorem, &
tesseram fidelitatis acciperent. Nimrodus cum
sibi linguæ concordia non tam in homines pol-
liceretur imperium, quàm in Deum; linguarum xxxiv
confusione subditos illi Cœlum subtraxit, ne
soluere possent fidei iuramentum. Peregrina
namque si lingua iurassent, iure forsan periu-
rare potuissent. Turcarum Imperatores si quid
sanctè & religiosè promittunt, Turcica vtun-
tur lingua: sin fallere cogitant, neque stare pro-
missis, aliena alloquuntur legatos. Quam bar-
barorum fraudes cum Andreas Grittus Vene-
tis detexisset, à crudelissimo tyranno Byzantij
diù fuit detentus in vinculis. Prisci Romano- xxxv

Turcæ nō obligantur, nisi lingua loquantur materna.

rum Magistratus ad suam, populique Romani
maiestatem, illud quoque magna cum perseue-
rantia custodiebant, ne Græcis vnquàm nisi la-
tinè responsa darent. Quin etiam ipsa linguæ
volubilitate, qua plurimum valent, excussa, per
interpretem loqui cogebant: non in vrbe tan-
tùm, sed etiam in Græcia, & Asia: quo latinæ
vocis honos per omnes gentes venerabilior dif-
funderetur. *Val. Max. lib. 12. c. 2.* Ita vt Hispa-
niā, Galliā Latinas prorsùs fecerint, veteribus
illarum gentium linguis abolitis; delectisque
magistris, qui in Prouincijs linguam edocerent
Romanam, datisque priuilegijs Grammaticis,
vt linguam edocerent Romanam. Inter pluri-
ma vnum legitur *Instit. 1. tit. 25. de Excus. Tut.* xxxvi
quo ab onere tutelari eximuntur, cum medici
teneantur, Philosophi, atque legistæ. Romanos
æmulati Rudolphus I. Imper. ac Venetorum
Respublica; Germanica ille, Italica ista iussit
diplomata, instrumenta, mandata omnia, edi-
cta, priuilegia, contractus exarari: tum vt frau-
dibus obuiarent: tum vt nationis seruarent de-
corem; quæ vilesceret si patrio peregrinum
præferrent sermonem. Multo magis si per in-
terpretem suas inuiserent regiones, & populos;

vbique à Romanis lingua imperator latina.

LIBER XLVII.

CAPVT PRIMVM.

RVDOLPHVS II. PRVDENS

OCCIDENTIS IMPERATOR XLVII.

14. & 10. Rudolphi II. Imper. prudentia. 2. hieroglyphicum 3. sedendo vincit. 5. coronatur Bohemiæ, Hungariæ Rex, & Imperator. 6. Aquensibus prohibet mutare religionem. 8. mouet in Gebbardum Archiep. Colon. apostatam. 11. victoria Rudolphi. 12. ridendo moritur.
1 prudentia in serpente significata.
7 Gebbardus Colon. apostata. 9. ad Batauos confugit.

1 RVdolphi II. Imperatoris prudentiam, qua Orbem deuicit sedendo in hieroglyphico habes sub Archimedis imagine terram librantis solo prudentiæ pondere, quam serpens annuit iuxta id, *estote prudentes sicut serpentes Mat.* 10. Dum reliqui Principes in *Atlante* depicti cadunt pondere pressi principatus.

ALLVSIO AD HIEROGLYPHICVM.

I.

SÆpe acri, haud fallor, potior prudentia dextra est,
Qua orbem, præ reliquis, arte Rudolphe regis;
Æquior haud Themidis, quàm cùm prudentia librat,
Lanx est, regna hoc iure Rudolphe rotas;
Succollent alij, lunato poplite molem
Quam, solio hac residens, lege Rudolphe *geris.*

Franzinus.

II.

ATlantes deferre sinant ceruicibus Orbem,
Nam summo pressi pondere ad ima cadunt.
Magna decent Magnos; nimirum summa Rudolphus
Pondera iam verus, qui ferat, atlas adest.
Haud pauet hic lapsus, sed molem rectius orbis
Attonitis cunctis, dum sedet, ille gerit.
Proh laus excellens Regis! Sed quid voco laudem, est?
Sunt hæc prudenti præmia digna viro.

Ponginus.


Cor. van Merlen sculp.

RVDOLPHVS II.

Salutis Anno 1552 nascitur.

OCCIDENTIS IMPERATOR XLVII.

ELOGIVM.

III. *Philippi prudentia.*

Martem Diuine Phidia
Cæles mihi non in Cœlo,sed in circo.
Sub toga effingis? fingis
Ni sagum celes,& togam cæles:
Quia *Rudolphus secundus* verè *Primus*
vincere docuerit sedendo, dum alij pugnando.
Non Iubal, nec Tubal
Vel auras demulsit plectro, vel aures obtudit malleo.
Cœlestis Harmoniæ surripiens imaginem,
etiam discordiam in concentum aptauit:
Et sine ferro flagellauit ferrum,
Vt corda feriret, non chordas.
Nisi ferum dicas, & ferreum
qui solo calamo sciret occidere.

IV. *apud Philippum Regem Hispaniæ educatur.*

Dubitas de Magistro?
Monita, vel monstra sunt hæc *Philippi*,
quibus *Rudolphus*, magnus euaderet *Alexander*.
In aula enutritus Hispana
Spiritum hausit populorum dominatorem *Rudolphus*.
Cuius nomen
Vel Conditorem inscribit imperij, vel Seruatorem.
Diuersi tituli, æqualia iura.
Ille dedit,vt nasceretur;Hic,vt nunquàm moreretur
Austriaca Potestas.

V. *coronatur Hungariæ, Bohemiæ Frãcofurti.*

Immaturus annis, maturus animo
Apostolici Regni primùm fascibus admouetur. 1572
Bohemiæ inde & Imperij.
Triplici augustus solio 1576
Ita sedebat in vno,vt nulli videretur deesse.
Solium cum in Sole posuisset veritatis Romanæ

VI. *Aquensibus prohibet religionis mutationem.*

Hanc ne mergerent *Aquenses*, gladium extendit 1581
Quo Veritas Catholica emersit è puteo.
Aquisgrano *Coloniam* profugit Hæresis, vt ibi columnam erigeret,

VII. *Archiep. Colon. apostata.*

Manum non tam præstitit Archiepiscopus, quàm pedum,
Gebbardus Truchesius infulatus Apostata, non Apostolus 1582
Qui gemino pollutus adulterio,Hymeneum meditabatur sacrilegum
Cum duabus virginibus,vtraque Dei,
Ecclesia Sancta, ac Sanctimoniali;

VIII.

Romano cum discessisset à capite;
Iussit Cœsar etiam dignitate decedere.
Nefarium thalamum calamo præscripsit & capulo.

Confugit ad Batauos.

Profugus ille eò confugit, 1583
Vbi Eumenides libidinem vel accendunt in aquis;
Et Leo circuit,virginem quærens,quam deuoret.
Inter tot turbines
Perfidiæ Belgicæ, Germanæ Hæresis, tonantisque Bootis,
Ita *Rudolphus secundus* secunda velificauit aura,

Vt

Vt à summis, & imis *Prudentis* titulum vindicaret, X. *Rudolphi prudentia.*
Quem Maiestate vultus, & consilij grauitate sustinuit.
In Sapientum collegio Oraculum omnium
Alios ita consuluit, vt aliquid semper superadderet.
Non debet minùs sapere, qui cæterorum est caput.
Minus prospicit, qui conspicillis vtitur
Infelix Princeps, qui aulicis obuiare non audet, vel non potest.
Eloquentiæ non minùs flumen, quàm fulmen,
Etiam silentio elinguem reddidit synagogam Deorum.
Amari, quàm timeri malens,
Nec sagum induit, nec galeam pro galero posuit;
ferrum tamen non deposuit.
Fortunam Cœsaris palatij Palladium credidit,
Et pereuntis solatium, ad vltimum seruandam,
Hungariæ, Croatiæ, Dalmatiæ
Vastos campos sortitus in Capitolium.
Omnes palmites lauros fecit, & palmas. XI. *Victoria Rudolphi.*
Totius Orientis viribus, Turcæ obsidenti Sisacum
Paucos obiecit sed viros.
Tot Coclites misit, quot milites,
Lacones diceres, vel Leones
qui non se numerant, sed æstimant.
1593 Nam de sexaginta Turcarum Chiliadibus
sola Quinquaginta militum iactura triumphauit Cœsar.
Inde Agriam terruit, Budam concussit.
Albam Christianum transcripsit in album,
Strigonium extorsit, Iaurinum accepit
Mahometem, Ibraimum fudit, confudit
Constantinopolis ipsa contremuit, nominis amissa Constantia.
Fides ne Christi surgeret, Christianorum perfidia obstitit,
quæ auro potiùs, quàm ferro vincitur Barbarorum.
Sic Asiæ terror, Europæ tutor, XII.
Mortis præmens carpentum
1612 Patriam adijt Beatam
Infidelium reuisurus, quæ præmiserat spolia.

CATENA HISTORICA
CAPVT SECVNDVM

204. *symbolum*. 205. *Venereus*. 206. *Mathematica studet*. 207. *Pictura delectatur*. 208. *politicus*.

3 *Albani Ducis statua opprobrijs petita*.

4 *Orangius Moderator Belgij*. 10. *Amstellodamum occupat*.

4 *Io: Austriacus queritur in Rudolphum Austrium*. 7. *magna strage vincit fœderatos*. 8. *crucem arripit pro vexillo*. 15. *mors*. 16. *testamentum; eius mater qualis*.

17 *Sebastiani Regis Lusitani cædes in bello Africano*. 18. *nummus*:

20 *Henricus I. Rex Lusitaniæ*.

21 *Philippus II. Rex Hispaniarum Lusitaniam occupat, & Indias. nummus*. 22. *eiuratur à Belgis*. 72. *eius classis ab Anglis victa*. 145. *mors*. 143. *pax cum Gallis*.

8 *Alex. Farnesius laudatur à Io: Austriaco*. 9. *victoria*. 13. *sua industria seruat Hispanum exercitum*. 43. *nummus*. 44. *Antuerpiam occupat*. 76. *nummus*. 92. *mors*.

12 *Io: Sellius legatus Hispanus ad Belgas*.

12 *Alenconius frater Regis Gallorum suppetias fert Belgis in Hispanos*. 22. *designatur Gubernator*. 30. *inauguratur Dux Brabantiæ*. 31. *nummus, effigies*. 60. *fouet Hugonotas*.

12 *Maximil. Henninius fœderatorum ductor*.

32 *Antuerpienses quàm Regi fideles*.

34 *Gebbardus Archiep. Colon. Apostata uxorem ducit*. 37. *à Pontifice exauctoratur*. 40. *ad Orangium confugit*. 41. *nummus*.

34 *Alberti V. Bauari mors, symbolum*.

34 *Gulielmi V. Bauari religio, symbolum*.

36 *Friderici Saxonis Lauenburgici religio*.

36 *Augustus Saxo Septemuir. cautã improbat Gebbardi Colon. Electoris apostata*. 58. *mors, industria in colligenda pecunia*.

38 *Ernestus Bauarus Archiep. Colon*. 38. *Bonnam deditione accipit*. 41. *nummus*.

39 *Ferdinandi Bauari victoria, gesta*. 40. *capit Henricum Brunsuicensem*. 41. *nummus*.

45 *Elisabetha Anglorum Regina suppetias fert Belgis in Hispanos: nummi*. 70. *à Belgis nummo monetur*. 72. *victoria. nummus in Hispanos*. 136. *fœderis nummum percutit*. 177. *mors*.

46 *Roberti Dudlæi nummus in Batauos. Belgarum alter in eum*.

47 *Stephani Regis Poloniæ mors; nummus, victoria*.

49 *Ernestus Matthias ambit coronam Poloniæ*.

49 *Maximil. filius Maximiliani. II. Imperatoris amb. coronam Poloniæ*. 51. *eligitur*. 55. *victus, captus*. 57. *liberatur. nummi castrenses*. 101. *victoria in Turcas*. 125. *Dux expeditionis in Mehemetum III*. 127. *victus à Turcis*. 128. *nummus*. 155. *suppelectiles Sigismundi Bathorei intercipit*.

49 *Sigismundus filius Ioannis III. Suecorum Regis eligitur Rex Poloniæ*. 52. *eligitur*. 55. *vincit, capit Maximilianum Austrium*. 55. *modestè victoria vtitur*. 57. *nummi castrenses*. 77. *ducit Annam Austriã. nummus*.

49 *Theodorus Moscus ambit coronam Poloniæ*.

58 *Argentinates & Tygurini fœdus ineunt; nummus*.

60 *Henricus III. Rex Galliæ* legam Sanctam *in Hugonotas percutit*. 63 *in vitæ discrimine*. 65. *occiditur*.

66 *Caroli Lotharingi victoria, nummus*.

60 *Henricus Guisius in Regem conspirat*. 63. *in Nauarreos victoria*. 64. *occiditur*.

65 *Carolus Borbonius Cardinalis eligitur Rex Gallorum*.

68 *Carolus Emanuel Dux Sabaudiæ victor, & victus à Gallis. nummus triumphalis*.

61 *Ludouicus VVirtenbergicus fautor Protestantium in Gallos*.

61 *Fridericus VVirtemberg Fautor Protestantium in Gallos*.

62 *Henrici Regis Nauarræ victoria in Gallos. nummus*. 65. *eligitur Rex Gallorum*. 67. *nummi*. 69. *Ecclesiæ restituitur*. 96. *victoriæ nummi*. 130. *mouet in Belgas. nummus*. 200. *cædes pluribus signis prædicta*.

71 *Mauritius Nassouius Dux Belli ab Hollandis declaratur. nummus*. 73. *Bredam occupat. nummus*. 94. *Montes Gertrudis expugnat*. 95. *triumphus. nummus*. 131. *pacem respuentis nummus*. 137. *victoria de Hispanis. nummi triumphales*.

75 *Batauorum nummi*. 76. 136. 139. *pacem respuunt ab Hispano oblatam*.

79 *Carolus Dux Lotharingiæ eligitur Episcopus Argentinæ*.

79 *Io. Georgius Marchio Brandeburg. eligitur Episcopus Argentinæ*. 81. *nummus*.

82 *Ernesti Badensis nummus*.

82 *Francisci Vademontij nummus*.

84 *Amurathes Turcarum Imper. suos iure cæsos pronuntiat*. 85. *auarus*. 87. *mouet in Hungaros*. 88. *noua expeditio sub Sinano*. 107. *mors*.

90 *Veneti Palmam extruunt in Turcas*.

93 Ernestus Austrius ProRex Belgij. 94. symbolum, legatio ad Batauos. 133. mors.

91 Christophorus Teuffenbach victor in Turcas: nummus. 98. victoria. 99. Strigonium obsidet.

94 Mathias Austrius à Belgis euocatur. 23. se abdicat. 92. Dux belli in Turcas. 97. Nouogradum expugnat. 100. velut fugiens recedit. 114. Strigonium expugnat, & Vicegradum. 153. nummi honorarij. 172. Turcas cædit. 175. Pestam expugnat. 198. Rex Hungarorum, inuito fratre Rudolpho; postea annuente.

92 Nicolaus Palfius vicarius Matthiæ Austrij in Turcas. 123. Tallacam, Sanbicam expugnat. 129. nummus.

97 Nicolai Serini victoriæ in Turcas.

88 Sinani Turcarum P. Regis victoriæ. 100. Iaurinum occupat. 112. remouetur. 117. iterum præficitur.

100 Ferdinandi Ardechi perfidia. capite plectitur.

103 Sigismundi Bathorei religio, odium in Turcas. 104. punit coniuratos. 105. in Turcam victoria. 108. Mariam Christinam Austriam ducit in coniugem. odio habet. 110. vincit Ianiculam Bogdanum. 116. Turcas cædit. 127. Tergouistiam recuperat. 121. Tartaros vincit. publicè laudatur. 129. nummus. 146. Aureo Vellere donatur, cedit Transyluaniam. 147. fascinatus. 154. mutata opinione patriam repetit. 155. vxorem remittit. patriam cedit Andreæ Bathoreo. 165. victus à Valachis. 177. deditio.

104 Balthasar Bathoreus conspirat in Sigismundum cum Turcis.

107 Mehemetus III. Turcarum Imper. 117. imperitus regnandi. 119. discrimen. 125. crudelis, in Pannoniam descendit. 126. Agriam capit. 114. gratam habet Mansfeldij mortem. Effigies.

109 Michaelis VVaiuodæ Valachiæ in Turcas gesta. 112. victoriæ. 116. Sinanum Turcarum ducem vincit. 159. victoria in Cardinalem Bathoreum. 162. præturam Transiluaniæ petens, non auditur. 165. cædes.

113 Caroli Mansfeldij disciplina militaris. nummus.

113 Francisci Aldobrandini mors, fides erga Cæsarem.

115 Vicentius I. Dux Mantuæ. 170. Canisam obsidet.

122 Georgius Barbelus Tartaros vincit.

126 Venceslaus Terskius Agriam propugnat in Turcas.

130 Albertus Austrius Cardinalis, Gubernator Belgij. 134. Caletum expugnat. 135. nummus. 140. nuptiæ cum Clara Eugenia Hispana. 144. symbolum. 145. Mediolani honorificè habitus. 173. Ostendam obsidet. 193. pacem init cum Batauis.

132 Liræ amissæ, & recuperatæ nummus.

133 Philippus Gulielmus Nassouius libertati datur.

138 Christiani IV. Regis Daniæ nummi inaugurales.

141 Philippi III. Hispan. Regis nuptiæ cum Margar. Austria.

142 Andreas Austriæ Cardinal. Belgio praeest. 143. propugnaculum erigit S. Andreæ: nummus.

148 Andreæ Cardinal. Bathorei motus in Cæsarem. 157. occupat Transsyluaniam. 159. se clientem offert Pontifici. 160. occiditur.

149 Ardolphus Schuuartzembergius Iaurinum Turcis extorquet. nummus triumphalis. 156. Budam obsidet. 163. seditiosos Pappenses castigat. mors.

157 Georgius Basta mouet in Andream Bathoreum Cardinalem. 176. Bistrisiam occupat. 178. Moysem Valachum vincit. 182. Strigonium à Turcis defendit.

164 Canisa à Turcis expugnata.

164 Philippus Emanuel Dux Mercurij frustra tentat succurrere Canisæ. 172. expugnat Albam Regalem. mors.

170 Ferdinandus Archidux Austriæ Canisam obsidet.

174 Spinula Ostendam occupat.

180 Christiani II. Saxoniæ Septemuiri obsequium erga Cæsarem.

180 Iacobi Regis Angliæ inauguratio, nummi. 181. hostis Catholicorum. Britaniæ nomen instaurat.

183 Stephanus Bostkaius Cæsareos cædit. 184. cum Turcis conuenit. moneta. 185. Rex dictus à Turcis. 191. pacem init. 192. mors.

188 Cliuiæ Ducis ius in ciuitate Aquisgrani.

189 Moneta Aquisgrani.

194 Maximilian. Dux Bauariæ mouet in Donauerdam.

197 Anhaltini Ducis Brunsuicensis expeditio.

GENESIS RVDOLPHI II.

i EX patre *Maximiliano II.* & *Maria* filia *Caroli V.* Imperatoris nascitur *Rudolphus II.* Viennæ Austriæ, Anno 1552. die 18. Iulij.

Imperij Occupatio.

ii Anno Sal. 1572. *Rudolphus* Rex Hungarorum coronatus Presburgi; Anno postea 1573. Rex Bohemiæ, & Imperator omnium electorum calculis, viuente patre, vt *nummus Votiuus* annuit, in quo *pilarum senarius numerus* sex Electores significat. Septima pila ipsi, adhuc viuente patre contigerat. In altero *globus* *nummi votiui.*



terrarum, insigne imperij conspicitur. *Sceptrum tuendi; ensis defendendi.* Vtrinque *laurus*, paris in bello, & pace gloriæ. Inter mundum & coronam *R*. Rudolphi princeps litera, à Deo fatentis *regnum descendere, & potestatem.*

iii Primum facinus noui principatus fuit Belgij Anno 1577. compositio diù tentata, nunquam conclusa. Hollandiæ *Ruuartes* creatus *Orangius* arces omnes, Antuerpiæ exordio facto, solo æquare iussit, quæ veluti frenum ciuem teoebant obsequentem. Quod tanto populi gaudio, vt neque primariæ fœminæ contineri domi possent, quin noctu operi interuenirent: donec ob flagitia in eo compotantium, nocturnum opus prohibitum est. Maior lætitia in *Albani* statuam, quam sepositam in parte arcis, repetitis ictibus aggressi, quasi nouum elicerent sanguinem, imaginaria cœde fruebantur. Metallum sicut antea ex tormentis bellicis in *Albani* signum, ita ex signo in tormenta refusum. Antuerpiam secutæ cæteræ ciuitates, excusso arcium iugo, ceu recuperatæ libertatis diem agitauere lætitiæ. Sed quoniam pluribus ad nimiam *Orangij* potentiam spectare hæc videbantur; Procerum complures, præcipuè *Areschoti* Dux ob veteres cum *Orangio* simultates, de eligendo nouo Belgij gubernatore verba fecerunt, spetie firmandi Senatum, reuera vt *Orangium* deturbarent. Inter nomina-

iv tos, Angliæ Reginam, *Franciscum Herculem* Galliarum Regis fratrem eligere placuit *Matthiam* Archiducem Austriæ fratrem *Rudolphi* Imperatoris, qui ex familia petitus, minùs offensurus Regis *Philippi* animum videretur. In hunc consensere etiam occulti *Gheusij*, vt Austriacam familiam bello implicarent intestino. *Matthias Austriæ Archid. à Belgis euocatur.*

Missis Viennâ oratoribus nô difficile côsensit iuuenis quod auebat. Noctu itaq; ægressus, inscio *Rudolpho fratre*, ac Rege *Philippo*, licet vtrûq; consentientem aliqui suspicarentur, quâ paucissimis comitatus in Brabantiam, opinione celerius, venit. Quod cum resciuisset Cæsar, veluti fugitiuum per insequentes equites, mox à proposito per literas retrahere frustra conatus, accersitum *Maximilianum* fratrem, seriò, & peracerbè increpuit, quòd is sibi à *Matthia* communicatum consilium non aperuisset in tempore. Quamuis haud desint, qui spetie patrocinij, conspirante *Rudolpho* Cæsare, *Mathiam* crederent, Belgicum repetere patrimonium. Inter quos fuit ipse *Ioannes Austriacus*, vt ex literis ad *Alexandrum Farnesium*.

v *Venit ad me hesterno die ab Imperatore nuncius, cum eius litteris, quibus admonet de fratris discessu, vti suspicatur in Belgium, se neque gnaro, neque probante. Offensus sum propterea ea re non mediocriter. Nam etsi non ignorabam, anno superiore id quoque ab Ordinibus attentatum; persuadere mihi tamen numquàm potui, aut Archiducem suscepturum huiusmodi prouinciam, aut Imperatricem matrem, fratremque Cæsarem consensuros. Quamquàm de imperatrice, quam reor huius consilij prorsùs ignaram, non sanè miror: potiùs angor eius causa, vereorque ne leuitas filij triste aliquid apportet matri. De Imperatore quid iudicem, incertus adhuc animi sum. Quippe id agitari, quum ipse nesciret, non modò negotium non displicit, sed neque de eo Regem, vti par erat, admonuit. Ego quùm primùm Archiducem tesciero in Belgium intulisse pedem, cum illo, quemadmodum conuenire vtrique nostrum arbitrabor, sedulò agam, ne se Ordinibus adiungat, implicet-*

que

que, recusantem hostis loco in re habebo.

VI *Orangius Vicarius* Matthias verò iam Belgium ingressus ea conditione præcipuè præfecturam adeptus, vt *Orangius Vicarij* nomine, eum moderaretur. Coacto itaque Senatu, & suspectis remotis, hostes patriæ renuntiauit, quicumque *Austriacum* sequerentur. Cæsar, misso legato, cum se immunem culpæ excusasset fraternæ, Germanos rogauit Principes, vt excusationem facto comprobantes, operam darent, ne delectus per Germaniam, Ordinum nomine haberentur. *Ioannes* verò, accersito *Alexandro Farnesio Parmensi* (ita Rege iubente *Philippo*) cum Hispanorum copijs prope Namurcum, pugna cum fœderatis commissa, miserabili strage superauit; ac sesqui horæ spatio, ex suis tantummodò nouem desideratis, supra nouem millia hostium desiderantur. Relata hostium signa quatuor, & triginta: captæ campestres machinæ, currus, atque impedimenta ferrè omnia: ipse belli Dux *Goignius* in potestatem venit. Pietas *Austrij* plurimum dicitur contulisse victoriæ. Triumphalem Domini crucem prò vexillo erexerat, cui subscripserat. *In hoc signo vici Turcas, in hoc hæreticos vincam.* Postridie deditionem imperanti Gemblacum patuit. Inde ad suorum præconia conuersus *Austriacus*, primas *Alexandro* obtulit *Farnesio*. Quem cum admonèret, Ducis officij esse, vt à periculis caueret, consilio potiùs, quàm manu rem gerendo; respondentem *Farnesium*, existimasse profectò se, *Ducis munia impleri non posse ab eo, qui priùs militem sub tanto præsertim Imperatore fortiter non egisset*; militum plausus; & ipsius *Austriaci* complexus excepit. Audita fœderati clade, Aulam & Senatum Antuerpiam traduxère. *Austriacus* verò immissis *Octauio Gonzaga*, & *Barlamontio*, omnia moderante *Alexandro*, excurrendo potiùs, quàm obsidendo totam ferè Brabantiam, atque Hannoniam recuperauit. Interea aucto ab hisce diurnis, nocturnisque laboribus stomachi morbo, ac totius corporis languore, Namurcum curationis causa petiturus, *Farnesium* bello imposuit. Is Limburgum acri obsidione cinctum, in deditionem accepit, nec longè, totam etiam Limburgensem prouinciam, grandi Regis emolumento, non prouinciæ magnitudine, sed opportunitate aditû intercludendi hostibus ex Germania illac faciliùs ingressuris. Austriaci fælicitas Ordines iam perculerat & Archiducem; omnibus palam *Orangium* incusantibus aliò intentum. Ille verò ad Batauicum mare, suum fundabat imperium, vnde in Brabantiam explicaret. Sui consilij moram cum Amstelodamum esse videret, Religioni, ac Regi pariter addictum, totus ibi eo erat, vt vi, vel dolo occuparet. Vim cum frustra superiori anno tentasset, vrbe ad forum vsquè capta ab Orangianis, ciues armati *Gheusios* victores expulerant magna hostium strage, nec sine illustri fœminarum facinore, quæ priuato consilio prægrandem colubrinam editum in locum portantes, explodentesque Gheusiorum multos discerpserant: & nouis dein copijs terra, marique circumuenti obsidionem diu, ac strenuè tolerauerant. Donec *Orangio*, quæ ad catholicam religionem spectant, omnia pollicenti, sese postremò dedidère. Ille tamen vrbem cautione securam validis præsidijs, atque hæresum administris (contra quàm pacti erant) inductis; eorumque opera sacris euersis, sacerdotibus eiectis, abundè firmauit; sic compensata clade, quam superiori mense receperat apud Gemblacum. Inde vt *Austriacum* falleret, inducias obtulit, vsque dum ex Germania milites superuenirent. Redierat ab Hispania *Ioannes Sellius*, Regis nomine curaturus omni ope concordiam. Hinc Ordinibus grandia pollicebatur, modò veterem religionem, & Principi obedientiam referrent. Reuocaturum se ex Belgio *Io: Austriacum*, eiusque loco impositurum vel ipsum *Matthiam* alijs tamen à se latis conditionibus. Omnia porrò cauillabatur *Orangius*, Hispanorum sugillando tyrannidem, & exorientem magnifaciendo libertatem. Responsum itaque protrahendo, inducias rogabat, vt Prouinciæ conuenirent, re vera vt militem cogeret. *Farnesius* verò & *Austriacus*, coniecta ex insolito conatu necessitate postulantium, negauit ille Regi & sibi conducere, præfecturam adsumere, vtrasque inducias; spe maiori de hostium ruina, concepta ex nouis suppetijs, quas *Philippus* miserat ex Hispania. Nec segnis *Orangius* tres exercitus aduersùs Regem traxerat in Belgium. Ex Germania nomine Ordinum copiæ, Mosa traiecto, ad Nouiomagum confederant. Dux *Alenconius* Gallorum Regis frater, cum Gallico exercitu Montes, præcipuam Hannoniæ vrbem: *Ioannes Casimirus* per Geldriam Nouiomagum versùs, iter instituerant. *Austriacus* cum nondum reuocasset è præsidio militem, neque sub signis lustrasset copias, tamen habito cum militum præfectis consilio, pu-

Marginalia: VII *Austrij victoria.* — VIII *vexillū.* — IX *Farnesij victoria.* — X *Orangius occupat Amstelodamū.* — XI *frustra agitur de concordia.* — XII *vires fœderatorū.*

gnam decernere statuit, *Alexandro Farnesio* reclamante, antequàm nouis copijs augerentur hostes, qui propè Mechliniam conuenerant. Mouet itaque in hostem, traducto per Areschoti pontem exercitu, secundis castris in hostium conspectu venit: agnitaque planitie, quam exploratores retulerant, aciem instruit duodecim millibus peditum, quinque equitum constantem. Tunc *Alexander* ordinanti exercitum *Austriaco*, locum posuit ante militum tribunos, in fronte Hispanorum, à quibus prælium inceptandum erat; ostensurus sibi tantum animi esse ad expeditionem promouendam, quantum consilij fuerat ad improbandam. Hostes verò licet lacessiti, cum castris se continerent, *Alphonso Leua* qui pedites sclopetarios extra ordinem agminis ducebat, *Age*(inquit)*in angustum illum quem vides, tramitem, inter siluam, & aggerem, cohortes tuas dirige, quasi per hostis contemptum, pagum intraturus. Et occurrentem hostem, sensim recedendo, in campum extrahe*. Ex aduerso *Maximilianus Henninius* comes Bossuccij, qui fœderatorum moderabatur militem, cum *Austriaci* conatus aut spectando eludere, aut astu intercipere cogitasset, iubet & ipse *Ioannem Noricium* Anglorum tribunum obuiam hosti procedere, ita tamen vt non inde longiùs abripi se pugnando, pateretur. Inito prœlio, cum Anglorum plures caderent, *Egmontius* comes cum delectis accurrit equitum turmis. *Austriacus* paulatim & ipse immisso milite, aciem propiùs admouet; ipse conferendi signa cum lacessito iam hoste. Cautè tamen procedebat *Austriacus*, ne opprimeretur insidijs. Sed iam milites pagum prætereuecti, hostemque effusè fugientem insectantes, campum Mechliniam versùs intrauerant, tantoque ardore ferebantur, vt aspectum præripiente puluere, inter insidias irrûperent. Munierat hostis inter amnem Demerá, & syluam castra, vallo circumducto, tormentisque in fronte dispositis valdè munita. Tunc Hispani aucto milite, pugnam nouo ardore capessebant, numero erant quinque mille sclopetarij omnes; equites ex Italis, Hispanisque, ac Belgis circiter sexcenti. Hostes peditatu pares, equitatu superabant. Pugnabant vtrinque animo supra vires maiori. Hispani insidijs ludificati, veluti desperati aciem subibant; quos hostium tormenta è stationibus crebrò, tutoque fulminantia malè habebant. Vnde nec pedem retrahere, nec machinarum impetum sustinere diù

XIII pugna inter fœderatos, & Hispanos.

haud poterant. Austriacus ira correptus, negabat vel vnum militem se missurum ad eos, qui longiùs, quàm imperatum fuerat, prouecti, in ea discrimina coniecissent. *Farnesius, Gonzaga, Mansfeldius* vnà sentiebant si alios submitteret in subsidium, socios magis fore periculi, quàm auxilij. *Alexandro* tamen dedit, locum inspicere, qui celeriter inuectus, lustrato campo, animaduertit in planitiei flexu, inter sepimenta, horrosque arboribus consitos, patere aditum, quà extrahendos pedites non desperaret, consilio tamen, aiebat ipse, propè temerario. Laudauit *Austriacus*, ipsi *Farnesio* expeditione commissa; qui capita sepium sclopetarijs attribuit, iussis insequentem hostem subita glandium procella inde remorari: simul *Gonzagam* admonuit, collectis equitibus terga tegere recedentium, atque acriori pugna, dum se pedites reciperent, hostem distinere. Tum recepto inter sepes peditatu, ipse cum equitibus, via qua intrauerant in pagum, & siluam, angusta quidem, sed expedita, rediret ad suos. *Austriacus* interim tribunos, ac centuriones admonuit, continerent loco militem, & redeuntes à certamine socios, seruatis reciperent ordinibus, ne ex accessu commilitonum, acies turbaretur. Rebus ita dispositis, iussit *Farnesius* pedites partim veluti cedentes, partim euoluendo militariter orbem quasi redituros in prælium ad partem campi *Alphonso Leua* commonstratam paulatim flectere; tum receptui clam signum dedit. *Gonzaga* equites aduersùs hostem instaurata pugna continuit, quibus recentes *Austriacus* alios in loco subiecit. *Toletanus* in sepimenta sclopetarios immisit. *Leua* milites retulere pedem, eo successu, vt initio quidem hostium oculos celeritate præuerterint. Septingenti dumtaxat equites, ductoribus *Io: Bapt.* & *Camillo Montijs* fratribus, non sustinuere modò multorum millium in eos incumbentium vires, sed repulere interdum, stabilique adeo gradu contulere manum, vt *Noricium* tribunum, eo die omnium pugnacissimum, tribus suffosis equis, certare peditem coegerint, & cæteras cohortes sui sollicitas ancipiti tandiù Marte fatigauerint, quoad pedites omnes, postremo se reliquos, ante hostium munitiones, periculo subduxere. Iactura æqualis fuit, vix quadringentis vtrinque desideratis. *Bossuccius* initia cautè prouidit; sed omissa opportunitate omnibus copijs insequendi hostem, victoriam amisit, quam ei miles incautus & Austriaco

Duci

Duci inobediens obtulerat.

Monitus interim *Austriacus* à *Philippo* pacem curare, lectis vtrinque legatis, tria Ordines deposcebant; *Vt Archiduci Matthia cederet Belgij præfectura ijsdem conditionibus, quas antea iurauerant. II. Vt paci, Dux Alenconius, & Casimirus insererentur. III. Vt Limburgi prouinciam, & quidquid in Brabantia, & Hannonia, vi vel deditione Austriacus ceperat, ante exitum Augusti, Ordinibus restitueret.* Periniquæ erant conditiones; cum tamen dubitaretur, ne Ordines desperata cum Hispano concordia, Gallis traderent finitimas prouincias; *Austriacus* pecuniæ, & militum inopia fatigatus, Regi scripsit, & conditionum insolentiam exposuit: questus *ab Hispania foueri rebellium audaciam, sibi promissam ab eius maiestate opem sine fine differri: poscentique pecuniam, verba remitti, quibus vtique bella non geruntur: nisi putent, artem sibi esse, qua ex verbis aurum extrahat. Proinde orare, aut expugnari hostem velit, aut saltem indecorè adeo pacisci regij Ducem exercitus ne permittat.*

XIV

Fœderatorum superbia.

XV Interim haud procul Namurco munitionem erexit in Bugæo colle ad Mosam fluuium, vt copias teneret securas. Ibi morbo petitus, septuagenario maior, penè contabuit. Die tandem Mathæi Euangelistæ Sacro, quo *Carolus V.* pater eius obierat, fatali quasi moneretur die, curis exutus humanis, in *Alexandrum Parmensem* ius omne transtulit belli, pacisque, quoad Regi videretur. Cum verò *Austriacus*, redeuntibus paulatim viribus, vitæ restitui crederetur, repentè concidit 28. Septemb. die; Post expiatas totius vitæ noxias, furere militariter cœpit, instruere aciem, compellare tribunos, suppetias immitere, increpare timidos, laudare feroces, oculis, manu, voce inclamare victoriam. Has inter insanias, *Iesu*, & *Mariæ* nomina cum audiret, interquiescebat pacificus, cætera contumax, & inexorabilis. Tantum est, pijs assuescere dum sapis, vt etiam desipiens, non possis esse non pius. Kal. Octob. menti redditus, recurrentes animo labes iterum confessus, sub meridiem, magno pietatis decessit exemplo. Altero post obitum die, disceptarunt nationũ tribuni, qui efferendo corpori præhaberentur. Hispanus Regem, Germanus Ducis patriam, Belga loci prærogatiuam obtendebat. Litem *Farnesius* composuit, vt corpus domo exportarent interiores aulici; susciperent eius Tribuni, viciniores tabernaculo Ducis: traderentque exinde alijs, atque alijs, qui longiùs abessent. Hoc itaque ordine à Bugæis castris, Namurcum vsque, peditibus, equitibusque per agmina dispositis, Ioannes Austriacus elatus est, armis indutus, addita capiti corona, vti veteres Principes Brugundicæ Domus tumulari consueuerant. Moriens, tria supremis precibus oratum abs se Regem voluit. *Vt cadauer suum condi iuberet apud Caroli Imperatoris ossa. Vt matrem, fratremque eiusdem vteri in patrocinium reciperet. Vt aulicos spe diu sustentatos præmio aliquo subleuaret.* De filiabus, quas duas habuit, nec verbum, forsam vt pudori consuleret. Matrem *Annam Blomberga* in Hispaniam perbenignè euocauit *Philippus*, quamuis non ex *Ioanna Blomberga* natum *Ioannem* sint, qui asserant; sed ex longè illustriori, ac planè principe fœmina procreatum; cuius vt famæ parceretur, prætentam fuisse aliam à *Carolo* Cæsare, ac personam matris impositam *Blomberga* haud grauatè subeunti speciosum culpæ titulum: eodemque loco habitam à *Philippo* Rege scenæ pariter inseruiente. Quod si ita est, humanum irrideas ingenium, quando tantus Princeps hostiũ quæque intima rimari solitus, domus suę ideo ignarus vixerit, vt bis in matre deceptus, semper alienam coluerit, numquàm suam. Rem Hispanam noui turbarunt

Io. de Austria mors.

XVI *exequia testamentum.*

LVSITANORVM MOTVS. Ann. 1578.

XVII Muleius Machometes è regno Mauritaniæ ob tyrannidem patris, ab *Abdelemecho* patruo eiectus, *Sebastiani* Portugaliæ Regis implorat auxilia. Condicit hæc Rex iuuenis, & ad arma pronus, ea tamen conditione, vt *Philippus* Hispaniarum Rex in societatem belli veniat. Mituntur itaque ad Hispanum legati, qui expeditionem non dissuadet: verùm ne *Sebastianus* ipse proficiscatur in Africam, sed per legatos rẽ gerat, obnixè rogat: rogando tamen nil proficit: Dum Rex præceps, & belli cupidus salutaria auunculi sui consilia suspecta habens, moræque omnis impatiens, ad cædem properat. Traiecto namque mari, *Abdelemechum* obuium habet, & in pugna superiorem, cæsis quindecim Christianorum millibus, cum ipso *Sebastiano* Rege. *Abdelemechus* in ipsa pugna, apoplexia extinguitur. *Muleius Mahametus* in fuga cænosis Larissæ aquis submergitur; ita vt vno die, vnoque in prælio tres Reges cœci-

cades Sebastiani Regis Lusitani.

ceciderint. Spē optimā *Sebastianus* cōceperat, vt nō modò profugū Fessæ Regulū in regnum reduceret, sed & ipse hoc fœdere res suas augeret, vt ex nummis patet sequentibus. Est *squillæ* seu *cancri maritimi* ingenium, vt cibi causa societatem ineat cum concha, dapis, cuius partem auferat, affectator. Habet itidem hoc *concha*, vt cum Luna crescente crescat; deficiente, imminuatur: fuscum contrahat colorem cœlo nubilo: nitescat cum claritate matutina. Vnde, teste Plinio, maior ei cum Cœlo, quàm cum mari cognatio Post generosam *Sebastiani* mor-

XVIII *nummi.*



tem, plurimi turbarunt Lusitanorum animos, mentito *Sebastiani* nomine; Inter reliquos celebrior Madrigalensis quispiam, Regi defuncto simillimus faciei constitutione, & organica membrorum dispositione. Præseferebat tamen ætatem maiorem, quàm deberet, si fuisset *Sebastianus*. Species vultus fracta, quodamodò apparebat: quod populus laboribus attribuebat, non ætati. Fefellit plurimos; quia *Sebastiani* confessario instruente, secretissima regni percallebat arcana, & omnes Regis actiones simia ignobilis imitabatur. Ab aliquibus tandem Madrigaliæ ciuitatis incolis cognitus, fassus est, se ambitione regnandi ductum acquieuisse regij confessarij instructioni, & *Sebastiani* difficilem verè personam sed tragicè simulasse. Instructor capitur, qui noua fraude, inficiabatur Hispanos, vt Lusitaniam turbaret, & Castellanos eliminaret. Imò *Antonium* secundò accersire, vt fictione detecta, iterato discrimine clauum teneret Portugalliæ.

XIX *Falsus Sebastianus.*

XX *Henricus Rex Lusitaniæ.*

Occiso *Sebastiano* Regi successor datur iure sanguinis, *Henricus* I. S.R.E. Cardinalis, *Sebastiani* propatruus, quo post annum ad sydera translato, vbique terrarum de successore agi cæptum. Lusitanorum animus erat, peregrinos quosque corona excludere; & *Henrici Catharinam* infantem, Bragânciæ Ducissam Regno imponere; quamuis & inter eos essent, qui ad *Philippum* II. Castellæ Regem respicerent, *Emanoelis* Portugalliæ Regis ex filia *Isabella Caroli V.* Imper. vxore nepotem. Nec iuri suo *Philippus* defuit, conciliatis nobilium animis, curauit etiam Olissiponensem plebem sibi literis deuincire. Sed hæc ob antiquas cum Castellanis simultates offensa, non solùm negauit responsum, sed arma arripuit, vt indigenam Regem haberent. Sed iam *Philippus* paratis necessarijs ad expeditionem maritimam, atque terrestrem, *Henrico* mortuo, Vlissiponem appulit, frustra Lusitanis spiritualia Pontificis arma in *Philippum* implorantibus, vt & Cæsaris, ad quem *Elisrum Portugallum* miserant, vt Lusitaniæ ordinum nomine aduocationem eius posceret. Lusitaniam namque ingressus, ac arcibus Vlyssiponis occupatis, sepiùs cum *Antonio Bragantino* conflictatus, & victor regnum tenuit Portugalliæ, sed etiam regni appendices, Indiæ nēpe Orientalis, Africæq; vrbes permultas. Circa Azoras solumodò difficultatis nonnihil patitur. Huius expeditionis nummos suspice triumphales. *Equus effrenis* cursuque

XXI *Philippus Rex Lusitaniæ.*

Lusitaniæ legatio ad Cæsarem.

con-

Vide supra n. 18. concitus stimulum gloriæ profert in nummo, quo Rex haud secus atque Miltiadis trophæis Themistocles excitatus non quieturum se profitetur, vsquè dum Indiam Orientalem sibi subijciat: non contentus Occidentalem ex patrimonio habere (Fastus non abest) reliquum Orbis terrarum sibi deberi iactat.

BELGÆ PHILIPPVM ABIVRANT. Anno 1580.

XXII Deliberabatur interea in Belgio de *Francisco Andium Duce* Gallorum Regis fratre in principem deligendo: nam res Ordinum per dissensiones profligatæ omninò videbantur; Conuocatis itaque Gandaui Ordinibus post impositam pecuniarum collationem ad exercitum comparandum; de obedientia *Philippo*, quam ob iniurias ab Hispanis Belgio illatas, iure suo excidisse dicebant, renuntianda; & nouo principe in eius locum eligendo, consultatio habita est. Sed dum ipsi consulunt, *Farnesius* Mortaniam in Hannonia, & Tornacum expugnat, mutua tamen agri direptione, datis, ac inde receptis cladibus; Donec in *Franciscum Andium* consensere fœderati, eique non abnuente *Orangio*, prouinciarum imperium delegarunt.

XXIII *Franciscus Andius seu Alenzonius a fœderatis Belgio præponitur. discedit Matthias.* *Matthias* verò cum videret se à Belgica nobilitate, à qua initio euocatus fuerat, desertum, in Cæsare ac fratribus, & cœteris Imperij principibus nihil opis, aut subsidij esse, eoque fieri, vt Ordines extrema necessitate coacti, ad externi principis patrocinium confugerent; honestè è prouincia discedere decreuit, scripto ptiùs publicato, quo *se euocatum, & post delatam communibus suffragijs administrationem, omnibus appositis conditionibus satisfecisse dicebat, ac publica tranquillitati, vitæ posthabuisse discrimina; dolere sibi, quod ope sua maiorem tempestatis vim auertere nequiuerit. Nunc quandò audiat Ordines ac proceres conuentum celebrare in quo de summa rerum deliberant, huic ne vim facere videretur, adesse noluisse, tantùm eos rogatos cupere, nè externæ dominationi se temerè committant; neque sacrosancti fœderis, quo Belgium cum Imperio coniunctum est, obliuiscantur, aut Illustrissimæ gentis Austriacæ, cuius ipse membrum sit, partes deserant. Petere insuper, vt quod de se ac familia sua statuerint, quo rebus suis in tempore consulere possit, declarent: sumptuumque à se factorum ac promissæ pensionis rationem haberi.* Ad hæc Ordines æquum reputantes *Matthiam* optimè meritum, honestè dimitti, debita ab ea contracta iusserunt exsolui, pensione insuper attributa, qua se, ac familiam aleret. Sed cum hæc lentè procederent, in sequentē annum *Matthiæ* est dilatus discessus.

Interim *Philippus* Lusitaniæ regno potitus, *Antoniū* proscripsit, & *Orangiū* proscribi mandauit *Farnesio*, exprobratis *Orangio* beneficijs, quæ à patre *Carolo*, & filio *Philippo* acceperat, sed ingratus rependerat impius in Deū, & infidelis in Regē Cui progrāmati *Orangius* tumido & insolenti rescripto, apologiæ nomine reposuit. Hæc vsquè in annum primū supra 1580. XXIV *Orangius proscribitur.*

quo *Andinus* Cameracum magna pompa ingressus, festis populi tanquàm patriæ liberatori acclamantis vocibus exceptus, XV. Augusti in æde B. Virginis solemni se Sacramento obstrinxit, imperialem ciuitatem iuxta priuilegia antiqua administraturum. His actis, in Britaniam deflectit, tum vt fidem de nuptijs *Elisabethæ* datam impleret; tum vt cum inde in Belgium veniret, non solum tantæ reginæ opibus subnixus, sed quasi petita ab ipsa venia eò venire videretur: quod ad capessendum nouum principatum popularium suffragijs tam honorificè delatum non mediocrem rebus suis dignitatem, & auctoritatem conciliaturum prouidebat. *Andini aduetus.* XXV

XXVI *Belgæ eiurant Philippū.* Paulò etiam antè Hagæ comitis in Batauia, conuentu Ordinum habito, *Philippo* eierauerant obsequium, scripto vulgato, quo Ordines declarabant, *non populos principis causa natos, sed contra Principes in vsum populorum à Deo datos. Qui contra ageret, tyranni non loco principis habendus, cui minimè parere populi tenerentur. Id sibi euenisse dicebant, quòd frustra supplicibus votis iam à tot annis de crudelitate Hispanorum conquesti, nil æqui impetrare potuerint, sed religionis specie ad extrema fuerint adducti, proinde declarare Philippum omni iure Belgij excidisse, cui non Magistratus non iudices, nec præfecti, non populi vllum in posterum præstarent obsequium, vel eius nomen in publicis actis referrent; nec sigilla tenerent, vel monetam cuderent; sed omnia Andini nomine, vel eius vicariorum ad normam iustitiæ peragerentur.*

XXVII Promulgato decreto, *Matthias* cum defectionem ab Austriaca familia honestè ferre nō posset, petito ab Ordinibus cōmeatu Antuerpia discessit, 1. Decemb. fęderatis inutilis, fratri ingratus, *Philippo* supra modum infensus.

Re-

xxviii Rebellionis porrò vt iustam obtenderent caufam, Hifpanorum femper perfonabant tyrannidem, ne Regi viderentur detrectare obfequiū, fed infolentiā effugere aulicorū. Quod in nūmis votiuis cufis à ciuitatibus Traiecti ad Mofam obfeffis, Anno 1579. & 1580. annuere vifi funt. Cum palam eiurata obedientia domino fuo, & verba nollent audire concordiæ, in eis cudi fecerunt *Leonem Batauicum, qui quòd liber, reuincin negat. Ligatus ad palum iam effe videtur, impar viribus maximo regnatori Orbi terrarum, quique latius* Philippus *imperitat, quàm vnquàm cuiufquam regis fefe potentia propagauit. Victus, fed quafi foluendus ab* Auriaco, *qui licet viribus impar hofti, falutem nihilominus Belgarum expediturus videbatur. Neque enim femper in arena pares viribus congrediuntur Athletæ: mufculus apud Æfopum accedit ad laqueos, illifque corrofis magnum leonem periculo liberat: & in venatione*



A cane non magno fapè tenetur aper.

Hinc Leo Selandicus in vndis ad Hollandos: Vos terra (ait) *at ego excubo ponto.* Et in altero. *Exoritur propediem dies, qua nos militamus, angimur; efurimus, vt libertatis bono* (pileus in hafta eius fymbolum) *fruamur. Cadat alea, vt velit* (ait Belga) *fi non nobis faltem pofteris. Sic enim laborant fenes in ijs* (Tullius) *qua ferunt nihil omninò ad fe pertinere: ferunt arbores, qua alteri feculo profint.*

AQVISGRANENSIVM SEDITIO. Ann. 1581.

xxix Aquifgrani cum Gallici proteftantes iam conuenire cœpiffent, de eligendis confulibus, qui ipforum partibus fauerent, proximis decernunt comitijs. Id cum præfenfiffet *Rudolphus* Cæfar ad Aquenfes fuperiore anno literas dederat, rigida monitione inhibens, ne quid in religione nouarent. Datum interim negotium *Ernefto Bauaro* nuper in Leodicenfem Epifcopum electo, & *Gulielmo Cliuiæ Duci*, vt cum ijs agerent proximis comitijs, quòd ij con-

fules

ſules crearentur, qui veterem religionem minimè turbarent. Nihilominùs tenuit, vt in ſuffragijs ferendis pares eſſent vtriuſque partis calculi; & duo quidem catholici à delegatis confirmati, alij duo cum confirmationem peterent, nec à delegatis impetrarent, claues vrbis retinuerunt. Id initium ſeditionis fuit. Proteſtantes tunc vicos catenis claudunt, forum occupant, turres tormentis muniunt, charta alba mutuæ teſſeræ loco galeris affixa. His cum catholici ſe opponerent, fit concurſus, ſed leui vtriuſque detrimento. Id vbi Cæſar intellexit, Senatui ſcribit, ſe oppidanis, excitati tumultus noxam remittere ea tamen conditione, vt deinceps pacem colant, religionem non innouent, concionatores eijciant. Porro *Auguſtus Saxo* Septemuir, & *Io. Georgius Brandeburgicus* non tam Proteſtantium factum excuſabant, quàm Cæſarem orabant, prò ſua prudentia videret, ne Aquiſgranenſis tumultus extraneos inuitaret ad occupandam ciuitatem; quibus verbis *Hiſpanos* ſugillabant. Nihil tamen motus *Rudolphus*, Aquenſes acerbè perſtrinxit, vt decretis abſque vlla mora ſatisfacerent. *Cæſaris religio.*

FRANCISCI ALENZONII INAVGVRATIO IN DVCEM BRABANTIÆ. An. 1582.

xxx ANdinus totam hiemem in Britannia apud *Eliſabetham* inter haſtiludia, ac nocturnas pompas, nuptiarum fiducia moratus, poſtremò petita à Regina venia, Londino diſceſſit magno Anglorum comitatu. Nec longè poſt Vliſſingam appulit, vbi apparatu triumphali exceptus, obuium habuit *Orangium*, qui genu *Andini* complexus, aduentum eius gratulatus *gaudere ſe* (dixit) *illuxiſſe felicem eam, tamdiuque optatam diem, qua Celſitudinem ſuam ſalutare, eique vitam, opes, induſtriam ſuam deferre poſſet. Sperare ſe, vt ipſius præſentia, & virtute Belgæ à calamitatibus, quibus tot annos conflictantur, reſpirare valeant, & in concordiam hoſtibus formidoloſam coaleſcant.* Ad quæ breuiter, & aptè reſpondit *Andinus*, gratias agendo prò delato ſibi tam honorifice prouinciarum patrocinio, vt eos ab Hiſpanorum tyrannide liberaret. Poſtridie Middelburgum deductus, nonaginta nauibus bellico apparatu inſtructis, Antuerpiam contendit, exceptus à ciuibus multis arcubus Triumphalibus: varijs theatris, & imaginibus erectis, elogijſque affixis: Prope extremos arcis muros ſtabat theatrum, aurea ornatum ſede, quo ab Ordinibus deductùs; prælectis iuris iurandi capitibus, Dux Brabantiæ, & Marchio S. Imperij creatur. Togam dum ei *Orangius* indueret; *Hoc principale pallium, quod ſumis* (inquit) *arcta tibi fibula nectendum eſt, ne quis illud detrahere poſſit.* Sic omnibus ceremonijs ſolemniter potiùs, quàm ritè peractis, clara fœciales voce proclamant; *Viuat Dux Brabantiæ*, perſonante tuba, ſparſiſque in vulgus miſſilibus, quorum vnus *Ducis effigiem ab vna, ab altera ſolem habebat nebulas diſcutientem, terraſque fouentem*, cum inſcriptione, *Fouet, & diſcutit*. In eam namque ſpem erecti ſtabant cum populo proceres, vt huius principis auſpicijs afflictæ Belgarum prouinciæ reſurgerent. xxxI *Vide ſupra n. 28*

Andinus inauguratur Dux Brabantiæ.

Ceremonia peracta, æquum duxit, Catholicos ſibi conciliare, priſtinam reſtituendo libertatem, nam priùs à Proteſtantibus interdictum erat, ne catholici ſacra peragerent, vel conuenirent: ea tamen lege, vt Regi Hiſpaniarum *Philippo* obſequium renuntient, quod ni priùs fecerint, templi aditu prohibeantur. Hoc anguſtiabantur diſcrimine, vt Deum, vel Regem desererent. Complures tamen tam diù expetito ſacrorum vſu carere, quàm antiquum principem eierare, ſiue inſito amore, ſiue periculum veriti maluerunt. Hæc in Belgio, dum in Germania *Rudolphus* Cæſar xxxII *Antuerpia catholicos reſtituit.*

COMITIA AVGVSTANA. Anno 1582.

xxxIII QVæ prima poſt *Maximiliani* parentis obitum apud Vindelicos celebrauit. Præſto ei fuerunt *Auguſtus Saxo* Septemuir, alijque Saxoniæ Principes. Ibi de pecuniæ collatione ad fines contra Turcas tuendos actum, in quam delegati, antequam de eorum querelis cognoſceretur, aſſentiri recuſarunt. Inde Cæſar principibus propoſuit, an non imperio detrimentoſum videretur, nouum in Belgio principem Ordinum auctoritate conſtitui, omnique ope enitebatur, vt iniuriam quæ Domui inferebatur Auſtriacæ, ſuam facerent, & armis imperij vindicaret; ſed nihil decretum. Tandem de Kalendarij promulgatione agi cœptum, cuius emendationem ſuſceperat *Gregorius XIII.* Pontif. Max., in qua quendam epactarum cyclum ab eo excogitatum, & ad certam Aurei numeri normam directum, atque *Kalendarij ementdatio.*

ad quamcumque Anni Solaris magnitudinem accōmodatum, omnia quæ in Kalendario collapsa sunt, constanti ratione, & seculis omnibus duratura, sibi restitui posse ostendit, vt Kalendarium ipsum nulli vnquàm mutationi in posterum subiaceret. Non probauit hæc *Augustus Saxo*, quòd *non ad Pontificem, sed ad Cæsarem hæc emendatio pertineret. Quia Annorum supputatio quæ à C. Iulio Cæsare fuerat instituta, dein Carolum Magnum Imperij in Occidente conditorem, auctorem habuerit, qui nomina mensium Teutonica lingua Germanis dederat. Canonem Nicæni Concilij de Paschali celebratione non Pontificis Romani, qui ea potestate, ac auctoritate, quam sibi nunc vindicat, minimè tūc vsus fuerit, sed cōmuni Constantini Cæsaris, qui Synodo præfuerit, & Patrum decreto conditum esse. Concilia verò ipsa non à Pontifice, sed ab Imperatoribus indici solita, sicuti Constantiense Cæsar Sigismundus recenti adhuc hominum memoria indixerit: & ius constituendi non solum Episcopos in Germania, sed etiam Pontificem penès Cæsarem, & post Caroli M. tempora vsquè ad Othonem I. & deinceps vsquè ad Gregorij PP. VII. ætatem fuisse. Cauendum igitur, ne emendationis prætextu Papa Cæsaream vsurpet Maiestatem, præsertim cum Cæsare inconsulto, atque Ordinibus Imperij rem tantam aggressus sit. Videant priùs, ad quem ius emendandi pertineat; postea de emendatione sermo fiat.* Hæc Saxo prolixa oratione intercessit: & cum nemo Principum protestantium Kalendarium accipere vellet; Cœsar negotium distulit. Hisce in Comi- *nummi Rudolphi*
tijs (vt fieri solet) cusi, ac distributi nummi. Ad Solis radios cum & hominum, & animalium cæterorum hebescant oculi, visum suum exacuit Regina volucrum, hoc est *Rudolphus* ad Solem conuersus Iustitiæ, vota pro communi salute nuncupans. *Nisi enim Dominus custo-* xxxiii
dierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam. Nummus ab hoc proximus literis initialibus proponit quot, & qui è familia Habspurgica laurea Imperatoria fuerint conspicui.



BELLVM COLONIENSE.

xxxiv DE Aquisgranensibus tandem nouatoribus sermonem in comitijs Cœsar habuit. Datum negotio *Gulielmo V. Bauaro*, qui *Alberto V.* patri Sal. An. 1579 mortuo non minùs in ducatum quàm in religionem successerat: & *Ernesto* fratri Leodicensi Episcopo (*Alberti & Vilhelmi* effigies cum symbolis suspice n. 33.) factiosos ad officium redigendi, & integrè

grè vigilandi ne res Catholica apud Vbios aliquid detrimenti ex *Gebbardi* Archiep. molitionibus caperet. Is amoribus *Agnetis Mansfeldiæ* irretitus, vt eius nuptias licite iniret, mutandam toto censebat Archiepiscopatu religionem. Erat illa ex eo genere Vestalium, quas vulgus nuncupat *Canonissas*, quam sic deperibat, vt ab eius latere nunquam discederet. Cumque malè audiret, sororis infamia vehementer accensi Comites Mansfeldici, *Gebbardum* adiere, minantes, ni virginem tam illustri natam genere, fœdatam mortalium exposuisset ludibrio, matrimonio cohonestaret, sibi non defuturas rationes iniuriæ vindicandæ. Quare *Gebbardus* testibus adhibitis, in aula maiore Bonnensis Cancellariæ promittit, se repudiato Archiepiscopatu, *Agnetem* ducturum. Iam in eo erat, vt promissa seruaret, cum a *Caluini* sectatoribus, & *Agnetis* blanditijs circumuentus, mutata de abdicando Archiepiscopatu sententia, statuit infulam retinere, facto cum catholica religione diuortio. Consilio itaque cum Protestantibus habito, delectum habet, fœdera percutit, vt Vbios à Romana fide retraheret. Periculi Cœsar admonitus, litteras dedit amoris paterni plenissimas, legatum misit, quo *Gebbardum* à tanto sacrilegio retraheret. Mandauit tandem Archiep. Moguntino, & Treuirensi collegam admonere de officio, sed cum aleam iecisset, vulgato edicto, quo profitebatur, se à veteri maiorum religione, ad nouæ lucis cognitionem abductum. Prò eo apud Cœsarem intercedebant *Ludouicus Palatinus*, *Augustus Saxoniæ* Electores Imperij, rogantes, nè *Gebbardum* à complectenda religione Augustana prohiberet, sed mandaret Coloniensi Collegio, quò molestum ipsi esse desineret. Verùm Cœsar, quòd catholico principi erat faciendum, respondit; *se quidem inscio* Gebbardum à catholica religione apostatasse, sed non videre, quomodo leges Imperij, & Augustana pacificatio possent suffragari. Quod verò veteris desertor religionis infulam, & Electoratum retineret, consuetudinem, pacta, religionem, iuramentum obstare, nec posse remitti, vel infringi, nisi pacificus Imperij status concideret. Locum potiùs esse, vt cum ipse se ab Archiepiscopatu alienauerit, alium in eius vicem surrogandi. Præter hoc, à Cœsarea Maiestate non esse expectandum, neque rogandum, si sacram vellent Germaniæ seruare concordiam.

Gebbard. Archiep. Colon. apostata.

XXXV *Saxo intercedit pro Gebbardo.*

Rudolphi cõstantia

Summoperè interim Coloniensis ciuitas ab Acatholicis principibus solicitabatur, vt nouæ religionis Antonomiam reciperet: at ipsa per se constantissima, perque Cœsaris, & Principum cohortatione firmata, veluti Marpesia cautes, in prisca Maiorum fide cum laude perstitit immortali. *Fridericus Dux Saxo Lauenburgicus* Canonicus Archiep. Ecclesiæ, vir apprimè catholicus, per id tempus onerariam Archiepiscopi, quæ annonam, ac militaria instrumenta Bonnam vehebat, Sonsij attinuit. Arnzbergensis satrapa VVestphaliæ, militem ab Archiepiscopo missum exclusit, negans se morem gesturũ literis Archiepiscopi à Capitulo non signatis. Rechelingusani, & Dorstenses in deligendo nouo Magistratu repulere suspectos, quos Archiep. commendauerat. Saxo Septemuir, suadente Cœsare, *Gebbardi* causam improbauit. *Palatinus*, & *Lantgrauius* apertè fouebant. Galli, Hollandi arma parabant, læti ex *Gebbardi* facinore, natam rerum nouandarum occasionem, & aleam subeundi. *Casimirus* duo equitum millia ære legerat peregrino, *Gebbardus* cum Duce *Alenconio* conspirabat, fauentibus hæreticis, Hispani, an Galli Belgio potirentur, dũmodò ipsis otium contingeret. Arensbergæ habito *Gebbardus* cum Protestantibus colloquio, Augustanam Confessionem professus, Monasteria spoliauit, sacras ædes diripuit, diuorum calcauit imagines. Principes Acatholici Vormatiæ coacti, ad octo menses *Gebbardo* decreuere auxilia, ductore *Ioanne Casimiro*. Iamq; sub signis *Trucsessius* à VVestphalis ad duodecim armatorum millia tenebat: expectabantur à Protestantibus longè plures. Quorum certior factus *Gregorius* Pontifex, ne longiore cunctatione Colon. Ecclesia in supremum discrimen differretur, *Gebbardum* velut catholicæ fidei desertorem Archiepiscopatu deiecit, Capitulo imperans, nouum eligerent Archiepiscopum. Paruere Canonici, quorum suffragijs electus *Ernestus Bauarus*. Eius electione vulgata, *Gebbardi* causa cœpit languescere. *Rudolphus* Cœsar Septembri mense, coactis Francofurti comitijs, Septemuiros euocauit ad cognoscendam Vbiorum causam. Post acrem disceptationem inter Catholicos, & Protestantes; *Ernesti* causa fuit adprobata: *Casimirus* cum socijs iussus arma ponere, vel proscriptionis expectare sententiam. Is autem audita *Ludouici* Septemuiri fratris morte, quasi nepoti hæredi opitulaturus, cum duos menses *Gebbardo*

XXXVI *Fridericus Saxo*

XXXVII *Gebbard. gradu mouetur*

Ernestus Bauarus Archiep. Colon.

XXXVIII

bardo militasset, se in Palatinatum recepit. Bauari contractis copijs, expugnata Godesberga, Bonnam obsident. Puluis tormentarius deerat obsessis, sal defecerat, lignatio ex ædium tectis petebatur, cibaria angusta, maligna, miles ferè à Duce alienus, ciuis infensus. Hæc *Gebbardus* secum animo repetens, quinq; armatorũ millia sub auspicijs *Henrici Brunsuicẽsis* nothi, & *Adolphi Niuenarij* comitis, vt fratri *Carolo* periclitanti ferrent suppetias contraxerat. Bauari de ista expeditione certiores facti, tẽpestiuè hosti mittunt venienti tredecim equitum, decem peditum signa obuiam; quæ ad Siegum amnem, arboribus operta siluæ, vsquè dum Trucsessiani, pars potior, superato flumine, medioque amne dirempti sibi mutuò non possent succurrere, illa cum ingenti clamore erumpunt ex insidijs, & circumuentum hostem proturbant, aquis submergunt tanta clade, vt qui in ripa superarant, tristi suorum spectaculo perculsi, relictis impedimentis, Bercam refugerint. Ea clades spem de retinenda Bonna decollauit. Vnum in votis erat, *Carolum* fratrem periculo eripere. Sed Numine aduersante, infaustum omne consiliũ est. Misso cũ literis tabellario ad fratrem *Carolum*, clam monebat, vt se ocyùs subduceret: adiunxerat alias, quas *Carolus* militi ostentaret, quibus vicina afferebat auxilia. Has sic sparsit in vulgus, vt solitis tamen ægræ mentis indicijs, metum non dissimularet. Rumor inter milites facilè perrepsit. Quapropter facta conspiratione *Carolum* non vt Ducem, sed captiuum obseruare cœperunt. Manauit fama ad *Ernestum*, qui protinùs oblato stipendio, præsidium ad deditionem prouocauit. Ad eosdem transmissum Cæsaris edictum, quo Duces iuxta, ac gregarij, qui in *Gebbardi* partibus in posterum militarent, imperij hostes renuntiabantur. Telum triplex, ducis desperatio, metus Cæsaris, pecuniæ illecebra fortes licet viros expugnauit. *Gebbardo* itaque deserto, eius milites cũ cẽturionibus vinxere fratrẽ; eo pacto deditione facta, vt *Ernestus* quatuor aureorum millia, loco stipendij à *Gebbardo* non soluti numeraret. Milites pro more armati, cum vxoribus, liberis, sarcinis (modò de rebus Ecclesiarum, ciuium, aut incolarum nihil haberent) securè discederent. Rebus Bonnæ compositis, *Ferdinandus Ernesti* frater Bedbergam duxit totius viciniæ famosum spoliarium. Est Bedberga oppidum ad Erfium flumen, natura magis, quàm opere munitum. In eius expugnatione parum fuit negotij. Grandioris operæ fuit expugnatio arcis. Sed animos oppugnatoribus fecit spes ingentis prædæ. Admotis tormentis, ingens muri strages edita est, cum *Schrechius* vim supremam veritus (qui genius est prædatorum) abiecta spe propugnationis, deditionem impetrauit, ea conditione, vt solo gladio accinctus, cætera vacuus discederet. Pacata superiore Vbiorum Prouincia, *Ferdinandus* in VVestphaliam mouit. Traiecto Rheno, cum ad Lippam vadum tentarent, velitari prœlio cum *Henrico Brunsuicensi* per horas quinque fuit dimicandum, donec appetente nocte, hostis ponte relicto, viam transituris reliquit. *Ferdinandus* verò citò insecutus fugientem, vltimo Martij ad Burgum, pagum Dynastiæ Zutphaniensis, haud procul à veteris Isalæ profluente, *Henricum* cum sexcentis equitibus, nihil de *Ferdinandi* aduentu meditantem haud facile vicit. Trucsessiani numero obruti Bauarorum, & longe impares, cœsi propè omnes, vel hausti Isalæ gurgitibus, exceptis octoginta, omnes desiderantur. Captus *Henricus* cum suæ legionis signiferum è manibus Bauarorum conaretur eripere, ternis vulneribus ictus Opima fuere spolia, auro, argentoque referta. Captum *Gebbardi* signum prætorium, his inscriptum vocibus, *Dominus fortitudo mea*. Quantulacumque ea clade, *Trucsessij* res profligatæ fuere, vnde prorsus desperatis rebus, cum in toto Archiepiscopatu sedem vllam, neque ad propagandum bellum opes haberet vel auxilia, ad *Orangium* Principem, Delphos Batauorum aufugit: *Niuenarius* verò operam Geldriæ Ordinibus aduersùs Hispanos locaturus, sese receperunt. Et hic belli Coloniensis exitus fuit.

Bonna obsessa.

xxxix *dedita Ferdinãdo Bauaro.*

Henricus Brunsuicen. captus.

Ex nummis, quos inspicis, vnus est Iconicus *Gebbardi Truchsesij* cum moneta ab eodem cusa, durante obsidione Bonnensi. *Vide sub littera B.* xli

Subsequuntur nummi memoriæ dicati *Ernesti* Bauari oculos Domini suspicientis sub lemmate, *Omnia* quæ in Cœlo, quæ in terra sunt, inspicientes.

Videt ille ortus, obitusq; quid Arctos
Quid Boreas Hybernus agat, ferriq; togaq.
Consilia, atq. ipsam mentem probat..... Statius.

Et *Ferdinandi* fratris *Ernesti*, cusus *Gebbardo* ex Eburonibus pulso.

Profligato *Gebbardo* noua bellorum in Alsatia exarserunt incendia. Cum enim per Episcopum Vercellensem cum *Gebbardo* tres etiã

Ca-



CONCORDIA RES PARVÆ CRESCVNT HOL
PROVIN FOEDER BELGIC 1586 MOORDIN
NON GREGEM SED INGRATOS
MONETA DVCATVS BRABANTIÆ

xlii Canonici *Georgius comes VVitgensteinius: Hermannus comes Solmensis:* & *Ioh: Baso à VVinenberg* ab Ecclesiæ communione seclusi, dignitatibus fuissent exuti: iidem verò Cathedralis Ecclesiæ Argentinensis Collegio essent adscripti: cæteri canonici religionis Pontificiæ satis sibi crediderunt, vt sodales hostes suos, cumque ijs *Ernestum comitem Mansfeldensem* partes eorum tutantem, collegio suo exturbarent. Propterea non solùm *Fridericum Saxonem* Lauenburgicum Colonia accersiuerunt, *Gebhardo* in Decanatus munere surrogandum; sed prædictos quatuor excomunicatos beneficijs suis, reditibus, votis priuarunt. Hi possessione sua eiecti, publicas collegij ædes, Notario ac testibus adhibitis adeunt, iisque reseratis, de frumento in ijs recondito sibi ipsis, quod deberi aiebant, soluunt. Hinc alterius partis apud Senatum querelæ. Inutilis fuit admonitio Senatus, vt turbas præcauerent. Nam alternis se prouocantes iniurijs, occasionem dedere Senatui publico immisso præsidio custodiendi ædes Capituli, quæ vacuæ erant. Initio *Episcopus Argentinensis Ioh. Manderscheidus* (cuius imaginem habes *sub litera F.*) à causæ cognitione se excusauit; post verò conuocatis ditionis suæ ordinibus, vt partes suas interponerent, sollicitè petijt, sed omnia in cassum. Protestantium Canonicorum nummum habes monitorium sub lemmate *vigilate tandem*, quo socios instigarent in Pontificios. *Vide sub litera B.*

xliii Hæc in Germania: dum in Belgio Antuerpienses natura loci, numero militum, *Farnesij* eludebant vigilantiam. Vt eos domaret, non cessit *Alexandri* solertia. Post turres hinc inde excitatas; ex trabium, cæsarum arborum, lignorumque congerie, naualem conficit pontem longum pedes bis mille. Obsessi cum tanto apparatu ciuitatem coerceri viderent, omni conatu molitiones *Alexandri* disturbare conantur: magna comprimis naui ædificata, quam cum nihil ei imperuium existimarent; *Finem belli* appellarunt. Crebræ insuper naues dimissæ incendiariæ, quibus pontem euerterent. *Parmensem* nihil tantis conatibus commotum, imò *hostem se despectui habere, & fiducia vrbis potiunda iam certa quasi atque indubitata frui*, nummi monstrat epigraphe *sub litera B.*

xliiii Non minori ardore pugnabant obsessi; nam iuramenti formulam, qua cauetur, ne quis de pace verba faceret, renouarant: spemque certam animo conceperant, fore *vt Leo Batauus* antiqua virtute, & fide libertatem suam tueatur, & protegat. Cum verò iam XIV. mense petita sæpiùs non aduenirent auxilia: nauigium illud insanæ magnitudinis in hostium potestatem venisset: miles esset absumptus: infestæ viæ, per quas commeatus subueheretur, tædio tandem obsidionis fracti in *Farnesij* venère potestatem. Annus, dies factæ deditionis hoc exprimitur chronodisticho.

VIrgo LegIt spICas AntVerpIa Colla potētIs
PrInCIpIs HIspanI SVbIICIt ImperIo.

Confœderati cum frustra de auxilijs sibi ferendis, Galliarum Regem *Henricum III.* appellassent: is verò ea tempestate à Guisiana, & Hispanica factione impediretur, legatos in Angliam ablegarunt, tutelam flagitantes aduersùs Hispaniæ Regem. Consiliarij reginæ ad fœderatorum partes propendebant, sed multa occurrebant, quæ rem ambiguam facerent. Regem admodum potentem esse Hispanum: Hugonotas Gallicos auxilia itidem flagitare, vtrisque commodè succurri vix posse. Vicit tamen eorum auctoritas, qui *Leoni Selandico strenuè luctanti*, æquè *vndis suis emergere cupienti*, opem ferendam esse suadebant: Quibus permota *Elisabetha* confœderatorum patrocinium suscepit, acceptis in fidem maritimis aliquot vrbibus, Vlissinga scilicet, VValacriæ oppido munitissimo, & Brila: quæ loca Anglico præsidio firmauit (Ad cuius perennem memoriam æneos nummos Zelandi in vulgus spargebant, quos vide supra) & *Robertum Dudleum* xlvi *Comitem Leecestrium* ad vrbes sibi oppignoratas moderandas misit. Hunc honorificè suscepere Belgæ, & Gubernatoris Generalis titulo donarunt. Cum verò spei, quam animo conceperant Belgæ, non satisfaceret, atque ad rationes de pecunia bellica posceretur: non iniquè tulit, se in Angliam ob res turbatas reuocari. Discedens nummum aureum distribuit amicis, in quo *cani fido* se contulit, qui ægrè à grege auellitur suæ commisso custodiæ. Et vt constaret, quis eius esset in nummi. Belgas animus, *non gregem se relinquere innuit*, *sed ingratos*, hoc est parum agnoscentes, quòd breui illo tempore, quo vixit in Belgio, disciplinam militarem restaurarit: Duysburgum occuparit: cum Parmensis exercitu feliciter dimicarit: valla, ac propugnacula Zutphaniæ obsederit, cæperit. Discessurus itaque *Lecestrius* generalem auctoritatem prouincias gubernandi, Ordinum commisit consilio: sed eam postea

stea ita restrinxit; vt sibi licet absenti, in prouinciarum præfectos plurima sibi reseruaret, quæ Belgicæ libertati derogaret. Hinc Belgæ *Lecesterai* imperij pertæsi, nummum cudi fecerunt, monentes in eo, non ita amandam libertatem, vt eius amore nimis anxio, maiora auocentur incomoda, quæ seruili iugo paria sint, vel maiora. *Sedulò itaque curandum, ne fumum fugientes, in ipsam decidant flammam.* Vel more simiæ, nimijs blanditijs catulos suffocantis, libertatem extinguamus, dum blandimur. Nummos hos vide supra *n.42.*

BELLVM POLONICVM. Ann. 1586.

xlvii POst firmatam inter Turcas, & Germanos pacem An. 1584. obitus *Stephani* Polonorum Regis *Rudolphum* Cœsarem excitauit. Rebus feliciter in Moscouia gestis, Polocensi ditione occupata, vt ex nummo castrensi videre est, cuius characterem accepisse videtur *Stephanus* ex numismate *Vespasiani*, & *Titi* Imper. Rom., qui Iudæa capta simili epigraphe vsi sunt. *Omnia in eo tristia:* Regi vir similis plorans, nihil sibi arma contra vim hostilem profuisse: fœmina eiulans olim libera, nunc captiua: puer plangens, & capillos euellens propter orbitatem. Quod in nummo altero de vigilantia ac solicitudine, belli duces, aliosque



celso loco natos admonet. Pauci enim Timothei, quibus dormientibus ciuitates captæ vltrò in nassam sese insinuent. Tantum Regem animi sustulit indignatio concepta ob insolentem Rigensium contumaciam.

Cum de eius eligendo successore ageretur,
xlviii *Stanislaus Carncouius* Gnesnensis Archiep. ac regni primas, prò muneris ratione Ordinibus Versauiam condicto die, inter cætera proposuit, *vt Rex nonnisi concordibus omnium Ordinum suffragijs renuntiaretur electus. Si quis ambitiosè vota deprehenderetur prensasse, prò hoste patriæ haberetur. Pax Religionis in electione Henrici Regis sancita seruaretur. Reipublicæ bona per externos occupata, regni quæstori restituerentur. Rex electus ante inaugurationem Christophorum Sborouium pristinæ restitueret dignitati.* In eodem conuentu imperium militare *Io: Sario Zamoscio* magno regni cancellario à *Stephano* attributum abrogatur, & *Nicolao Herbordo* mandatur, vt in finibus regni cum tribus militum millibus excubaret. Hæc absente *Zamoscio* decreta, contradicentibus Episcopis, qui religionis articulo subscribere recusarunt *Zamoscius* & alij spetie defensionis, vt se ab iniuria tuerentur, quam patiebantur, comitatu velut militari ad comitia venerunt. Post varia dissidia, pro tempore imperatur pax publica, decretumque externos audire legatos. *Hannibalem Capuanum* Archiepisc. Neapol. quem miserat *Sixtus V.*, ne in comitijs Regi creando indictis, alterius, quàm qui maiorum religionem profiteretur, sermo fieret. Is igitur ante alios auditus, & cum oratione sua id tantùm egisset, vt in Rege eligendo præcipuè cõmendata haberetur religio, minimè tamen dubitabatur, quin inter cæteros regnum ambientes, promouendis Austriacis studeret. Accedebant Septemuirum legati, qui *Ernestum, Matthiam*, & *Maximilianum* Archiduces, *Rudolphi* Cœsaris fratres commendabant, partibusque suis addictos habebant *Gorcensem* Comitem cum familia *Sborouiorum* atque clientibus, quæ à *Stephano* Rege exagitata ad Austrios, illo viuente, confugerat. Ambiebat & regnum *Sigismundus* filius *Ioannis III* Suecorum Regis, & *Catharinæ Iagellonicæ* filius, cui præter *Annæ* materteræ *Stephani* vltimi Regis viduæ preces, antiqua Iagellonicæ familiæ in Remp. Polonicam merita suffragabantur. Tertius regni

xlix *Competitores ad regnũ Polonicum.*

gni competitor erat *Theodorus* magnus Moscorum Princeps, qui vniuersam ditionem suam à Liuoniæ finibus ad mare Caspium vsque pertinentem se Poloniæ cessurum si Rex foret, promittebat; eamque conditionem Lithuani Moscis contermini, obuijs vlnis amplectebantur, quòd bellis Moscicis maximè vexarētur, quamuis plerique prudentiores seriò hæc à Mosco diù vix sibi persuaderent. Vltimo loco habebantur, qui *Piastum*, idest Procerum aliquem ex suis eligendum censebant, credentes regno expedire, vt is Rex designaretur, qui linguam, mores, ac iura gentis perspecta haberet. Exteri enim regnum appetere solent, vt prouinciæ prouentibus se, suosq; locupletent, non vt regnum amplificent. Præterea id grauissimum indigenis esse, exteros sibi in dignitatibus præferri, quod nuper temporibus *Stephani* experti erant Poloni, cuius grassante potentia, Hungari sui cæteris terrori erant, ipsique soli, spretis Polonis, omnia poterant, & obtinebant.

I Etiam Turcorum Imperator partes suas interposuerat, vt is Rex designaretur, qui Turcicum nomen veneraretur. Austriacos apertè excludebat; *Stephani* fratris filios, vel Daniæ Principem commendabat. Post Auditos itaque ambientium legatos, exacerbatis inter proceres animis, cæperunt contumelijs certare. Vnde *Gnesnensis Archiep.*, & *Stanislaus Critius Palatinus Masouiæ* in vicinum locum in eodem campo ad Vistulam secesserunt, peculiarem instituentes conuentum. Loco postea conuenientes ordinario, *Gnesnensis* quatuor candidatos proposuit, *Piastum*, *Moscum*, *Sueuum*, *Austrium*, addens nolle se cum Germano ex comitijs domum redire. Sciscitanti autem *Gorcano*, an & Suecum pro Germano haberet? respondit, hunc ex sanguine Polono ortum esse. Tandem V. Idib. accensis æmulatione partibus, Gnesnensis & cæteri Episcopi (excepto Kiouiensi) ac proceres à *Maximiliano* alieni, relictis *Gorcano*, ac *Sborauianis Sigismundum* Regem renuntiarunt, Lithuani verò medios se interponentes, repudiato *Maximiliano*, Moscum nominant, Sborauianis legatione missa, vt ab electione abstineant, se vicissim laboraturos, ne vlteriùs progrediatur, sed electio in opportunum magis tempus differatur. Vel cum tres Reges sint propositi, *Maximilianus*, *Suecus*, & *Moscus*, si de ijs amicè conueniri non possit, priùs ope diuini Numinis implorata, iuxta S. Scripturæ exempla, sorte dirimatur electio. *Sborouiani* verò in incæpto perstātes, *Maximilianum* Regem pronuntiant, ac postridie ad Franciscanorum ædes congregati, publicas gratiarum actiones peragunt, sacra faciente Cardinali *Radeuillo*; Misso postea nuncio ad *Maximilianum*, in has cum eo leges conuenère. *Vt domus Austriaca octingenta aureorum millia in fiscum Poloniæ, siquid Turca ea electione moliretur offensus, expendenda certis pensionibus inferat. Cum Turcis fœdera Rex nouus seruet, ac renouet. Pontifex, Cæsar, Hispanus, Imperij Principes, qui & Moscum comprehendi curabunt, ad maiorem Turcarum terrorem, fœdus prò Polonis ineant. In limite, ac Podolia præcipuè Austriacæ domus impensis munitiones intra triennium extruantur. Rex nouus libertatem & priuilegia prouincialium seruet etiam inter de religione dissidentes. Dignitates, ac munera publica exteris non attribuat. Controuersias de Borussia & Liuonia, quæ Romano Imperio cum Polonis intercedunt, Cæsar intra quinquennium terminandas curet. Societas instauretur maritima. Academiam Cracouiensem præcipuo fauore complectatur. Quinquaginta nobiles Polonos literis, armisque studentes apud externas nationes, suis sumptibus alat. Poloni in aula Cæsaris, vel Hispaniæ seruientes, vt ad dignitates promoueātur, curet. De Barensi, & Rosanensi principatu, cæterisque Bonæ Sfortiæ reginæ bonis in regno Neapolitano sitis, vt iustis conditionibus cum Polonia transigatur, cum Hispanis agat. Æs alienum Sigismundi Augusti sine fisci detrimento dissoluat, & fidem Regis liberet.* Hæc omnia probauit *Maximil.* Olomuciæ in maiore vrbis templo VIII. Kal. Octob. coram Polonis suæ factionis legatis.

II tres Reges electi à Polonis.

Maximil. Rex Poloniæ.

III Conuentio cū Sueco.

Ab altera parte cum *Sueco* etiam conuenerunt, vt perpetuum fœdus inter Suecos esset & Polonos aduersùs vtriusque finitimos hostes. Mortuo *Ioanne* parente, filius *Sigismundus* Succiæ regnum retineat, primò natum transmittat, & Polonis consentientibus in Sueciam se conferre possit. Liuoniæ partem Suecorum Regi hoc tempore subiectam, Polonis restituat. Classem armatam in Poloniæ, & Lithuaniæ vsus suo sumptu instruat, machinas bellicas certo numero Polonis aduersùs Nougardiam, Plescouiam, vel Smolenkam aliquid tentantibus suppeditet, ad Ventam capras relinquat. Summam centum, & viginti trium millium Ioachimichorum *Sigismundo Augusto*

olim

olim à *Ioanne* Sueciæ Rege mutuò datam, præterea dotem, & hæreditatem paternam ac maternam, & quæcumque alia sibi à regno Poloniæ etiam ratione principatus Barensis deberi contendit, regno donet. Insuper de religione, de munitionibus in regni finibus extruendis, stipendijs exsoluendis, dignitatibus externo nō conferendis adiuncta fuere similia prioribus capita, cum clausula generali, vt ad omnia, ad quæ *Henricus* in regni inauguratione se obligasset, fidem iureiurando obligaret; De capite ad Liuoniam spectante cum ambigeretur; & Suecici legati vlla se Regis Sueciæ mandata habere negarent, *Anna* Poloniæ regina matertera ilicò fidem interposuit, pignori datis omnibus bonis suis, & publico documento petentibus regni proceribus tradito.

liii His actis ad Sueciæ principem accersendum misere legatos. *Ioannes* verò Sueciæ Rex, intellecto de filij electione nuncio, fluctuare cæpit, non tam delato regno lætus, quam de carissimi filij salute solicitus. Offendebatur etiam inuerecunda Liuoniæ petitione, quam à Narua ad Reualiam, & ad Hapseiam per quadraginta Germanica milliaria porrectam tenebat; iniquissimum reputans Polonis filium dare, vnà & creditum cum dote, & paterna ac materna hæreditate remittere. *Sigismundus* similiter electitio regno carere malle ostendebat, quàm auito & hæreditario minimam detrahere partem. Sub id *Ericus Sparre* pròcancellarius, qui electionis negotio operam nauauerat, Dantisco trayciens, oportune aduenicns, fluctuantes patrem, & filium confirmauit, facta in occulto spe, vt conditio de Liuoniæ parte, quæ dura adeo videretur, remitteretur. Cum legati haud se obligassent, tantùm Regina *Anna* vadimonium constituisset; vt pertinaces falleret. Attulerat *Ericus* litteras *Zamoscij*, quibus in Craconiam regni metropolim vnà cum corona, ac regni insignibus se teneri, & in *Sigismundi* potestate esse significabat. Tantum veniret, nec metu frangi sineret; vt qui ad regnum armis quærendum natus esset, vltro oblatum per socordiam amisisse diceretur. Quieuit tandem pater: ea tamen *Sigismundus* lege iubetur nauem conscendere, nè ante è naui descenderet, quàm caput de Liuonia cedenda præterirent. Omnia fuere propitia; remissa conditione de cedenda Liuonia, inauguratur. Nihilominùs

liv *Maximilianus* à *Sborauianis* incitatus, ineunte Octobri, post iusiurandum Olomuciæ præstitum ad fines venerat Poloniæ; ad sacrum Ordinem, Cracouiensem Academiam, & senatum vrbis datis literis, quibus admitti petebat. Cracouiam verò cum *Zamoscius* milite prò *Sigismundo* occupasset, responderunt vnanimes: *Habere se Regem Sigismundum, qui iam in regno sit, cui fidem semel datam violare neque possint, neque debeant*. Cum Petricouiam venisset *Sigismundus* literas *Maximiliani* obuias habuit monentis, vt ex regno sibi legitimè delato recederet. Cui *Sigismundus* contraria admonitione respondit. Porrò Austrius non longe quinque milliaribus à Cracouia castra posuerat, vbi aliquoties velitaribus pugnis certauit. Postea Posnaniensi Palatino mille & ducentos in suppetias armatos ferente cum aliquot tormentis, Cracouiam versùs mouit, spe occupandæ citra certamen vrbis, quorundam ope in ea serio, vel fictè conspirantium. Cum repentè *Zamoscium* obuium habuit maiori militum subnixum numero, à quo, conserto prælio, magna clade affectus est; desideratis ex Austriacis septingentis, totidem captis, amissis tormentis. Austrius cum residuis copijs ad Quadorum fines, vnde venerat, se recepit; quasi subitò post acceptas nouas copias, bellum redintegraturus. *Maximil. vincitur.*

Interim *Sigismundus* Cracouiam venit, vbi solemniter inauguratus, ad Cœsarem literas dedit, suæ inaugurationis certiorem faciens, & rogans vt *Maximilianum*, quem in finibus regni in armis esse cognouerat, ab alieno regno reuocaret. Qua belli denunciatione præmissa, *Zamoscius* summus belli dux in *Maximilianum* mittitur. Bitsinum vicinæ Silesiæ oppidum Austrius aduenerat, quò conuenit Præposuarus Pannonius cum nouis copijs. Quibus freti Poloni, qui cum *Maximiliano* erant, & in primis *Stanislaus Stadnicus*, qui *Sborauio* absente, Polonis præerat, siue innata superbia, siue æmulatione *Zamoscij*, cuius copias semper contempserat, prælio protinùs cum hoste confligendum suadebat; locum adortus haud longè à Bitsino, vbi longus, & angustus agger inter palustrica, & vliginosa loca porrigebatur, per quem bini, vel terni equi simul incedere poterant, has angustias impositis muniri tormentis *Melchior Rederus* Quadorum Regulus prudenter consulebat; Verùm *Stadnicius* alienum dedignatus sequi consilium, nec probauit; nec (*Zamoscio* copias trayciente) vt Ductos aggrederentur, *Redero* suadente, subscibere vo- lv *Sigismund. inauguratur.*

voluit. Sic Ducum discordia, fortis factus *Zamoscius* vniuersas copias in certamen traiecit. Pannonios, & Cosacos in summa fronte collocauit, qui à Polonis, & Austriacis initio malè accepti, fugam meditabãtur; At superueniente *Zamoscio* cum robore exercitus renouatur certamen. Austriaci cum aliquandiu summa virtute impressionem sustinuissent, numero impares cedere coacti sunt, tribus millibus desideratis. Fugit Bitsinum *Maximilianus*, sed victoriam vrgente *Zamoscio*, incendij timore, cum locus nec arte, nec natura munitus esset, deditionem fecit. Captum *Maximilianum* reuerenter *Zamoscius* habuit, raram fortissimi ducis laudem eo facto, hostili confessione promeritus, quippe vincere, victoria vti sciuerit,

lvi Maximil. capitur. nec superbè abuti voluerit. *Sigismundus* ipse eandem moderationem seruauit, nulla gestientis lætitiæ significatione edita, imò datis ad

Sigismūdi modestia. *Zamoscium* literis, ne *Maximilianum* Cracouiam adduceret, vt inuidiam triumphi declinaret; sed in arcem Russiæ Crasnistauam deduceret. Pugnatum fuit X Kal. Feb. Cęsar porrò ac Principes imperij non tam familiæ Austriacæ, in repulsa regni Polonici, quã in *Maximiliani* captiuitate decus Germani nominis in discrimen adduci existimantes, ad arma conclamabant. Terror tamen obstabat Turcarum, ne cum Persis composita pax, in Pannoniam irrueret, & inter duos litigantes tertius gauderet. Ne itaque infidelium arma ab Asia in Europam auerteret; vel indignis precibus apud Polonum defungi videretur, per *Philippum* Hispanorum Regem apud Pontificem egit, vt sequestrem pacis se exhiberet inter Austriacos, & Polonos, præsertim cum de Turcis, Asia omissa, Pannoniam repetentibus fama iàm in Italia volitaret. Haud grauatè onus suscepit Pontifex, & protinùs misso Cardinali *Hippolyto Aldobrandino* facile in hæc conuenit, vt *Maximilianus* dimitteretur à *Sigismundo*, dumodò iure omni in Polonia cederet. Porrò cum à *Sborouio*, & *Stanislao Staniscio* belli denuò prò eius libertate & iure in regno competenti spes fieret, nullo modo *Maximilianus* adduci potuit, vt in has conditiones conueniret. Interea *Sigismundus* proximis bachanalibus officiosè cum regina matertera ad eum inuisendum venit, spe facta de eius breui libertate; sed obfirmato *Maximiliani* animo, nihil eo anno agi potuit; vixque anno sequenti cum vana cognosceret *Sborouij* promissa, conditioni- lvii Maximil. liberatur.



bus acquieuit, quibus in libertatem actus subscribere recusauit.

Hoc tempore cusi dicuntur castrenses nummi, quos suspicis. Positis castris, cum P. Heluio Per-

Pertinace Rom. Imper. *Militemus* inquit *Maximilianus*; quæque iure, ac legibus obtinere haud licet, vi ferroque parare conemur.

Non absimilis priori nummus est *Sigismundi*; In quo *Regis munus præcipuũ est, statuere regni iura, & populi incolumitatem stricto ense tueri.* Æquale vtrique votum, sed dispar fortuna fuit. De fœmina in tertio, siue ea Pallas, siue Bellona sit? fugit.

lviii *Augusti Saxonis mors.* Moritur hoc anno *Augustus* Saxo Septemuir, Austriacæ deuotus familiæ. Is cum pecuniam neruum belli esse intelligeret, eo astu in ea congerenda vsus est, vt simulatã prodigendi licentia, omne patrimonium semel atque iterum oppignorauerit, atq; inde conflata clam grandi pecunia, nihilominùs quasi ad egestatẽ redactus ordinibus suis conuocatis, & ingenua malè gestæ rei cõfessione, veluti culpa purgata eos ad luenda bona sua ita vendita adegerit. Ad hunc astum accessit vitæ parsimonia, & ingens ex Tribergensibus fodinis prouẽtus, qui ad cæteras diuitias accumulatus septies cẽtenna millia talẽtorum decuplauit; quam summam successor *Christianus I.* in eius ærario reperijt.

FÆDVS INTER ARGENTINATES, TIGVRINOS, ET BERNATES. An. 1588

lix FÆdus Anno Sal. 1530. inter se percusserant Tigurini, Argentinenses, & Bernenses, vt sua cuique libertas salua maneret, quique ex his per vim hostilẽ aliquid duriùs pateretur, reliquorum parata haberet auxilia. Vsq; in hunc annum pactis ritè seruatis, nil querelarum, vel diffidentiæ interuenerat Porrò hoc anno cũ inter Cæsarem, Hispanos, & Pontificiç societatis Heluetios societas diceretur inita; liberæ ciuitates vt sibi in tempore præcauerent, missis legatis antiquum fœdus renouarunt. In cuius rei memoriam percussi sunt, quos inspicis, nummi.

LEGA SANCTA.

lx HIspanico edoctus periculo Gallus, sparsam iam hæresim edictis, ac bellis frangere statuerat *Henricus III.* Poloniæ, ac Franciç Rex. Fœdus itaque tacitè primùm cum bonis inijt, quod *Sacrum* est appellatum. Blesis habito conuentu, Hugonotas damnauit. Inde nouæ turbç, quæ tot annos Franciam opibus, viris nudarunt bellis plusquàm ciuilibus. *Alenconius* Regis frater, vt Hugonotorum fautor à Flandris ad suæ libertatis vindictam euocatus fuerat; nõ diù tamẽ cum gẽte Gallico inimica nomini coaluit. Grauem passus seditionem ab Antuerpianis, in Franciam reuersus statim è viuis excessit. Huius obitu *Henricus Guisius* (cum Rex spe prolis careret) in spem regni erectus, Regiæ familiæ principibus labe inquinatis hæretica, *Henrico* Regi haud leuem rerum nouarum suspicionem mouit. Et quamuis Domi ab Hugonotis, foris à Protestantibus periculum immi-
lxi neret (nam *Ludouicus*, & *Fridericus* duces *VVirtenbergici* per legatos *Henricum* Regem monuerant, ne à *Guisio* seductus permitteret, vt reformatæ Religionis turbaret libertatem) cogitauit sibi præcauere, percusso fędere cũ Rege Nauarræo. Sed frustra inter fide dissimiles
lxii querebatur cõcordia. Nouo itaq; *Guisianorum* cõsilio, *Henrico* Nauarræ Regi, *Cõdæoq;* principi bellum decretum. Regijs copijs præerat Dux à *Ioyesia*, læta omnia ex militum ardore, & fato nominis concipiens. Apud Cutracum pugnatum est, forte *Nauarræi* felici, nam momento temporis fulgentia Gallorum agmina à victore *Nauarræo* perculsa, & dissipata fugam faciunt. *Nauar. victoria Ann. 1587.* Captus in acie *Ioyesius*, mox à rixantibus gregarijs tantæ fortunæ captiuus occiditur. Extat nummus triumphalis *Henrici* Nauarræ Regis, in quo insperatam victoriam Deo referens, lxiii inquit, *Sic vincere certum*. Acceptæ cladis decus vindicauit *Guisius*, cæsis apud Alneum Mosellæ Germanis equitibus, qui ad ferenda *Nauarræo* subsidia collecti fuerant. *Guisij victoria Ann. 1588.* Tanto plausu obtigit hæc *Guisio* victoria, vt exceptus à Parisiensibus fuerit eo honore, qui & Maximus est, & Regibus deferri solet. *Nummũ habes littera I. i.* Exitium ei hic peperit triumphus (*adeò nunquàm satis fida potentia, quæ nimia*) namquè ambitu, comitatu, cum Rege penè conferendus erat non dubijs in eũ ciuiũ inclinationibus; Rex vero quasi hereticarum partium fautor, in discrimen vitæ ex ciuili adductus furore, vix saluus euasit. Quippe seditiosi ciues sumptis armis contra Prætorianos, & Heluetios à Rege in vrbem euocatos (cum his in gratiam *Liga Sanctæ* aduersùs Protestantes fœdus renouauerat Anno 1587. vt ex numismate supra vides *littera B.*) vias trabibus obuallauerant; quod à *Guisio* tacitè probari ac promoueri nonnulli suspectabant. Quare frendens ex vrbe regia diris ab irato deuota egressus Rex, *Guisio* exitium tacitè concipit, & exequitur. Nam Blesis Regis man- lxiv *Guisij cædes.*

dato *Guisius* cum fratre purpurato interficitur. Eo facto regnum omne in se prope armauit *Henricus* Rex, *Carolus Menius* Dux Sacri fœderis habito delectu, specie religionis conspirā-



tibus vrbibus primarijs, Parisijs, Marsilia, Aurelia, Burdegala, Tholosa, Rothomago, Lugduno, Trecis, Ambiano, Pictauio) in eū arma tulit, dū Hispani nouis copijs vndiq; fœderati ingruerēt. A sūmo Pontifice diris Ecclesiasticis, à Frācis penè omnibus conuitijs, factionibus vndiq; Regū misetrimus adpetitur, quáuis suū in religioné catholicam animum declararet: etsi *Ligæ Sanctæ* caput se profiteretur; *Guisium*, legatum suum faceret; Hugonotos ab omnibus officijs publicis remoueret, commeatum ijs saluum denegaret: ministros omnes Protestantium intra mensis vnius spatium regno exire iuberet, *non tamen solem hurc* (ita queritur in suo numismate Henricus III quod vide supra *n. 63. litera C.*) *lucemque præsentem agnouerunt duo Vespertiliones*, hoc est *duo Guisij*. Vt itaque rebelles ad officium redigeret, cum *Henrico* Nauarræ Rege inito fœdere (*vide nummum supra n. 3.*) vires auget, comparatis adhæc *Nicolai Har-*

lai

lai Sancyi opera, Heluetiorum XV. cohorti-
lxv *Henrici III. Gallorũ Regis cædes.* bus, vt Parisios obsideret. Cum à *Sicario Dominicano* ad D. Clodoaldi fanum, immani parricidio, detestando sæculis omnibus exemplo, perfidè trucidatur. Vltorem & successorem habuit *Henricum IV.* Regnum suscepit naufragio proximum. *Carolus Borbonius* Cardinalis captiuus, Rex à catholicis renunciatur. *Menius* Dux Franciæ Legatus nouo Magistratu instituto, nudo ac penè exuli *Henrico*, XXX armatorum millia obiecit. Rex quatuor vix armatorum millibus succinctus (quas enim equitum, peditumque copias conscribi in Germania per *Sanseium* curauerat, *Dux Lotharingiæ Carolus* inter Benfeldam, & Marckoilsheimium assequutus dissipauerat, *vt ex nummo triumphali videre est supra n. 63. K.*) ausus occurrere apud Arquesiam primum feliciter pugnauit. Indè

lxvi *Caroli Lotharingi victoria.*

lxvii *Henrici IV. Regis Gallorũ victoriæ.* Yuriacum translata belli mole, vt fortitudinis imperatoriæ, sic clementiæ singularis, ac verè regiæ specimen præbuit, *cum exteris instandum acriter, parcendum ciuibus* imperaret; gnarus *ingentis esse victoriæ citra domesticum sanguinem vincere.* Lutetiam Parisiorum perditum rata *Bearnensem*, (nam id hostium conuicium erat) prò portis victorem videt, stupetque Fortunam Virtuti attulisse præsidium. Victoriæ monimentum sibi in nummo erexit triumphali, in quo *cælitus palmæ demittuntur victoriæ symbolum*, cum lemmate. *Omnis victoria à Domino.* Machabæum æmulatus, Dominum inuocat prodigia facientem. Superbiam detestatus *Aiacis Oiles*, qui à patre admonitus, vt cum auxilio Deorum hostes vinceret; *Ignauos* (respondisse dicitur) *ope indigère diuina.* Numisma *Henrici* Regis, cum Icone *Mayny* vide supra n. 63. H. Sabaudiæ Ducem *Carolum Emanuelem*, qui turbatis Francorum rebus Marchionatum Saluzzensem occupauerat Anno 1588. vt ex nummo triumphali colligere potes supra n. 63. h., in quo *Opportune* iaculantem Centaurum, qui sagittarij inter astra signum refert, cudi fecit; magna suorum clade profligauit; quod Anno Sal. 1591. contingit. Tandem fidei Catholicæ redditus; sublataque larua, quæ ciues in Principem armauerat, è continua multorum annorum iactatione, ac conuulsione, victa Orbis penè (quod difficillimum inter mortales) inuidia, in optatum bonis omnibus otium Rempublicam traduxit. Roma quem nuper è cœtu piorum submouerat *Christianissimum* & *Catholicum* in publico velut Orbis theatro salutauit. Hæc in Gallijs; in Belgium redeamus.

Nummũ habes n. 63. litera E.

lxviii *Sabaudus victor, & victus.*

lxix *Hẽricus Ecclesiæ restituitur.*

COMITIA BELGICA. Anno 1590.

lxx CVm Regina Angliæ *Elisabetha* præter arces, & oppida quæ ex primis cum Hollandis conuentione acceperat, nonnulla alia præsidijs loca munienda curaret, non id ferendum putarunt Amstelyodamenses, & Ledenses, metuentes, ne quod Antuerpiæ *Alenzonius*, idem Angli apud se molirentur. *Mauritius* insuper *Nassouius* grauiter conquerebatur, sibi & Nassouiæ domui maximum in prouentibus vrbium patrimonialium damnum dari: seque inhumaniter admodum, ac iniquè apud Reginam delatum esse, quasi Vlissinga præsidium Anglicum expellere conatus fuerit: petens de iniuria sibi satisfieri, & quicquid detrimenti cœpisset, sarciri. Angla obstare non ausit ne ab Ordinibus desereretur, periculumque timeret, quod sibi ab Hispanica classe propediem anchoras solutura, immineret, perquàm amanter *Mauricio* respondit, *monitorio* delectata *nummo* ea tempestate ab Hollandis excuso, in quo *ollæ fluctibus agitatæ* marinis, clamant, *frangimur si collidimur.* Frangimur & nos, ò Regina, clamant Belgæ, *si animis diffidemus: præda Hispano, cui armis iunctis pares, imò superiores esse quimus, obijcimur. Vt igitur bos bouem inarando non studet anteuertere: sed pari passu cum socio ambulat: sic mutua armorũ, consiliorumque coniunctione, libertati vtriusque seruandæ, incubamus.* Lecæstrius cum iam fatis concessisset, Hollandi belli molem, atque imperium ad *Mauritium* detulerunt: eundemque Marchionatus Vehræ titulo decorarunt, cuso numismate, in quo concordia facit nodum indissolubilem. Ex aduerso *Philippum* Hispaniarum Regem cum iam diuturni, parumque felicis belli tæderet, quod tot annis in Belgas gesserat; placuit vno eodemque prælio de rei summa decertare. Centum itaque & triginta nauibus militaribus instructa classe, sub imperio *Alphonsi Peresij Medinæ Sidoniæ Ducis*; Admiralio *Io: Martino Recaldo* Cantabro, Anglos & Hollandos statuit vnà aggredi: Instruxerat vicissim Regina & ipsa classem, sed mole sua imparem illi, aptitudine tamen loci, tempestatibusque Oceani superiorem. Præerat huic *Carolus Hor-*

lxxi *Nummũ habes sub litera E.*

rar-

vadus Bano, & *Franciscus Dracus*, qui classem in duo cornua diuidentes, Regias naues ma- gna expectabant auiditate; quæ vbi conuenerunt. Prætoria 200. doliorum capax, & hoc



machinis æneis bipartito ordine munita, dum suo robore freta à reliquis seiungitur, hostibus præda, & subsecuturæ victoriæ omen fuit. Die postero, qui primus Augusti fuit, tanta tranquillitas maris extitit, vt se loco mouere non possent; Altero verò die, dum ventus esset intensior, hostem Angli anteuertunt, naues suas equorum instar rotantes, dum nullo negotio tormentorum pulsu, nunc dextrum, nunc leuum Hispanorum latus concutiunt; grande inferunt damnum. Nihilominus classis Regia, flante Fauonio in Caleti portu (quoad promissas *Farnesius* copias submitteret, quæ partim aduersis ventis, partim Zelandicæ classis, ad portum Flandriæ excubantis metu, adesse non poterant) commorari fixis anchoris constituit. Angliæ porrò Architalassus, cum viribus ægriùs posset, astu subuenit. *Sidoniæ* namque *Dux* dum in Caletano portu constitisset cum

lxxii *classem Hispanã Angli vincūt.*

vniuersa penè classe, *Dracus* intempesta nocte, octo nauigia maiora, pice, resina, & sulphure oppicauit, vncisq; ac hamis ferreis instruxit: quę valido aspirante vento accendit, & in classem fundo immisit affixam. Turbati Hispani, veriti ne & naues suæ flammam conciperent, fuga salutem petere contenderunt, recisisque rudentibus, naues in eam partem, quò ventus ferebat, conuerterunt. Tunc mare acriùs concitatum, fluctus ciere, & inter se nauigia collidere. Iamque scindi cæperant vincula, quibus connexæ fuerant, ruereque carinæ, & cum ingenti fragore in profundum Regias opes, militemque secum trahere. In oculis duo nauigia omnium maiora submersa: quædam in vada expulsa substitère immobilia, mox hosti prædæ futura. Reliqua classis turbatis nautarum officijs, Africo dies aliquot continuos flante, ad extremæ Daniæ fines propulsa, tandem multis

denuo

denuo nauibus ad Hiberniæ littora amiſſis, plena dedecore in Hiſpaniam rediit; ita permittente Deo, cuius eſt amicum gladio percutere inimicorum, & inimicis vindicare inimicos. Catholici namque ſi non fide moribus tamen à lege aberrantes, ſummi Dei vindictam excitauerant. Suſpice *triumphalem nummum n. 72.* ab impia cuſum *Eliſabetha* Angliæ Regina in ſummi Pontificis, totiuſque catholici cœtus obprobrium. *Habes ſub litera F.*

lxxiii *Anno 1590. Bredam occupăt Hollădi.* Nouum Hiſpanis attulit infortunium, *Mauritius* ſtratagemate *Breda* recuperata. Exeunte Februario Montes Gertrudis obſidere ſe velle ſimulat; & iam rumor vicina loca peruaſerat. Bredæ gubernator eò profectus, omnia ad defenſionem præparat. Abſentiæ occaſionem nactus *Naſſouius* nautam conuenit, qui ceſpites (quibus nutriendis ignibus vtuntur) ex more in arcem Bredanam aduehere ſolebat; cum quo ita egit, vt nauis ipſius tecto depreſſo tegerentur ſeptuaginta milites: eidem deinde ceſpites areſacti, in formam laterum, ordine & altè imponerentur. Nauta vento contrario repulſus, biduò tardiùs Bredam veniebat, quàm ſperabatur. Tertio demùm die ſub veſperam in arcem nauem ſubuehens. Hyemis quia aſpera erat, ceſpitibuſque in arce egerent, ſtatim nauem exonerare cœperunt præſidiarij, vſque dum nox immineret, ceſpitibus reſiduis in naui relictis. Profunda nocte, cum præſidiarij omnes, exceptis ſolitis excubijs, ſomno ſopiti iacerent; milites naui egreſſi, facili negotio, paucíſque deſideratis, toto caſtro potiuntur. Inde datum *Naſſonio* ſignum, qui per porticum in arcem intromiſſus, eruptione deinde in vrbem facta, Italos improuiſa arcis occupatione territos, nō expectata pugna in fugā egit. *Nummus eſt triumphalis*, in quo *milites è naui ſua, quaſi equo Troiano in continentem proſiliunt;* ſub lemmate, *parati vincere, aut mori.* Habes ſupra *n. 71. litera G.*

lxxiv *Comitia Coloniæ.* Ex hiſce aſſiduis incurſionibus militum, tam Regis, quàm Ordinum, vicinæ Prouinciæ, & Imperij ſtatus, circulus præcipue VVeſtphaliæ grauia patiebantur incomoda. Quapropter Coloniæ conuenientes omnes ad Rhenum Principes legatos ſuos Bruxellas primò ad Parmenſem, deinde ad Ordines Belgicos miſerunt: Summa legationis erat, *vt prò veteri amicitia tam Rex, quàm Ordines oppida, arces, quæ in ſolo Imperij Romani ſubdito extruxerant, vel occupauerant, redderent; ne vltra quotidianis præſidiariorum incurſionibus pateret Imperium.* Ad hæc Ordines (de Parmenſis quippe reſponſo non ſatis conſtat) *nil ſibi gratius contingere poſſe, quàm cum vicinis Principibus amicitiam colere. Valde tamen ſibi moleſtum eſſe, ſe malè audire, & inſimulari, quaſi ſint ij, qui pacem, & priſtinam turbarint tranquillitatem: cum nonniſi extrema neceſſitate compulſi, arma ſūpſerint. Hiſpanos verò in diuerſis locis Romano ſubditis imperio, oppida occupaſſe, & adhuc occupare, non vt ſe defendant, ſed vt pomeria proferant. Tandem ſe paratos eſſe ad loca omnia, quæ in Imperiali ſolo occuparent, & hoſtibus ſuis extorquere poſſent, legitimo ſuo domino reſtituere, vt antiquum cum vicinis Germanis fœdus conſeruarent.* Cæterum quod ad ſui purgationem aſſumpſerant Belgæ, *Iuſtum eſſe bellum, & neceſſarium*, id in nummo paulo ante eam legationem percuſſo, extare voluerunt. In quo *Liber Religionis eſt ſymbolum: pileus libertatis; manus ſex prouinciarum Geldriæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Friſiæ, Tranſiſulanæ, & Vltraiectenſis: ſic ſagitta complicatæ concordiam denotant. Quid verò pulchrius, quàm religione niti libertatem tueri: ſociatas in periculo iungere manus. nec tamen viribus ſuis, ſed præpotentis Dei auxilio confidere?* Etiam Turcæ, & barbari Dei ſolent inuocare ſuffragium. Quibus quandoque benignè reſpondet non ad iuſtitiam cauſæ, ſed ad correctionem amici. lxxv *Nummū Belgarū vide n. 71. litera C.*

lxxvi *Cæſaris legatio ad Batauos.* Parum tamen cum legatio hæc proficeret Statibus Imperij; *Rudolphus II.* Imperator, pacis cupidus, cum irrito conatu Anno Sal. 1578. compoſitionem inter Hiſpanos, & Belgas ſuſcepiſſet, Anno denuò ineunte nonageſimo primo huius ſeculi, legatos in Hollandiam miſit, qui Ordines ad pacem prouocarent, & munitionum reſtitutionem hortarentur in imperio occupatarum. Ordines poſtquam audiſſent legatos, multa, quoad reſtitutionem munitionum, in medium adferunt. *Hoſtibus ſe eas ſuis & quidem impenſis non exiguis ademiſſe: facere ad defenſionem ſui: neque Hiſpanum, quæ in Imperio tenet, relicturum. Spem tamen aliquam faciunt, ſe eas aut imperio, aut legitimis dominis reſtituturos. Cæterum Cæſaream rogant Maieſtatem, ne deinceps fruſtraneo labore defatigare ſeſe velit. Pacem ſe habere, aliam cum Hiſpano inire, Reipublicæ non fore ſalutarē. Neque de pace ſe agere ſaluo honore, ſaluaque conſcientia poſſe, niſi fortè & vicinis, & amicis omnibus fabula eſſe velint. Vulgus amabili pacis nomine poſſe decipi,*

ut exoptet id, cuius pernitiosum exitum ignorat. Compertum satis esse praecedentibus de pace colloquijs, nunquam Hispanos synceram pacem voluisse. Literas Hispaniarum Regis ad Guilhelmum de S. Clemente legatum suum, in aula Caesaris degentem, missas, & interceptas abundè demonstrare non veram, sed fictam pacem aucupari. His freti Ordines, pacis oblationem repudiantes, nummum percusserunt, in quo *sedet in sepi viminea Virgo Batava, secura, periculi expers, armis nudata, suauiter somnum captans.* Hic Pax patet insidijs: *fracto repagulo, confestim hostes insiliunt, incautam opprimunt.* Rursus in *sepi residet viminea Virgo Batava, quantum homo potest, excubans: circumspecta: sobria: gladio instructa vigilibus septa:* Hic Tuta Salus Bello est: *clauso repagulo vel nullae apparent, vel fractae hostium machinationes: paucisque vigilantibus, reliqui sorbent dormientes* (cum Plauto vt loquar) *& magnum naso clamant.* Optimus verò Caesar non destitit, auctoritate quoque aliorum Principum, pacis vrgere negotium. Quo voto Dominum *Reitium*, cui legationem commiserat, tam diù in aula detinuit, vsquè dum naturae debitum persolueret. Belgae vicissim rerum suarum satagentes, hostique in dies formidabiles facti, Dauentriam, Zutphaniam, Hulstum, Nouiomagum recipiunt. Cusū hoc tempore dicit ab *Alexandro Farnesio* nummū *Luchius*, in quo *caballo confidens dux, ad pugnā exit: memor verò humanae imbecillitatis, Deū in auxilium cōtra hostes suos vocat.* Piè omninò, & sapienter, cui Rex ille Regū, & dominus exercituū ei militat, sicut olim prò Theodosio, totus

militat Æther:

Et coniurati veniunt ad classica venti.

Vide nū-mū Hol-landorū n. 71.

lxxvi Farnesij nummū vide n. 71. B.

NVPTIÆ INTER SIGISMVNDVM REGEM POLONIÆ, ET ANNAM AVSTRIÆ. Ann. 1592.

lxxvii Poloniae Rex *Sigismundus* (scribit Luchius) nuptias *Annae* filiae *Caroli* Archiducis Austriae, *Rudolphi* Caesaris patrui hoc tempore ambibat; quamuis nonnulli Poloniae Ordines dissuaderent, imò & Regi, vt abstineret, imperarent. Sperabant vicissim matrimonio hoc, antiquam necessitudinem, & amicitiam, quae inter domum Austriacam & regnum Poloniae semper fuerat, iam verò duabus vltimis electionibus inter vtrosq; *Maximilianos* Imperatorē patrem, & *Maximilianum* filium nonnihil labefactatam, resarciendam fore. Adornata itaque in Bohemiam legatione, Cardinalem *Radziuilium*, Episcopum Vladomiriensem cum pluribus alijs magnae auctoritatis viris, voti sui explicandi causa mittit. Hi syncera fide, solerique prudentia munus suum obeuntes, nuptias firmarunt, sponsam in Poloniam magna pompa deduxerunt. In nuptiarum celebritate *Missilis nummus* sparsus est, in quo *duae palmae lato à se inuicem seiunctae flumine, ramos nihilominùs suos connectunt.* Sic *Anna* pretiosis familiae, corporis, inprimis animi dotibus ad se trahit *Cor Sigismundi* nulla impediēte locorum distantia. *Aquilae* porrò *imperij, Regniq; Poloniae dū insignia domus Austriacae vtrinque apprehendunt, sociatos matrimonio eos denotant.* Sed à Venere ad Martem Alsatia euocat. lxxviii

BELLVM ALSATICVM. Ann. 1592.

lxxix IOanne Comite Manderscheidio, Episcopo Argentinensi apoplexia extincto, Canonici qui ob reformatae religionis studium, & nauatam *Gebhardo Truchsessio* Archiep. Colon. operam à Pontificio legato fuerant excomunicati, die ad electionem noui Episcopi constituta per *Ioachimum Carolum Ducem Brunsuicensem* Praepositum, *Pontificios* Argentinam, vtpote locum ordinarium, & antiquitus ad id destinatum vocauere. Decanus verò, & Canonicorum Pontificiorum maior pars Tabernis Alsaticis conuenerunt; minimè tutum arbitrantes electionem Argentinae fieri. Imperatorem porrò de morte Episcopi certiorem factum rogant, sibi vt curam diaecesis haberet. Rescribit *Rudolphus* se breui legatos missurum, qui eam administrent, donec nouus eligatur Episcopus, interim nil innouetur. Canonici autem Protestantes *Ioannem Georgium* Marchionem Brandenburgicum, filium *Ioachimi Friderici* administratoris Archiep. Magdeburgensis in administratorem Episcopatus Argentinensis elegerunt, qui acceptata electione, post biduum omnibus Episcopatui subiectis obedientiam mandans, dein tertiò arcem Episcopalem violenter occupat. Pontificij & ipsi sibi vigilandum rati, nouae electioni IX. Iunij diem constituerunt, quamuis Caesar, se patruum suum *Ferdinandum* Tirolis comitem, ipsis administratorem missurum scripsisset.

Icones habet n. 82. C.

Iconem habes n. 82. set. Initis itaque suffragijs *Carolum Lotharingiæ Ducem* S.R.E. Cardinalem, Episcopum Metensem eligunt. Lotharingicus oblatam accipit dignitatem, oppida Episcopalia à Brandenbur-



gicis expugnata reposcit, armis expugnat. Post aliquot velitationes hinc inde commissas, tria millia Heluetiorum Argentina in suppetias Brandenburgici aduenere, qui confœderatorum auxiliaribus iuncti, III. Augusti Molshemium obsederunt. Cum vero XV. Aug. commeatus pro toto exercitu, necnon stipendia pro tribus peditum signis ciuitas mittere teneretur in castra; Comes *Vademontius*, & ipse *Dux Lotharingiæ*, qui se Cardinali fratri cum copijs iunxerat, hæc rescifcens, magna obuiat hosti celeritate; eumque non procul à pago Dippichen assequutus, cædit, sternit, captis impedimentis cum pecunia, & commeatu. Dum hæc gerebantur in Dippichen, Molsheimenses præsidiarij eruptione facta, ne Heluetij periclitantibus socijs opem ferrent, tribus penè horis conflictarunt, hostemque distinuerunt. Tristi nuncio in castra allato, deficiente commeatu, obsidionem soluerunt Brandenburgi-

lxxx *Vademontius.*

ci; Argentoratum reuersus *Brandenburgicus* Principem *Christianum Anhaltinum* sollicitauit, vt belli curam susciperet. Venit cum 200 equitibus: cum Lotharingis pugnauit, & vicit: Molshemium obsedit, & obsessis puluere deficiente tormentario, deditione accepit. *Anhaltino* iungitur postea *Ernestus Fridericus Marchio Badensis* cum mille equitibus, & bis mille peditibus. Mutuę factæ sunt velitationes, & excursiones non sine vitæ discrimine ipsius Principis *Anhaltini*. Moneta, qua stipendia militi, bello durante, soluebantur, tribus insignibus Administratoris, Capituli, & Vrbis notata vtebantur socij bellatores, cuius valor viginti *baciorum* erat. lxxxi *Badensis.*

Habuit quisque numisma suum. Comes *Vademontius* habuit *arcum cum sagittis*, vt belli amoris, penitentiæ, velocitatis, cordis, atque consilij: sic *mutui quoque auxilij* hieroglypton est. Huius fortè (inquit Luchius) *Franci-* lxxxii

Sal. An. 1593. *ſcus* extare monumentum voluit, ob ſtrenuè fratri in bello Alſatico nauatam operam. Vel forſan innuit, quòd *prudens armorum tractatio non niſi labori vnita ac tolerantiæ (cuius palma, ſymbolum) coronis triumphalibus victorem condecoret*.

In altero nummo Princeps *Anhaltinus* præſeferre videtur, quòd fato quodam de bello in bellum adducatur. *Ex hoc in hoc*.

Geryon, quem nummus *Ernesti Badenſis* refert, concordiam annuit inter *Badenſem*, *Brandenburgicum*, & *Anhaltinum*, quæ tantas vires habet, vt vix ferè vinci aut domari queat. Quod apertè docuit *Scilurus* ille Scytha, cum morti proximus, ex telorum faſciculo colligato, ac rurſus ſoluto, inuictam concordiam filijs commendauit. *Ergo fœdera & ſocietates cum quoquis copulandæ?* negat id nummi epigraphe. *Nec nulli, nec omnibus*: venuſtè Pythagoræ illud monitum corroborans, *Non cuius dextram iniciendam eſſe*: & illud alterum Solonis. *Amicum ne citò pares: paratum ne reijce*.

Digladiantibus itaque cum Lotharingis, fœderatis; Legati venere Cæſarei, *Gallus Adamus Poppellius*, *Chriſtophorus à Stadion*, & Doctor *Michael Textorius* vt pacem inter eos conciliarent, denuntiatoque Magiſtratui Cæſaris mandato, vt arma deponerent, qui licet ob numeroſum exercitum, hoſtibus ſe iam ſuperiorem facilè arbitraretur, mandatis tamen Cæſaris ſe pariturum promiſit. Neque Lotharingi viciſſim animus à pace abhorrebat: vnde vltro, citroque commeantibus legatis, poſitis armis, arbitrio ſex prædictorum Principum litem dirimendam permiſerunt. lxxxiii *mandante Cæſare fit pax.*

BELLVM TVRCICVM. Ann. 1593.

lxxxiv PErſico implicitus bello Turca, ad ſpeciem fidei, & iuſtitiæ accomodauit perfidiam, quam in Chriſtianos lege religionis exercet. A Kal. Ianuar. Anni 1584. vſquè in Annum 1593. pactæ erant inter Romanum, & Turcicum Imperatorem induciæ; nihilominùs *Turcæ cæſi in Carnis.* Turcæ Carniolæ fines ingreſſi, oppidorum, & pagorum incendio, quo animo cauſam ſuſtinerent chriſtianam, oſtendère. Chriſtiani verò collecto tumultuariè milite, reuertentem inſequuti Turcam, ad Slunum Croatiæ oppidum tanto ardore iniere pugnam, vt cæſis 4000. Turcis, prædam omnem recuperarint. Cladis certior factus *Amurathes*, ſe inſcio, excuſans irruptionem factam, iure cæſos pronuntiauit. Literas etiam ad vtrumque *Baſſam* Hungariæ Budenſem, ac Temeſuarenſem (quarum exemplar iuſſit *Rudolphi* exhiberi legato) dedit, ſeuerè inhibens ne contra leges induciarum ad turbandam in Hungaria pacem, attentarent.



Hoc tempore cuſus eſt nummus, in quo *Monſtrum lupi forma, cauda ſerpentina: erecto circa humeros colubro, pedibus vncis conſpicitur, & Sultanus Amurathes eſt: cõtra cuius furorem ſemetipſum alloquitur, atque exuſcitat Imperator* verſu Virgiliano

Tu ne cede malis: ſed contra audentior ito

Audentior, *quia Parma te conteget patientia*, ac

ac tolerantia. Audentior, *quia hostem feriet gladius vindictæ*. Audentior *quia in nube apparens Dei gloria, sanctorumque Angelorum te cinget, ac circumdabit præsidium*.

Sal. An. 1588 Anno postea 1588. cum oppidani *Zihzouienses* debitum Turcis non pensitassent tributum, annonæ ingenti pressi caritate, & summa egestate; Budensis Bassa collectis decem millibus Turcarum irruit in *Zikfouienses*, qui cum humili obsecratione dilationem solutionis non potuissent impetrare, precibus in iram versis, Turcarum imperium planè abiecerant, vallo, aggeribus oppidum munientes. Populantibus Turcis obuiam processerunt presidiarij *Rudolphi* numero 1070: cum quibus inito certamine, victi sunt Turcæ. Inuentis in loco pugnæ circiter 1300 Turcarum cadaueribus: totidem viui capti, nec pauci in syluis latentes à rusticis] occisi sunt. Sub hasta 276. captiui venditi; nonnulli ad *Rudolphum* Imperator. cum signis militaribus, muneribusque pretiosis missi. Ex Christianis 370. desiderantur. Bassa Budensis ob acceptam cladem vinctus Byzantium adducitur, in eius locum alio submisso. Irritatos Turcas placauit *Rudolphus* solita pensione tributi, & excitauit vt in Croatiam solitis irrumperent incursionibus, Christianorum freti timore, quòd Cœsar iacturam potiùs præteriret prouinciæ, quàm Sultani arma prouocaret. Regnabat *Amurathes III.* auri magis, quàm gloriæ cupidus, qui tumultuantes milites, & summi quæstoris necem poscentes non erubuit dono placare. Quærentibus in ProRegem, *Sinanum*, deposuit *Sciaus*, dato *Sinano*, vt iam munera & dignitates miles indulgeret tumidus, non monarcha. Minimè illis cum esset veneranda maiestas, conspectante Rege mercatorum populabantur tabernas, & bona diripiebant subditorum. Militari furori volens occurrere *Sinanus*, proposuit *in solum Christianorum milites deducendos famelicos ibique saturandos, ne Turchiam deglutirent*. Maritimam suadebat *Amurathi* expeditionem, *quòd terrestribus copijs satis pomeria extendisset in Persia*. Vocauit ad se *Amurathes* architalassum *Cicalam*, qui in partes & ipse descendit *Sinani*. Sed supputatis expensis ad classem parandam necessarijs, horruit auarus Monarcha, & terrestrem decreuit, grauiter dissentiente *Sinano*, & mussitante *degenerem filium à Selino patre, qui Othomanico imperio regiam Cypri adiecerat insulam, minimè studere gloriæ militari*. Hinc solita Turcarum superbia, *suam iactando virtutem, fata accusabat, quod ortum nactus non esset in diebus eorum, qui disciplinam profiterentur militarem. Nam vt Persam, & Tunetanū domuerat, animum haud sibi deesse, vt Roma Pontificem deturbaret*. Terrestri itaque expeditione decreta, summum furorem in Hungaros effusurus, ingentem in eos misit exercitum, qui extremum Croatiæ oppidum, & arcem VVihitzium, quæ annos 150 iam propugnaculum Christianæ Reipublicæ extiterat aduersùs Turcas, cum alijs castellis & vrbibus occupauit, multa hominum millia sine discrimine sexus, & conditionis trucidauit, reliquam multitudinem in seruitutem abduxit. Hæc repentina & violenta Turcarum in Christianorum partes irruptio contra spem accidit, cum induciarum tempus nondum finitum esset. Panicus quidam terror Croatiæ inhabitores ita concussit, vt nunciato quamuis falsò Turcarum aduentu, Labacum Carniolæ metropolis adeò trepidauerit, vt ad vasa conclamaret: festinantibus omnibus sua quisque arripere, quæ duceret pretiosiora. Matres à liberorum amplexu & osculis, quasi numquàm eos visuræ, auelli vix poterant: incondita turba tumultuabatur: vlulatus, planctus audiebatur in vijs, lacrymabile denique spectaculum cernebatur vbique. Tandem cum Turcam ad portas appropinquasse rumor esset, in tuta auolare loca pro se quisque nitebatur. Cœco in tumultu multi pedibus hominum atque equorum obterebantur pueri, exanimabantur mulieres. Ex tanta consternatione vix triduò respirarunt, aduentantibus nuntijs, & iurantibus, viginti, & amplius milliaribus ab vrbe abesse. Turcarum irruptione cognita, *Rudolphus*, statim cogitationes omnes conuertit, vt maturè occurreret. Quocirca quanta potuit celeritate, ingentes ex Syria, Carinthia, Austria, Hungaria, & superiore Germania copias collegit. Legatos suos, qui solita munera vt Turcis offerrent, iter susceperant, reuocauit; non sine indignatione *Sinani*, qui Christianorū auro militibus suis stipendia soluere cogitauerat. Eos retrocessisse certior factus, furore succensus, ad se vocatum oratorem *Rudolphi* de falso increpa-

Marginal notes: lxxxv. Sal. An. 1589. Turcarū seditio. — Amurathes III. increpatur à Sinano. lxxxvi — lxxxvii Turcarū irruptio.

pauit:Is autem prolatis literis, se promisisse respondit, quod Cæsar commiserat. Reposuit Turca adulteratas ab eo fuisse literas, quod non foret impunè. Et protinùs carceri datur Germanus interpres;tanto terrore perculsi cæteri,vt trepidarent si quid explanandum esset, quod Turcis displicere posset. Ipse legatus sub custodia positus, omni prohibetur colloquio. Eius æconomus obliterata Christi fide, arcana patefecit familiæ,scripturas, quas Turcæ occuparunt. *Sinanus* Bassa accepto mandato Croatiam populandi,ita tamen ne Induciarum violatio *Amurathi* imputari posset, damna volens
lxxxviii compensare recepta, Europæis collectis præsidijs, viginti mille selectos milites sub signis recensuit. Hisce copijs Siseccum obsidione cinxit, decem tormentis muros diu noctuque quatiendo. Præsidiarij centum tantumodo erant natione Alemanni, reliqui prouinciales. Vicinæ vrbes obsidione cognita, & ipsæ collegerunt militem Duce *Andrea Aueospergio*: *Melchiore Redereto*: & *Ruperto Eggenbergio*. Octo mille sub Christianorum signis fuere, qui solutis habenis in Turcam irruentes, tanto ardore pugnarunt, vt hostem numero longè superiorem in fugam verterint, desideratis ipso *Sinano*,& *Mehemethe* Sultani *Amurathis* ex sorore nepote. Ferro, aqua,igne decem millia cecidere Turcarum. Spolijs onusti Cæsarei, totam redemissent Pannoniam,si cursum fuissent prosecuti victoriæ Verum cum à Cæsare in mandatis haberent defensionem, non offensionem, ne violare dicerentur inducias, quærentes pacem, habuere bellum. Tristem nuncium vt mitigarent aulici, gregarij militis exposuere caput, vulgantes Strategi esse Cæsarei.ProRex verò nonnisi aperto bello exagerabat posse iniuriam vindicari; Regum etiam Christianorum legati, qui Austriacam æmulabantur potentiam, Sultanum ad bellum incitabant. *Mehemetis* mater furore exardens, improperabat fratri ignominiam Othomano illatam nomini; nec destitit, donec ad bellum erupit.Bizantij,Budæ indicitur. Vocantur Tartari,Commeatus imponitur. Regius Orator ad militem sermone facto,*disciplinam suadet,obedientiam prædicat,fortitudinem excitat.Præmia exhibet, gloriam extollit;quæ si ipsis, vt proauis foret in tuto, non solum Viennam expugnaturi essent,sed Orbem*. Tanta facundia perorauit,vt plausum extorqueret cum lacrymis. *Sinanus* ipse non Bassa,(nam is suffocatus aquis in præterita expeditione perierat) sed *ProRex* exercitus imperio suscepto,quadraginta millibus hominū stipatus, Budam iter arripuit,secum ducto Cæsareo legato, sed in vinculis, forsan vt solus belli, pacisque arbiter foret. Budæ relictus, miserè ille perijt. *Sinano* patri filius præcurrerat cum milite præsidiario. Centum millia militum ducebant pater,& filius. Siseccum, quod ante *Sinanes* Bassa expugnare non potuerat, in deditionem accepit, defensoribus pannico timore correptis, absente Christianorum exercitu.Vesprinum, cui *Ferdinandus de Samaria*, & *Georgius Andreas de Hoffkirhen* præerant, arctissimè obsessum die VI. Octob, expugnat:inde Palottam mouet, eamque tanto furore concutit, totque oppugnationibus præsidiarios fatigat, vt cum nulla spes esset eam defendendi, *Petrus Ornandus* Hungarus, qui loco præerat, cogeretur cum hoste pacisci, arcemque tradere. Cumque vitam & fortunas iam ab hoste impetrassent, certisque conditionibus, sacramento confirmatis, hostes admissi essent, Barbarus nihilominùs capto præfecto cum duobus alijs, reliquos omnes crudeliter trucidat.

Turca victi ad Sisecū.

Turcarū noua expeditio. lxxxix

Victoriæ

Iconē Sinani habes p.77 sub F.

xc Interea Veneti, qui se tam à propè periculo abesse cernerent (in Cretam namque crediderant futuram Turcarum irruptionem)ad tuendum Fori Iulij limitem de munitione loco idoneo cogitarunt extruenda, quæ in præpotentes Turcarum exercitus diù obsidionem sustinere par esset. Eo positu,vt commode in eam submitti auxilia,& commeatus importari possent, Contra ex hostico in castra inimica difficilis annonæ esset subuectio. Sic enim fore, vt si ab ea limitis parte vim facturi Turcæ essent, in illius munitionis expugnatione fatigari necesse esset, Non enim verisimile fieri,vt homines belli peritissimi, vlteriùs progressuri tam firmum locum à tergo relinquerent. Si autem in difficili obsidione numerosus exercitus diutiùs hærere cogeretur, proculdubio commeatus inopia, Cœli insalubritate admodum frangeretur. Etsi locum tandem capi contingeret, interea per otium loca vicina muniri, copias colligi maiores, & cum recentibus viribus de attrito diuturna obsidione exercitu facilem fore victoriam.

Palmam Veneti extruūt.


Habito itaque cum locorum muniendorum peritis consilio, citra Lisentiam amnem, inter Palmadam, Laurentij fanum, & RoncLusam pagos, X ab Vtina milliaribus; VIII à Marano;

II à

II à Strasoldo; IV ab Aquileia vrbs strui cœpta est, VII Octob. celebri & D. Iustinæ sacro ob memoriam victoriæ, eique *Palmæ* impositum nomen non tam à loco, quàm ab augu-





















rio. Forma ferè rotunda, & IX propugnaculis distincta, cum profunda fossa, ac vallo circumducto. In medio arx, V. propugnaculis firmata, in qua Venetus præfectus habitat. In eruendis fundamentis religiosæ ceremoniæ adhibitæ, Dei nomine inuocato; Nummi aurei, & argentei cusi sub angulari lapide positi, in quorum antica parte S. Marci effigies, in postrema munitionis designatio visebatur, in eiusque medio *crux cælata* cum hac inscriptione, *Hoc signo tuta*. In circuitu additum, *Fori Iulij, Italiæ, & Christianæ Fidei propugnaculum*. Ad

Nummus vide supra G.

Cœ-

Cœsareos regrediamur, qui ducibus *Christophoro à Teuffenbach Meyrhofiæ Barone*, Comite *Serino*, *Nicolao Palfio*, collecto milite, Albam Regalem obsidione cingunt, sperantes subitanea impressione, sine sanguinis effusione vrbem occupare. Omnia tamen aduersa. Fores propugnabant obsessi, vt obsidionem soluere Christiani cogerentur. Sed en Bassa Budensis, à quo intercepti, pugnæ subiere discrimen. Bihorio certatum acriter; nostris tandem inclinauit victoria, octo mille Turcarum cœsis, impedimentisque relictis. Porrò non ab homine Turcas victos credas: vt Germani vincerent, nubes obumbrauit hostem, ne conspiceretur. Si tantum Christiani vidissent, forsam non pugnassent. Inito certamine, Ventus dissipauit caliginem, & fumum tormentorum retrouertit in hostem, quo excæcauit. Prospero euentu excitatus *Teuffenbachius* Zabarziam duxit, & interfectis præsidiarijs expugnauit: Villekum arcem & loci natura, & opere humano insigniter munitam, incolis & Turcico dimisso præsidio, occupat: arces Deuinum, Seczienum, Hollochum, Dregellam, aliasque diuersis annorum superiorum interuallis Turcarum imperio subiectas, recuperat: multa Christianorum millia liberat: prædaque onustus opima, ad suos redit. Vide nummum Iconicum *Teuffenbakij*, & Sinani supra *n.* 90.

XCI Turcæ victi Ann. 1593.

Victoria Christianorum.

Tantis successibus inflammatus *Rudolphus* Imperator *Matthiam* fratrem, Archiducem Austriæ, in Hungariam misit cum summa imperij potestate, eiusque Vicarium *Palfium*. Frater namque *Ernestus* in Belgium descenderat.

XCII Mors Farnesij.

Fatis concesserat *Alexander Farnesius*, quum in Galliam nouam expeditionem pararet Rigiaci, ex assiduo labore egritudine contracta, Dux ea ætate clarissimus. Mortuo magna pompa parentatum, *P. Ernesto Mansfeldio* eius vicario proximè cadauer sequente. Altercatione inter Italos, & Hispanos exorta, vtri præcederent? Itali peruicerunt, vt in exequijs sui imperatoris, qui intermortuam militaris scientiæ in Italia gloriam non solum renouasset, sed supra alios retroduces in maximum fastigium extulisset, primas tenerent. Exuuiæ in Italiam delatæ tenui funere, in æde Pacis Parmæ cum Maria coniuge, vti testamento mandauerat, humili habitu humatæ sunt. S. P. Q. R. ob res magnas pro Christiana Rep. gestas in ara Cœli iusta persoluit, & more maiorum marmoream statuam ex S.C. in Capitolio posuit. Summam Prouinciarum præfecturam *Mansfeldius* ad tempus accepit, donec *Ernestus* Austrius *Rudolphi* Cœsaris frater in Belgium venit à *Philippo* destinatus, relicta Pannonici belli administratione. Coloniæ ab *Ernesto* Archiepisc. Septemuiro cognato summa gratulatione acceptus, per Lucemburgicum agrum XIV Kal. Feb. Namurcum venit, vbi obuios habuit *Carolum Croium* Cimaci principem prouinciæ regulum, *Petrum Enricum Gusmanum* Toletanum, comitem Fontanum, & *Camillum Caraciolum* Auellini principem. Inde in Brabantiam descendens, Bruxellis magna pompa excipitur, tanquàm Belgij ProRex designatus. Postea de Republica consultum, & pro minuenda pecuniarum collatione in gratiam plebis ad Regem decreta est legatio. Interea instante apud *Philippum* Pontifice, mandatum *Ernesto*, vt quantas posset copias ad limitem mitteret, fœderatis Gallis præsto futuras. Conscripti duo exercitus diuisis viribus debiles, quorum alterum *Mansfeldius* Copellam ducit, & deditione accepit. Dum res ad Copellam geritur, vt felicioris gubernationis spem felicissimam faceret, vsurpauit prò symbolo, *dabit indole dignum*, & dedisset profectò, nisi inuida eum rapuisset mors. Nec minus familiare eidem Principi erat symbolum, quod *palma, atque oleæ ramulis* inclusum videmus. *Neminem, nisi in suo gloriari oportere*, scribit in epistolis Seneca. *Quid verò habet homo suum? quod à Deo non acceperit?* Quare

XCIII Ernestus Austrius ProRex Belgij.

XCIV Vide nummum sub litera E. Eius legatio ad Batauos.

Soli vera Deo sit Gloria; vana facessat
Gloria: sit soli Gloria vera Deo.

Paci itaque intentus *Ernestus*, captata occasione, vt de reconcilianda *Maria Brimaa Megensi*, & *Cimacensi* marito ageretur, ad Ordines misit, quibus *egregiam suam erga has prouincias voluntatem contestatus, ea de causa, se relicto Cæsare fratre clementissimo, patria ipsa, & administratione amplissimarum prouinciarum sibi commissa, venisse vt præsentia sua, ope, consilio, publicis calamitatibus, quæ tot annos eos vexauerant, subueniret. Meminisse eos debere, à quo inuidendæ libertatis felicitatis fastigio per hæc dissidia exciderint, quamque diuersa tot vrbium florentissimarum facies ab eo tempore sit, quo sub Burgundiæ, & mox Austriæ familiæ Principibus, comercio, libera in Lusitaniam, ac reliquam Hispaniam nauigatione præpotentes, disciplina, opulentia, classe, milite vicinos populos*

los ac ciuitates prouocarent. Quæ omnia discordijs ciuilibus amissa, nemo siccis oculis posset intueri. Quapropter sedulo incumberent vt restituta Principi obedientia pacem redimerent, quam pristina felicitas consequebatur. Incerto ne Marte fiderent, qui cæcus & vagus stare non potest. Humanæ ne crederent felicitati, quæ si consisteret, humana non esset. Ad saniora pacis consilia respicerent; nam ab æquissimo Principe omnia læta fas erat sperare, cuius sequestrem affinis princeps ad affinem iudicem se offerebat.

Ad hæc Ordines scripto prolixo, & acerbitatis pleno responderunt, *se pro lege, pro libertate, pro Deo in tyrannos arma inuictos sumpsisse. Deo iuuante meliora sperare, & frustra vt ea deponant, tentari.* Animum eis faciebat fortuna prospera: nam Montes Gertrudis *Mauritius*

xcv *Nassouius* An. 1593. Iunio expugnauerat exeunte. Couerda obsidione liberata, Græningam Frisiæ Metropolim expugnauerat, eiusque præfecturam *VVilhelmus Nassouius* susceperat.

Numũ vide n. 90.b.c.d.

Mauritius verò Amstelodamum ouans ingressus, multis scaphis, nauigijsque à Magistratu magnificentissimè exceptus fuerat. Erectum erat in medio foro theatrum, vbi mutis personis exhibebatur *Rex Dauid, manu tenens Goliathi caput, filiæque Sion ludentes varijs musicis instrumentis: Dauidem autem exercitus Israel sequebatur.* In summitate theatri depicta erant *Nassouiorum insignia*, subque illis *arbor malis aurantijs onerata* cum inscriptione. *Tandem fit surculus arbor:* annuens, arbore *Guilhelmi Nassouij* manu percussoris sublata, remansisse *Mauritium*, adolescentiæ annos sub mortem patris ingredientem: tandem è paruo surculo in arborem excreuisse, & onus gestare parentis. Nec minùs tumescebant Belgæ ob felices rerum successus *Henrici IV* Gallorum Regis, qui eorum stabat in partibus. Is partim querimonijs, partim Gallorum pollicitationibus victus, abiurato Caluini errore, Romanam atque Catholicam religionem iterum iurauerat: exinde obsequentiores subditos habuit.

xcvi *Henrici IV. victoriæ.*

Exiguo namquè interlabente tempore Rex Galliæ à Parlamentis agnitus, proclamatus, solennique ritu inauguratus fuit. Inde Lugdunum Galliæ Narbonensis vrbem recepit, cui & Aurelia, Bituriges, Melodunum, Laudinum, Ambianum, Cameracum, Normandia tota, & regiones aliæ subinde accessere. Quin & Lutetiam Parisiorum, Hispanis hostibus, eorumque ducibus sese dedentibus, liberèque cum impedimentis dimissis, absque cæde occupauit. Rebus ad hunc modum comparatis, Nummi infrapositi diuulgati: quorum *primum* non à Rege ipso, sed in honorem Regis à subditis cusum dici modestia iubet; nè eousque *Henrici* superbia abripi diceretur, vt totius terrarum Orbis imperium sibi polliceretur.

Nũmos vide n. 90.H.I.K.

Virtutes sanè ei non deerant, moderandis longè, latèque populis necessariæ: *animus ad magna suscipienda, tolerandauè infractus: quem claua Herculis; Sapientia iuncta facundiæ, vt Mercurij Caduceus annuit.*

In altero nummo *pugio è corruscantibus radijs, & micantibus stellis demittitur, tangens gladios, coronas, lauri, palmaque ramos.* Sperans Henricus, *vt sicut Diuino beneficio regnum Galliæ erat adeptus; sic eiusdem præsidio idipsum quietè possideat.*

Aggrediar (inquit in tertio) *Ingrediar* Lutetiã vrbem, vi porta patefacta, si restiterint hostes. Pacatè, si ciues promissa seruauerint. Hæc in Gallijs ad *Matthiã* in Pannoniã regrediamur.

BELLI TVRCICI CONTINVATIO. Anno 1594.

xcvii *Ratisbonæ comitia vt ex nummo habes n. 84.*

DVm Iauarini sederet *Matthias* cum belli ducibus, vnde belli faciendum esset exordium quærentibus: *Rudolphus* Imper. comitia secundò Ratisbonæ habuit. Vbi congregatis Electoribus, & reliquis Imperij Principibus, iniurias Imperio à Turcis exposuit illatas. *Legatum suum memorat in vincula coniectum, animi mærore consumptum. Contra Inducias ablata oppida, captos homines, populatos agros. In ianuis esse, Viennæ incubare, ni in tempore arma sumant vltricia, prò Deo, prò patria, prò lege, prò focis.* Rogat in decernendis iustis auxilijs, non tam sui, quàm totius orbis Christiani rationem haberi. His cum nonnulla de Bello Belgico: matricula imperij: dicasterij supremi reuisione: lege monetaria subiecisset, excipientes petitionem eius Status Imperij, ad cõferenda in Turcas auxilia sese paratos ostendunt: vicissim rogantes Cœsarem, ne clementer cæptis desistat, inque id incumbat, quo elegantissima Belgarum natio ex tot calamitatibus tandem quieta exurgat.

Matthias Nouigradum capit.

Matthias interim consilio cum belli Ducibus habito, Nouigradum priùs peti placuit, quòd ex eo hostes crebrò excurrerent; Monuit fortuna paruo etiam obsidentium incomodo.

Lo-

Locus erat natura, & arte valdè munitus, sed præsidiarijs cum animus deesset, deditionem fecerunt: dum in Croatia *Serinus* non parùm terrorem Turcis incuteret. *Serini victoria* Canisa profectus cum octo millibus peditum, & delecto ex Stiria equitatu Presenam, Segessam, Seschinum, & Copanum à Turcis relicta occupat. Inde Babolcam loco paludoso sitam, sed à præsidiarijs metu perculsis desertam in deditionem accipit, eodemque impetu tuto, & expedito itinere Zighetum pergit. Diuersa parte *Teuffenbakius* Cassouiæ præfectus ad Hatauanam sex leucis à Pesto distitam trans Danubium ad Zagiuram amnem positam castra ponit, eo consilio, vt arce capta Zalnocum peteret munitissimum oppidum, vbi Zagiura in Tibiscum exoneratur. *XCVIII Teuffenbachij victoria.* Dum locum pulsat Bassa Budensis cum vicinis Græciæ, & Guilæ prætoribus, tredecim armatorum millibus fortes accurrunt obsessis. *Teuffenbakius* venientibus occurrendum ratus, obsidionem soluit, & ad Iasprini pontem contra Turcas cum decem bellatorum millibus consedit, dispositis idoneo loco tormentis, vt post obstinatum trium horarum certamen, tandem tormentorum ictibus fatigati Turcæ, sensim solui, ac postremo in fugam verti cæperunt. Bis mille ex ijs desiderati, in quibus Guilæ præfectus: nulli capti, quòd ita Cæsarei conuenissent. Captæ XIII campestres, IV murales machinæ, XXIV signa, & ingens parta armorum præda. Ex nostris LX occisi, 600. circiter Sauciati: & hoc ad Kal. Maias. Victoriam sequitur Iasprini deditio. Summissi mox duo mille, & sexcenti *Teuffenbachio* à *Matthia* ad supplendas imminutas copias. *XCIX Matthias Strigonium obsidet.* Tandem ad Strigonium cum toto exercitu ire placuit. Triplex est vrbs Archiep. dignitate per Pannoniam insignis, ad dexteram Danubij ripam posita Inter Iauarinum & Budam, à *Solimano* LI annos ante post trinam oppugnationem in deditionem accepta. Vetus ciuitas Iauarinum respicit, noua Budam, medius mons interiacet, cui à Thomæ fano nomen, ex ipso in ciuitatem nouam despectus est, & vni ex eius portis imminet. Vetus à Rascianis populis sortita nomen, exiguo Danubij brachio imposita est, quòd paruas insulas duas facit, noua *Aquensis* vulgo dicta ad radices montis iacet, qui ab ortu in occasum porrigitur vnius milliaris spatio vndique prærruptus, maxime ab ea parte, quæ flumen spectat, & ab ea quæ Thomæ fano opposita est; qui ambo non ita distiti sunt, quin tormentorum ictibus hinc inde eiaculantium infestari possint. Mons nouæ imminens, arcem habet municitissimam & situ, & arte, à Turcis vallo & propugnaculis egregiè firmatam, ex quibus præcipuum illud est, quod in aduersa trans flumen ripa forma quadrata extructa est, cui Gokaræ nomen, ad Granum situm; qui fluuius ex montibus Carpathijs in Danubium influit. Ex Gokara ad ciuitatem per medium Danubium pons stratus erat, vt nauigatio nostris impediretur, & liberior hosti hinc inde commeandi facultas esset. Ad veterem vrbem à *Matthia* castra posita, ad intercipiendos Buda venientes auxiliares. Prope nouam *Franciscus Saxo Lauenburgicus* se muniuit, ad prohibendas ea parte eruptiones.

Pulsatis è duobus locis acri verberatione muris, VIII Id. Ma. frustra tentatur oppugnatio. Triduo post *Rasciani* ex compacto cum oppidanis porticum aperientes, dum Turcæ ad collem vitiferum diuersa parte pugnarent, nostri ad vesperam vrbe potiuntur, inde & arce. In *Aquensi* ciuitate hæsit victoria, vbi post murorum ruinam fossa ingenti reperta, septingentorum morte repressi sunt aggressores. Adueniente postea *Sinano* ProRege in suppetias obsessorum, coactus est *Matthias* obsidionem soluere, Comaram iter intendens. *Matthia*, regrediente, *Sinanus* cum centum bellatorum millibus superbè incedebat, & Tartarorum sexaginta millia hinc inde secum trahebat, qui cum per Podoliam, & Moldauiam iter facerent, iam præda onusti varijs cladibus à *Ioanne Sario Zamoscio* ope Cosaccorum affecti, Borysthenem repetere coacti sunt, inde reflexo itinere Transsyluaniam ingressi, per Temesuaram in Pannoniam descenderunt. *Turca victores.* Exercitu Iauarinum præmisso, in itinere Strigonium commeatu, & milite firmauit. Inde Tattam, & Martini fanum aggressus, in deditionem accepit. Ad Iaurinum tandem castra sunt posita. *Matthias* verò qui Comaræ erat cum sexdecim bellatorum millibus, Zighetum venit, quæ insula ponte strato cum Iauarino coniungitur, vt obsessis præsto esset. Pluribus velitationibus hinc inde pugnatum, nec Christianis aduerso marte. Verum cum vicino *Matthia* difficilem videret occupationem vrbis *Sinanus*, pontem super Danubium sterni iussit, vt eodem tempore Insulam, & Germanos intra vallum aggrederetur. Cumque Germani priùs cecinissent

Sal. An. 1594. sent receptui, castra mouere incensis tentorijs. Flamma excitauit Turcas, vt insequerentur Austriacos ordine minimè seruato militari recedentes, & quasi fugientes: Nam amissis tormentis, vix ipse *Matthias* Altemburgũ se recepit, disperso milite cuius reliquias vt colligeret in Croatiam descendit. *Ferdinandus Ardechus* sub cuius imperio octo mille bellatorum stabant in vrbe, quamuis abundaret commeatus, deditionem fecit vrbis, in qua centum tormenta Turcæ inuenere muralia non sine proditionis suspicione, nam priusquam discessisset *Matthias*, scalæ intus repertæ fuerant magno numero, nec à quo appositæ essent, conijci potuit. Hinc Viennæ Austriæ *Ardechus* pœnam capite luit. Vtinam frequentiora hæc fuissent exempla: Tot victorias haud numerarent Turcæ. Deditio non necessaria excusari non potest. Occupato Iaurino, Comorram *Sinanus* tentauit, sed frustra. Dum *Maximilianus* Matthiæ frater in Croatia sexdecim peditum, & quatuor equitum millibus stipatus rem gerens, Petrinam vi cœpit, Castrouizam in deditionem accepit, & Sisacum locum ad Sauum situm. Copiæ postea, iubente Cæsare, reuocatæ vt se *Matthiæ* coniungerent; Qui in hiberna militem in Pannoniam deduxit graui habitantium incomodo. Militari namque rapina irritati, sempiternum odium in Germanos conceperunt. Frumentum in hominum seruarum alimoniam equitibus distribuebant; si quid superesset, Viennam Austriæ sub hasta mittebant.

CI Iaurinũ occupãt.

CII Bello itaque exardescente, *Rudolphus* Cæsar Principes sollicitauit Christianos, in primis Polonum, qui ne pacem cum *Amurathe* firmatam turbaret, auxilia negauit: solito Christianorum stratagemate *vnum pugnare, omnes perire*.

CIII Fœdus Cæsaris cum Sigismũdo Batoreo. Ad *Sigismundum Battoreum* Transiluaniæ principem, virum religione, bello, clarissimum. Eius parens *Christophorus* aliíque decessores, olim Pannoniæ Regibus addicti, postea labefactata eorum Maiestate, & Turcarum sese latè effundente potentia, fortunæ cessere, tributum pacti, quod annuatim Sultanis pendebant. Id indignè cum ferret *Sigismundus*, pronas dedit aures *Rudolphi* legatis, vt sequentibus conuenirent. *Quod Battoreus Transiluaniam cum Pannonia parte ad eam pertinentem, & Valachiam cum Moldauia, quæ excusso Turcico iugo ad Sigismundum confugerant, possideret; ea conditione, quòd Sigismundo mortuo, nec prole masculina relicta, Hungarico regno ea restituerentur prouincia, à quo gladius Turcicus separauerat. Vrbes si quæ Cæsareis armis expugnarentur, Hungarico sceptro accederent; si verò Sigismundi manu, Transiluaniæ. Si fortè, quod Deus auertat, Sigismundus regno exueretur à Turcis, prouideret Cæsar, vt in alio principatu decoram vitam traduceret. Principem Imperij Cæsar Rex Hispanus equitẽ aurei Velleris declarent Sigismundũ. Fœdus inter Cæsarẽ, & Principẽ perpetuũ esto. Huic in vxorem dabit neptem Mariam Christinam filiam Caroli Archiducis Austriæ, sororem Annæ Reginæ Poloniæ, quamuis Hispano Regi fuisset desponsata*. Fœdus hoc vt placuit *Sigismundo*, displicuit *Balthassari Battoreo* patruo *Sigismundi*, Stephano, & Cardinali, quia vi fœderis à successione Principatus excluderentur, quam sperabant saltem in filijs, cum minimè generationi aptus diceretur *Sigismundus*. Frustra itaque cum ab hoc consilio conarentur reuocare, cum Turcis egere, quomodò in eius locum alium sufficerent. Porro Tartari cum iussu *Amurathis* per Podoliam in Daciam essent descensuri, secreto illis mandauit Sultanus, vt *Sigismundum* spetie negotij ad Poloniæ fines cum *Io: Zasio Zamoscio* adfinitate secum coniuncto profectum interciperent. Re autem ille detecta, declinato congressu, non longè post vocauit Claudiopolim comitia, quò plerique coniurati venere inter quos *Balthasar Bathoreus* crassa fiducia quòd *Sigismundum* lateret proditio) *Stephanus* & Cardinalis scelere agitati, in Poloniam aufugerunt. Conuocatis comitijs superuenit tabellarius victoriam resonans Austriacam in Turcas. Hinc strepunt buccinæ, tormenta resonant, in conuiuia trahit *Sigismundus* nobiles, vbi inebriati vino, sanguinem effuderunt. Inter Sacra mensæ primus comprehenditur *Balthasar*, & cum eo XIV in diuersos carceres distributi, ex quibus postridie supplicio affecti sunt quinque: reliqui mox capite luerunt. *Balthasar* in carcere laqueo vitam finijt. Supplicio de coniuratis sumpto, per totam prouinciam cunctis facultas datur, proprijs sumptibus militem legere, & in Turcas proficisci, omni præda, quam ex hostico referret, militi attributa, qua vt cæteris bonis vti, frui liceret. Tunc mutata vbique rerum facie, armis circumstrepere omnia. Primus nouæ militiæ impetus in naues Turcicas Danubio aduerso vectas fuit, quarum VII cœptæ, omni com-

CIV Coniuratio in Sigismundum.

coniuratos puniit.

Sal. An. 1595. commeatus genere, magnaque auri vi onustæ, octaua, quæ prætoria erat, in tutum euasit. Hoc successu elatus *Sigismundus* XL bellatorum millia omnis generis exercitũ spe prædę post se trahens, *Michaelem* Valachiæ, & Aaronẽ Moldauiæ Vaiuodas, Othomanici imperij beneficiarios, defectiones alioqui suorum veritos, ad suas partes pro tempore pertraxit.

CV *victoria Sigismũdi in Turcas.* Inde iuxta Temesuaram castra metatus, redeuntes aggressus Tartaros, in fugam vertit, cædit. *Sinanum* etiam, qui gloria, opimisque onustus spolijs Byzantium regrediebatur, assequutus, spoliauit, & desideratis sexdecim millibus Turcarum, in fugam vertit. Stragem tamen occultauit, vindictam obtulit, pacem, quam purpurati suadebant, negauit, ni priùs noua victoria superiorem Turcam resonaret. Ipsum Sultanum prouocabat, vt in bellum exiret, vel filium *Mehemethem* mitteret. Vtrumque negauit *Amurathes*: quòd otium quæreret; & filio nollet militem conciliare, suspicans ne si ei gladium porrigeret, in patrẽ conuerteret. Hæc suspicio adeo preualuit in *Amurathe*, vt filium nec in venatione lusu permitteret, timore quòd ferarum bello excitaretur in homines.

Interim *Rudolphus* Venetis fœdus obtulerat, vt in Turcam communem hostem arma sociarent: ne amissa Croatia, Barbarorum incursibus ForIulij pateret. Negauit Respublica, suadente *Leonardo Donato* pacem frangere. *Vscochorum irruptiones fouente Cæsare, dicebantur patratæ, vt Turcico Veneti implicarentur bello, quod soli postea sustinerent. Nec in societatem vocari Respublica, sed in timorem vnde pacem Germani à Sultano redimerent, & auxiliarei in discrimine relinquerent, vt sepiùs contigerat vel odio Veneti nominis, vel æmulatione potentiæ.* CVI *Cæsar Venetos in Turcam prouocat.*

AMVRATHIS III. MORS. Anno 1595.

CVII Grandes apparatus colligebat in Panoniam Sultanus, quum calculi doloribus obrutus, plenus auro, & gloria decessit: quamuis minimè bellicosus, solùm perduces felici successu in Persia, in Pannonia bella gessisset. Filium *Mehemethem III* successorem habuit, qui eodem mense regnum iniuit, quo *Bathoreus* Daciæ Princeps Moldauos, ac Valachos ad belli societatem sollicitauerat. Eius legatus *Stephanus Boskaius* Grecij Stiriæ fiduciarias, CVIII *ritus contrahendi nuptias.* *Sigismundi* nomine cum *Maria Christiana* coram *Maximiliano* Cœsaris fratre nuptias contraxerat, solemni inter principes ritu in communem lectum admissus; cum in deducenda domum vxore nouæ moræ necterentur, & in Octobrem mensem reijceretur, institit ille, vt antequàm contra Turcas magno cum exercitu venientes proficisceretur, nuptiæ consumarentur, missisque legatis demùm obtinuit, vt Sponsa Græcio vale dicto Viennam veniret, vbi magna pompa excepta est IV. Id. Iun. & à *Matthia* Archiduce in *Maximiliani* fratris manus consignata, qui eam cum viginti bellatorum millibus Cassouiam, Iulio exeunte, ad virum deduxit, ac postremò Albæ Iuliæ in ipsa Transiluania nuptiæ celebratæ, Omine infelici, alienatione animorum statim inter sponsos *diffidia inter Sigismundum, & Mariam.* secuta; siue *Sigismundi* impotentia ei causam dederit, per innodationis fascinationem à *Ioanna* Stige vetula *Ioannis Koacocij*, sicut passim iactatum fuit; siuè ab Hungaris inuidis persuasus, qui impotentes aduersus Germanos per occasionem adfinitatis tunc in illa aula pollentes, odio ferebantur: *Sponsam datam* ludentes *Sigismundo; & prò dote bellandi in Turcas necessitatem.*

Ab excursionibus per Moldauiam, cui præerat *Aaron Vainoda*, & Valachiam cui *Michael* vir strenuus tunc impositus erat, cœptum bellum. CIX *Michael VVaiuoda.* Is cum à *Sultano*, qui eum Valachiæ præfecerat, sibi successorem mitti metueret, suos aduersùs Turcas bello irreconciliabili concitauerat, & iam toto biennio infestis armis in Turcas, & Tartaros pugnauerat, Dziurdzoua ad Danubij ripam, Bucheresta cum ingentibus præfecti thesauris, Phokza, Herzoua, Silistria captis, & post ingentem stragem direptis, & incensis. Hoc demum anno circa Solnocum, & Hatuanam, & circumpositam Tibisco regionem cum Tartari Turcis militantes magno numero tentoria fixissent, Valachi se aliquandiu grauiter contra eos tutati Verzenam receperunt. Inde in hosticum ingressi magnam armentorum prædam egerunt, & Turcas captiuos abduxerunt.

In Thraciam porrò descendentem *Sinanum*, opportuno loco eum ad Hæmi montis angustias nacti Valachi, duce *Sestio Ferentzio*, eius cecidere comitatum, & thesauros fama ingentes diripuerunt, successumque vrgens *Ferentzius* pleraque loca munita circum occupauit, & in Thraciam descendens haud longè à CX

By-

Sal. An. 1595 Bizantio magno sui terrore iniecto excurrit. Domum regrediens, XII Tartarorum millia obuia habens, cecidit, fugauit. Quæ omnia acta mense Ianuario. Dolebat Turcis, Moldauiæ & Valachiæ defectio, vnde *Ianculam Bogdanum*, qui ad veterum prouinciæ Palatinorum familiam genus referebat (quippe parens eius Vaiuoda fuerat Moldauiæ) excitarunt, vt auitum repeteret imperium; & Tartaris commendarunt. Verùm de eorum consilio certior factus *Sigismundus*, XII armatorum millia immisit, vt antequàm cum *Bugdano* coniungerentur Tartari, dissiparetur. Fortuna arrisit, nam acri impressione facta, sex mille ex ijs ceciderunt. Cæteri huc, illucque dilapsi.

cxi Horum fama excitati Cosacci, spe prædæ inuitati ad *Sigismundum* miserunt, bimestre tantùm petentes stipendium; ea conditione vt in posterum præda contenti, in Turcas arma gererent. Non grauatè cum annuisset *Sigismundus*, illi latrocinia potiùs, quàm militiam exercentes, Polonis magis, quàm Turcis, in quos arma sumpta erant, damnum intulerunt.

castrorũ leges, Comitia interim Posonij in Pannonia, Pragæ in Bohemia celebrantur. *Pecunia in Pannonia viritim imposita. Prescripta militares leges. A Castris remota meretrices; si quæ reperiantur culeo insuta in profluentem mergantur. Commeatus liberi sint. Domus Ecclesiasticorum, & Cæsaris domesticorum à militum eximantur hospitijs.* Pragæ etiam habitis comitijs, Bohemi, Quadi, Marcomanni, Lusatij, sex mille equitum, X peditum millia se missuros promisere, qui à Maio ineunte per semestrem, suis sumptibus Cæsari militarent.

cxii Feruida verò Principum Christianorum studia vt *Sinanus*, vafer miles retardaret, & segniores nostros redderet conatus; per familiares *Cracouizij* Cæsarei legati mœrore extincti, quos in vinculis tenebat, pacem Cæsari obtulit sed duris adeo conditionibus, vt *Sinani* appareret animus non esse, vt serio de pace agere. *Sultanus* ex mutatione ducis meliorem auspicatus fortunam, *Sinano Ferhatem* substituit; Is bello Persico semel atque iterum olim præfuerat. Antequam Byzantio discederet, Heiduci numero bis mille adiunctis aliquot Rascianis, prædas more suo agentes, Sophiam in Bulgaria populo, & Iudæorum nauigatione frequentem expugnant, incendunt. Tartari inedia pressi extrema filios proprios comedebant. Inde capta occasione *Michael Tergouistia* transmisso cum Valachis Danubio, Silistriam aggressus vi capit, direptam incendit. Postridie transmisso rursùs Danubio, qui glacie concretus erat, Brailam, & Smilam suæ potestatis fecit, captis XIV. tormentis, in quibus duo *Ferdinandi* Cæsaris, totidem *Io: Hunniadæ* insignia impressa habebant. Eodem fortunæ impetu Georgianum receptum, in quo copiosa annona reperta. Tentatum Nouigradum, sed cum irrito exitu, nec sine clade regrediuntur: & quamuis aqua Danubij tres pedes supra glaciem fluxisset, spreto tamen periculo, præda onusti super ea iter fecerunt incolumes.

Vere ineunte *Carolus Mansfeldius* Comes cxiii *Petri Ernesti* filius in Belgio, *Philippo* annuente, à Cæsare euocatus, copijs post *Matthiam* præfectus, & Princeps Imperij creatus, iuxta Viselburgum castrametatus, vt ea muniret intentus, cum fasciculis ipse in equo comportandis, exemplo cæteris præiret, Hungarus eques vagæ assuetus militiæ repertus est, qui disciplinæ nescius id tanquàm vile ministerium detrectauit, & iussu *Mansfeldij* acceptum fasciculum cum abiecisset, comprehensus, seuero *Mansfeldij* iudicio ad proximam arborem gula fracta, vt alijs terrori esset, suspensus est. Fama de Christianorum aduentu inter Turcas sparsa, cum Iauarinum obsessum iri crederent, continuò ex vicinis Strigonij, Vesprinij, Palottæ præsidijs collecti hostes eò accurrere iussi sunt. Iunio verò exeunte *Mansfeldius* Strigonium præsidio nudatum petit. Sub id venere ex Italia octo mille pedites Duce *Francisco* *Strigonium obsidet* *Aldobrandino* nepote Pontif. *Clementis VIII.* obsidioni ceptæ opportunum præsidium, cùm *Mãsfeldius.* priùs *Gulielmus Treka* ex Bohemica nobilitate vir fortis ter mille equitum adduxisset: & ante eum *Hacicurius* ex Hocstratanorum comitum familia regulus cum legione Belgica aduenisset. In castra venerat *Vincentius I.* Dux Mantuæ cum quingentis selectis equitibus, totidem peditibus. Miserat *Ferdinandus* Etruriæ Dux duo millia bellatorum sub imperio *Ioannis* fratris sui nothi, cuius nummus castrensis *flammas habet, & fulmina* cum inscriptione *Io: Medicei nummum p. 84.* *Vni Ioui*. Deo scilicet, vel Cæsari suos referens labores. Non enim insuetum Ioui Cæsares comparare.

Hisce viribus *Mansfeldius*, strato super Danubium ponte propè Comorram, Strigonium obsidione cinxit. Ad Orientem statiua habuere Romani. *Sfarcembergius* valles tenuit pro-

Sal. An. 1595. proximas S. Georgij ecclesiæ. Ad meridiem Hungheri. In medio *Mansfeldius* non longè à Danubio. Tentarunt Turcæ in ciuitatem erumpere, vt militem immitterent, sed frustra; inde per Danubium frustra renitentibus Hungheris, qui ab ea parte aditum claudebant, non sine Christianorum cæde, per vim irrepserunt in vrbē, in solatiū tamē potiùs, quàm in subsidium. Vi tormentorum muro deiecto, iam aditus patebat aggressoribus, vt impetum facerent. Ter aggressi, totidemque repulsi Christiani pari Marte pugnabant. Tandem auxiliaribus Buda venientibus eminùs conspectis, misit *Mansfeldius*, qui in itinere venientes Turcas leuibus prælijs destinarent, pugnatumque acriter, sed nullo successu. Fecit nostris animū Belgici equitatus aduentus, in quo bis mille equites, partim cataphracti, partim leuis armaturæ erant. Cum omnia ad pugnam parata viderentur, fœdi imbres Kal. Sextilibus cum tonitru, & horrendis corruscationibus exorti, exitiosi nostris fermè fuere. Nam confusa in castris omnia, & quasi Turcis rerum potientibus cuncti ad pontem diffugere, vixque excubitoribus re-



sistentibus per noctem illam sisti fuga potuit, donec reddita postridie luce, vanus terror apparuit. Crebris velitationibus pugnatum, donec ad meridiem enitentes vndique Turcæ in ciuitatem erumpere, vt suppetias immitterent. *Mansfeldius* qui pransurus ad mensam sedebat, ad strepitum papilione exiens, vt vidit totos campos Turcorum armis splendescere, *Hodie*, inquit, *quando hic non licuit, in hostium castris epulabor. Frustra hostis, cui vallum per XVII munimenta perrumpendum est, conatur, nec temeritati eius, nisi in pugna perfugium est.* His dictis, iubet Burgouiæ Marchionem cum prima acie præcedere. Hanc Sequani pedites, & Pannonij, & hos quidquid equitum & leuis armaturæ in castris Cæsareis erat, sequebantur. Peditatus ad Rascianum oppidum substitit. Equitatus quadrato agmine in planicie instructus latera hostium obseruabat. *Mansfeldius* ordines circumibat, & maiestate oris, graque facundia militem hortabatur ad pugnam; *captos sibi teneri hostes, modo sibi non desint.* Nam XVII munimentis ita vallauerat castra, vt vndequaque erumperent Turcæ, tormentis

mentis

Sal. An. 1595. mentis paterent expositi. Milites ita distribuerat, vt ad modum circuli Turcas teneret inclusos. In has angustias cum *Osmanus* se insinuasset, & perrumpere ad oppidum speraret, acriter à nostris repulsus, in anfractuosum callem vix quatuor equis iunctis peruium declinauit, vt se cum Asiæ, & Græciæ prætoribus in campo Georgiano dimicantibus coniungeret. Verum glande ferrea petitus occubuit. Apud Schuartzenburgum interim non cessabatur, Græciæ Prætore omnia faciente, vt vallum perrumperet. Verum graui damno repulsus; *Turcæ victi.* tota moles in *Palfium* versa, qui spatium C.C. passuum tuebatur. Hic Asiæ Prætor cum XII. mille equitum inuectus, cum angustijs præmeretur locorum, post obstinatum certamen ipse quidem cum CC. perrupit intra oppidum ab obsessis acceptus. Cessit postremò Græciæ prætor, seruatis initio ordinibus, & quartùm restituto certamine; dein fuga se ad reliquias recepit. Cæsis hostium quinque millibus. Desideratis quinque Præfectis præter *Osmanum*. Captis XXVII signis, direptisque tentorijs, opulenti inter Christianos præda diuisa. LX Christianorum capita ante tentorium Præfecti reperta, recentis cladis à nostris receptæ fidele monimentum: inter quæ *Io: Recchini*, & *Brandesteni* qui equitum duces erant, nuper interfectorum agnita capita; quibus conspectis *Mansfeldius* post altum suspirium; *Vlti sumus nostrum sanguinem*, inquit. Inde ad extinguendam sitim labore contractam, cum fru-

CXIV *Mansfeldij mors.* ctus comedisset acerbos, dysenteria perijt. Dux optimè meritus, qui mortem sibi non improuisam dictitans; *cæterum magis se animo, quàm* *Mansfeldij nummus est p. 84.* *corpore angi, quòd eo die Cæsar optimo, ac fido belli Duce cariturus esset.* Sic moritur Dux peritissimus, plenus *gloriæ*, quam sibi prò symbolo in nummo Castrensi assumpserat, eam *pretium* dicens *non vile laboris*. Eius mortem gratissimam accepit *Mehemetus*, gesta tamen laudauit.

Rudolphi nummos habes p. 84. Sub idem tempus cusi sunt duo triumphales nummi in gloriam *Rudolphi* Cæsaris, in quorum altero *Capricorni signum* est, quod sub se natis felicitatem scribitur denuntiare: à Platonicis *Deorum porta* vocatur, quasi per eam animæ corporis solutæ compagibus, in Cœlum remigrent. Quoniam itaque felici rerum successu bellum in Turcas gerebatur Pannonicum: eratque *vis solida*, quæ Strigonium, aliaque oppida extorqueret; *Fulget* (inquit Rudolphus) *Cæsaris astrum*: ad Augustum respiciens Imperatorem; qui tantam fati fiduciam habuit (inquit *Tranquillus*) vt thema suum vulgarit; nummumque argenteum nota sideris Capricorni, quo natus est, percusserit.

Mortuo *Mansfeldio* venit *Matthias* in castra; & renouato impetu, capitur vrbs eodem mense, quo ante LII annos à *Solimanno* itidem capta fuerat. Nuntius rei *Mansfeldio*, paulo antè, quàm moreretur, allatus, virum de successu anxium non mediocriter recreauit, ita ut vinum mox deposcerit, eoque epoto, in dextrum latus innixus per duas horas, quasi profunda cogitatione defixus quieuerit. Strigonium Vicegradi consequitur expugnatio, oppidum est ad ripam Danubij, tribus leucis Strigonio distans. CXV *Turcæ in Croatia victi.*

Quinto ante deditionem die feliciter etiam in Croatia nostri pugnauerant, auspicijs *Sigismundi Eberstenij*, quem prouinciæ præfecerat Archidux *Ferdinandus*. Is cum decem bellatorum millibus, totidem Turcas, quos Bosniæ purpuratus ducebat, fortè obuios, post bihorij certamen, postremò in fugam vertit, tribus millibus Turcarum desideratis. Mox successum vrgens, Petrinam ducit, quam *Crustinus*, qui tot damnis circumpositam prouinciam desolauerat, cum præsidio tenebat. Eius repentina morte territi Turcæ, non expectandum impetum censentes, incensa vrbe, aufugerunt. Sic vbique nostris arridente fortuna; in Valachia Turcæ vbique se cæsos indignati, ad Nicopolim iniurias se colligunt vlturi Bulgariæ metropolim. Cognito ab Heiducis Turcarum consilio, in eos priusquàm in aciem instructos, impetum faciunt, in vrbem compulsos bis mille trucidant, vrbem incendunt. Non maiorem sortiti in Pannonia fortunam Turcæ, Baboscam haud longè Zigetho, inter Danubium & Drauum sitam anno 1551. captam, aduentante *Nadastio* deserunt; mox & Martini fanum.

Nec sibi defuit Daciæ Princeps *Sigismundus*: ad Fogatam haud longe à Stephanopoli castra posuerat. Præsidiarij deditionem obtulerant, solumodò pacta erant sub iudice. Cum adueniente Temesuariæ purpurato cum Lipensi, & Genensi præfensis, qui decem bellatorum millia ducebant, qui in oppido erant, pactis stare recusant. Irritati Sigismundani impetum faciunt, vi irrumpunt, ad vnum trucidant. Postridie eodem furore Temesuarensem aggressi, confusis adhuc ordinibus pugnantem CXVI *Turcæ cæsi à Sigismundo.*

ma-

Sal. An. 1595. Ferhatis mors. magna clade prosternunt. Interim *Ferhates* apud Sultanum accusatus à *Sinano*, quòd pertinacia sua, ambitione, & auaritia, defraudato militibus stipendio Imperium Othomanicum in periculum vocaret, vnde si in exercitu cum summo imperio relinqueretur, maioribus cladibus causam daturus esset; ad publicam famam & securitatem pertinere Sultanus existimans, ne primis principatus sui auspicijs minùs secundam experiretur fortunam, protinùs *Ferhatem* reuocauit, capiteque damnauit, licet *Marco Venerio* sequestre, mors ad tempus fuerit prorogata. Nam diuitiæ non longè post eum perdiderunt.

CXVI *Sinanus denuo præficitur.* Toties mutatis tam breui tempore imperatoribus, res Turcarum in Pannonia non mediocriter labefactatæ sunt. *Ferhatis* denuo suffectus *Sinanus*, Constantinopoli ægressus, octoginta bellatorum millibus stipatus in Valachiam descendit, Tergouistia Prouinciæ metropoli facile occupata, quòd eam *Michael Vaiuoda* reliquerat, missa in Transiluaniam vxore, & filio, ipse inter alpium angustias castrametatus, vndè loco fortior Turcis incubabat. *Sinanus cæsus à Valachis* Assiduis velitationibus Turcas carpebat *Michael*, quibus irritatus *Sinanus* duodecim mille delectos milites ad angustias misit. Quibus Valachi se inuicem cohortati occurrerunt, ambigua diù, ac nutante victoria, quæ post obstinatum à Solis ortu ad vesperam vsquè continuatum certamen, tandem ad Christianos inclinauit, itaut confusis ordinibus, & multis ad pontem vicinæ paludis redeuntibus, & in aquas præcipitantibus, ipse *Sinanus* diù prò mortuo habitus, vixque per palustria loca oberrans, postremò incolumis euaserit, Plus decem millibus Turcarum desideratis.

CXVII Interea Valachus missis ad *Sigismundum* literis, rogauit vt periclitanti regioni accurreret. Transiluanus gloria Martis delicijs Veneris præposita, arma corripit, militem lustrat, qui numeratis auxiliaribus Cæsaris, viginti duo equitum, & triginta duo peditum mille sub signis recensuit. His copijs fretus Tergouistiam Valachi Principis sedem tendit, associatis secum octo millibus Bellatorum, quos *Michael* ducebat. *Sigismũdus Sinanũ vincit.* Bucarestam profugerat *Sinanus*, Tergouistiæ relicto præsidio; sed acri oppugnatione vrbs tentata, deletis ad internecionem Turcis, capta est; magna parta præda, capta XLII campestria tormenta; copiosus admodum repertus commeatus, quem tanquàm ad horreum *Sinanus* alendo coniecerat exercitui. Nuncio ad *Sinanum* perlato, qui Bucarestæ erat, statim conclamauit ad vasa in oppidum Georgianum se recipiens tanta confusione, vt fractis in itinere rotis, quibus tormenta trahebatur, in via deseruerit. Fuga cognita *Sigismundus* solutis habenis, insequitur. Cum in Turcarum venisset conspectum, *Sinanus* totas copias ferè transmiserat per pontem Georgianum, relictis citra pontem quindecim millibus Turcarum, qui sex mille captiuos Christianorum custodiebant cum curribus, & impedimentis: in quos nostri impetum fecere, receptisque captiuis, Turcas aggreditur, qui partim ferro, partim flumine obruti sexdecim mille periere, Sex mille curribus, cum tormentis occupatis, & captiuis redemptis. Postridie (qui fuit VI. Kal. Decemb.) ad arcem, quam *Sinanus* recenti firmauerat milite, admota castra, & in conspectu hostium expugnata diripitur, solo æquatur.

Tentauit *Sinanus* cladem occulere, Sultano referens non cum hominibus, sed cum carrucis decertasse Christianos; dubius ne in caput verteretur culpa: solitis Turcis ab exitu pensare fortunam. *Maiorem Exercitus partem viuere incolumem, & hosti terribilem. Lixas, & calones, qui inter impedimenta substiterant, perijsse. In ianuis porrò stare vindictam, quamuis vrgeret hyems. Capita Transsiluani, & Valachi expectaret Sultanus, nam breui se missurum iurabat.* CXVIII

Mehemethus vocatum ad se *Muphti*, hoc est, Summum Sacerdotem interrogauit, *quid de Sinano?* respondit ille. *Ex eius imperitia grandem iacturam Othomanico accidisse imperio; quam ære proprio luere tenebatur Sinanus.* Et quia in aula Turcica in aduersis puniuntur, qui non præuiderunt. *Ibraimus ProRex* insimulatus suppetias in tempore, & commeatum non misisse in castra, Magistratu priuatur, vt *Sinanus* imperio. Laborabat tunc *Porta* Ottomana viris, qui vel toga, vel sago valerent. Inter Veneres marcescebat Monarcha, & Martem, quem sequerentur, non habebant. Ferè omnes mercimonijs intenti, lixas, calones, substituebant ad castra. Transsiluanus *Sigismundus* si habuisset sequaces, Turcarum potentia, quæ nutare videbatur, lethale haud poterat effugere vulnus. Verum Belgicis dissidijs distractus *Philippus* Rex Hispaniarum, nec de Pannonia cogitabat, quæ tamen prævalidum Christianorum regnum, non tam Austriacæ domus erat CXIX

pro-

Sal. An. 1596. propugnaculum, quàm totius Christi fidelium. Si milites, quæ in aquis periere Battauicis, signa tulissent in Turcas, modò timeret tyrannus, non timeretur. Sed tantùm absfuit, vt Christiani expergiscerentur, quod Poloni inuidi gloriæ *Sigismundi*, iam æmulabantur vicinum ægreque patiebantur potentem.

ProRegnum duobus mensibus vacauerat non sine damno. Rota namque prima deficiente, stabat totius regiminis machina. Nec erat; cui militare committeretur imperium. Hostis terribilis, qualis erat *Sigismundus* milite stipatus Cæsareo, vilem, atque vecordem agebat, quemcumque Sultanus mitteret. Regiæ tandem matris consilio, reuocatur *Sinanus*, cui ætate, experientia, ardore, odio in Christianos par non erat; & ProRex denuò renuntiatur. Obuios habuit purpuratos omnes. Byzantium ductus, Sultanum inuisit, non sine plausu. Christianorum suspecta seditio in fauorem *Rudolphi* Cæsaris ferè omnes Christianos Byzantij degentes perdidit. *Sinanus* namque renouari suadebat *Vesperum Siculum*, & vnà nocte omnes trucidari. Mandauit tandem Græcis, Armenis, & Albanis intra sex dies vrbe cedere. Ianizerorum præfectus, explicato *Maumethis* (prophetam dicunt) vexillo, vt cladem superstitione redimeret, ad orationem, & ieiunium prouocauit. Adulteræ aliquæ in victimam oblatæ, vt flaminis iram placarent. Cum obstreperet *Sinanus*, ex cōsilio *Ferhatis* Tartarorum promissas non venisse suppetias, ne meliorem sortiretur fortunam; capite damnauit *Ferhatem Sultanus*, quem paulo post *Sinanus* morte petitus insequitur, vtriusque gaza *Mehemethus* potitus.

RVSTICORVM MOTVS IN AVSTRIA. Ann. 1596.

INter tot prospera, infelix Cæsari accidit rusticorū tumultus, qui passim per Austriam procerum auaritia ad seditionem, aiebant coacti. Principium etsi necessitatis fuisset, deinde accedente libertatis dulcedine, in licentiam effusi, Principibus ipsis formidolosi esse cœperunt. Itaque Saltzburgensis Præsul exemplum veritus, ad refrenandam seditionem, militem scripsit. Idem fecit Cæsar, cui maius ob motus periculum imminebat. His territi rustici facile ad obsequium rediere, pactis conditionibus, quibus securi rustici arma ponerent; quod anno exeunte factum est. Anno sequenti (fuit Salutis 1596.) motus rusticorum recruduit, ad decem & octo millia hominum in agro Kremsmonasteriensi conuenerunt, vxoribus ac liberis cum omni suppellectile domi relicta, primo commeatum tantùm à vicinis oppidis sibi suppeditari postulantes. Cum numero verò crescente audacia, qui factioni suæ nomen dare recusabant, bonis spoliantes, vxores, liberos rapiebāt, & plagiarij oppignorabant. Mandante Cæsare ab armis discedere, minimè obedientes cum ad quinquaginta millia accessissent, responderunt; *sibi omnibus libertatem præferri, iam tempus venisse edocendi principes, vt subditis non tanquàm mancipijs, sed tanquàm hominibus Christi sanguine in libertatem assertis imperarent.* Sed ad Turcas regrediamur.

CXXI Sigismū. dus Tartaros vincit. Sigismundus ne victoria abuteretur, Temesuaram mouit, grauiter propugnante præsidio. In cuius suppetias descendenti *Hamano* Tartarorum Regi occurrit *Sigismundus* inter Temesuaram, & Belgradum, innitoque certamine victor hostem fugauit, ter millibus eorum desideratis, magno *Rudolphi* Cæsaris gaudio, à quo vt fortiora consequeretur auxilia Pragam venit prid. Non. Feb. perhonorificè à proceribus exceptus. Ibi in febrem incidit acutissimam non sine vitæ periculo ex qua paululū recreatus, cum ad Basilicam sacro audiēdo delatus esset, composita ab Ecclesiæ Præposito oratione publicè laudatus est; ad quem ille latinè non inconcinnè respondit de constantia, & Augustæ familiæ, Romanoque imperio se deuotum futurum promittens. Vicissim sperare, vt minimè à Cæsare deseratur. Postea in colloquium admissus, & magnis promissis oneratus, cum muneribus dimissus est. Promissa tria peditum millia, & duo millia equitum, quos trimestri Cæsar aleret stipendio: viginti quatuor talerorum millia singulis mensibus arbitrio *Sigismundi* dispensanda. Pontifex etiam per legatos quinquaginta ducatorum millia singulis mensibus dependenda pollicitus, *Frācisco Mariæ Montano* mandauit militem in Italia scribere, Transsiluano præsto futurum. Machinationibus verò *Cardinalis Bathorei* reuocatus Domum *Sigismundus*, de *Sultani* aduentu cum tribus potentissimis exercitibus in Pannoniam venturi nuncium accepit; duobus ex ijs in Valachiam, & Moldauiam ablegatis. CXXII

Sigismū. dus publicè laudatur

Lippam frustra obsident Tartari. Tartari interea Lippam, cui *Georgius Barbelus* præerat, obsidione cinxerunt. Erant in ca-

Sal. An. 1596.

castris hostilibus, omnis generis hominum ad quadraginta millia, qui de *Sigismundi* aduentu fama vulgata, retrocesserunt. Sed cum falsum cognouissent rumorem, rursùs ad obsidionem reuersi cum XVII machinis, fossorum magno numero & bellico apparatu. *Barbelus* crebris assultibus fatigato milite, ad astũ confugit. Catenis ferreis, globis, clauis, saxisque XVI onerat tormenta, & oppugnatione feruente ante portam collocat, quam subitò aperiri iubet. Tartari nostros rebus suis desperare credentes, irrũpunt. Et quamuis igne submisso ingenti sternerentur strage, nõ tamẽ abstinuere prœlio, vltionis auidi, itetũ atq; tertio repetita displosio, nostris interim stationem grauiter seruantibus, cum subito post sex horarum obstinatum certamen, in fugam vertuntur, castris desertis, & impedimentis.

Turcæ cæsi.

Ceciderunt ex hostibus quàtuor mille, multi capti timore correpti, quod Lugensis Præfectus sub portas Temesuaræ excursione facta, suburbia diripuisset; dein in domos immisso igne, flante vento flamma adeo excreuerit, vt ex castris conspiceretur à Tartaris, ratis suos insigni affectos infortunio, & nostros à tergo imminere, fugam arripuere.

cxxiii

Temesuaram frustra obsidet Sigismundus.

Sub id tempus *Sigismundus* ad Temesuaram castra posuit, recenti clade præsidiarijs affectis instandum ratus, iamque magnam murorum partem diruerat, cum post decimum ab obsidione diem, VIII Kal. Iun. Tartari per Ponti Euxini littus se in Bulgariam effundentes, maior pars Temesuarã accesserũt. Ibi Turcis iuncti, numero quadraginta mille nostrorum castra à tergo inuadunt: sed nostris obstinatè confligentibus, ambiguam victoriam nox diremit superueniens, desideratis Christianorum mille, & quingentis, *Sigismundus* diù pro mortuo habitus, prælio abscedere, à suis coactus fuit. Maior hostium cœsus numerus: sed post certamen obsidione soluta in suppetias Cœsareis non aduenientibus.

Samboccca à Palfio: Talacca capta à Sigismũdo.

Non diù post *Palphius* Samboccam inter Strigonium, & Albam Regalem (quæ plagiarijs receptum dabat) post horrendam trium horarum oppugnationem expugnauit, deletis ad internecionem copijs, quæ in ea erant. Tallaca haud longè à Lippa paulò post à Transsiluano capta.

cxxiv

Clissa capta ab Vscocchis, & perdita.

Sic in Dalmatiæ, & Liburniæ finibus non longè à Salonæ ruinis ad litus Hadriacum. *Clissa* munitissimum castellum Februario proximo, frustra ab Vscocchis tentatum, tandem Nonis Aprilibus interceptum est à Segensibus. Eam vt recuperaret Bosniæ purpuratus, copias admouit. Obsessorum periculum minimè prouinciç neglexit præfectus *Lincouitius*. Quatuor armatorum mille cum commeatu nauibus impositi, vt Clissensibus ferrent suppetias. Præsidiarij interim, vt dolo oppidum occupatum, dolo seruarent nouo astu, Turcis illuserunt, depensis XXIV mille Ducatorum, locum se tradituros polliciti. Nam accepta pecunia, portam Turcis aperuerunt, tanto eorum admisso numero, vt ipsi superiores essent, admissosque ad vnum trucidant. Sub id *Lincouitius* cum classe Siretum appulsus, subito expositas educit copias, nocte continuato itinere sub auroram ad castra hostium accessit, cuius inopinato aduentu Turcæ perculsi, mox vallum reliquerunt. Sed dum Vscocchi genus hominum prædæ nati, iam de victoria certi, castris incumbunt diripiendis, fusi Turcæ ordinem restituunt, nostrosque palantes aggrediuntur, & sternunt. *Lincouitius* & *Segensium* præfectus cum paucis in oppidum admissus, sed commeatu deficiente, biduò post eruptione facta cum speraret iterum ad naues incolumis descendere, in itinere rursùs circumuentus, vix cum tribus socijs per montium rupes euasit. Præsidiarij auxilij spe destituti, arcem dediderunt, vitam pacti saluas & fortunas. Hoc nuntio recreati Turcæ, in Sultanum clamores renouarunt, quod libidinibus obrutus, regni clades præteriret. Eius mater purpuratis iusserat, ne aduersa filio nunciarent; ne vocibus populi excitatus, ipse cogeretur in castra descendere, ipsa verò Imperij habenas demittere. Speciosam amasiam ei obtulerat, cuius illectus blanditijs, gynecæum frequentatet, armorum cura purpuratis commissa.

cxxv

Mehemethis crudelitas

Effigiem habes n. 113.

Excitatus tandem sed in furorem, nocte amasiam repetitis ictibus trucidauit; mane veniente, iussit illicò castra moueri. Omnis aula sequuta Sultanum, canes etiam & falcones secum traxit. Sola Regina substitit mater.

in Pannoniam descẽdit.

Grauis pœna publicata in eos, qui castra fugerent, ducenta armatorum millia sub signis vocauit. Hisce copijs, & tercentis campestribus machinis Belgradum venit, inde Budam postridie Kal. Octob. Vndè quadraginta militum millia duce *Giaffere* Temesuaram misit. *Maximilianus* Archidux, qui Summus Imperator expeditionis à Cœsare fuerat designatus Viennæ accepto vexillo, quod erat

Maximil. Austrij expeditio.

Sal. An. 1596. ex serico Damasceno, cuius ab ima parte *Aquila biceps Imperialis nigra;* ab altera *imago B. Mariæ* erat cum elogio, *Patrona Hungariæ*) Hatuanæ metuens, præsidium deduxit, mox incenso loco tanta trepidatione, vt ex castris terror Viennam vsquè processerit, vbi iussi cuncti arma sumere, collapsas munitiones instaurare, suburbia diruere, quod deprecantibus ciuibus à Magistratu suspensum, tandem à Cœsare reuocatum.

cxxvi *Agriam obsidet.* Ad Vihitzam castra metati Christiani, hostium operiebantur consilia. Sultanus verò Agriam pergens) *Solimanno* olim imperante sæpiùs irrito conatu tentatam, nunc *Venceslaus Terskius* comes cum *Paulo Nicario* tuendam susceperat) toto exercitu mœnia clausit. Ex quatuor angulis cœpit muros quatere. Præsidiarij numero quinque mille, initio obsidionis, apertis ianuis, minimè timère videbantur, sed progressu, quemadmodum ignis, cui deficit alimentum, cœperunt languescere. Septimo die deserta vrbs, & incensa, rebus in arcem translatis præsidiarij aufugerunt; quorum vestigijs inhærentes Turcæ cum vnà perrumpere conarentur, insigni damno repulsi sunt. Mox ad propugnaculum, quod arci adiacebat, versa vis, quod violenta bidui pulsatione disturbatum duodecies repetita oppugnatione, frustra cum occupare conati essent, tertia decima tandem superarunt. Verum illud postridie nostrorum erumpentium virtute recuperatum fuit. Stabat obsessis, quos spe auxilij *Maximilianus* per literas lactabat, ad vltimum vitæ spiritum locum tueri, & patibulo in foro erecto *Terskius* enixè vetuerat, ne quis deditionis verba faceret, in idque singulos milites Sacramento adegerat, quod cum per exploratores rescîuisset Sultanus, optimis statuit tentare conditionibus animos obsessorum. Cumque pollicitationibus, vel minis nihil proficeret, fossam, quæ arcem, & collem vitiferum interiacet, fascibus, & lignorum strue impleri mandauit, ipse cum purpuratis obequitans, quo in opere festinando diligentiores essent. Interea expectabantur suppetiæ, quæ X Kal. Octob. Strigonium appulerunt tardè incedente *Maximiliano* fœdis imbribus corrupto itinere; qui *Iulium Cæsarem Strasoldum* tandem cum octo millibus Germanorum præmisit, vt in arcem irrumperent, sed serò; nam tumultuari miles, & se delusum dicere incipiens, inuitis arma rapuit tribunis, colloquium cum hoste poscens. *Nicarius*, & *Terskius* ad genua militum prouoluti, tantam ignominiam à se, nomineque Christiano deprecantes auertere, si à fœdo ac pernicioso nollet discedere consilio, se priùs occiderent, nec dedecori suo superesse cogerentur. Inter has deprecationes Itali circiter ducenti clam ex arce elabuntur; quo cognito socij prohiberi nequiquàm potuerunt, quin statim cum hoste deditionem transigerent, vita incolumi cum armis & impedimentis dimisso præsidio, exceptis *Terskio*, *Nicario*, & alijs tribunis, vt eos cum captiuis, qui à nostris tenebantur, permutarent. *capit.*

Doluit *Maximiliano* clades, collectis tamen viribus, cum *Sigismundo* decreuit rei aleam statarìa pugna subire. Recensitis copijs XXXII expeditissimorũ equitum, & XXIIX peditum millia numerauit cum 120 tormentis. Per Ericetum Agriam versus iter fuit, & milliaris spatio amniculus interiacebat, qui à *Giaffere* purpurato cum XX millibus prætorianorum seruabatur. Receptum simulauit *Giaffer*, vt sub tormentis Christianos concideret, quæ optimo loco collocauerat. Detectis insidijs, occurrit *Sfarcenbergius* valida Alemanorum, & Transsiluanorum manu, cum tormentis campestribus, initoque certamine, loco cessere Turcæ, desideratis eorum mille quingentis, & quadraginta tribus tormentis campestribus amissis, quod in omen victoriæ accipientes Christiani anhelabant ad pugnam. *Sigismundus* albescente die, traiecta palude, socios expectabat, vt in hostem erumperet. Reuocauit porrò eum *Maximilianus*, vt tempus militi indulgeret curandi corpora, prolatis castris Cristesum, vt facilius importarentur commeatus. Altera die retulere velites, aduentare Sultanum; paulò post Tartaros traiecisse paludem; sed obuiantibus Christianis, amissis tribus tormentis retrocesserunt: castra metante *Sultano* iuxta *Maximilianum*. Is tribus cornibus copias diuiserat, custodia paludis comissa *Sfarzembergio*, & *Teufembachio*. Cum irruentes vt traycerent Turcæ, virtute *Sfarzembergij*, & *Teuffembachij* cœsi, repulsi, retrocesserunt ter millium clade recepta. cxxvii *Maximilianus victus à Turcis.*

Pugna ampliùs differri non poterat, vndè Strategi suos vocibus excitabant. *Eodem in loco clamabant Turcæ, tanta suorum gloria Solimannum vicisse. Eosdem esse Germanos, & Hungheros non bis à Turcis debellatos: Hos vincere & aggredi idem esse.* Ex aduerso Maximilia-

Sal. An. 1596. lianus *eosdem obijciebat Turcas non tam à Sigismundo toties profligatos, sed eadem die victos, fugatos. Numero prapollere non viribus; quorum primis fugatis, cæteri nemine cederent impellente.*

Traiecto interim Othomani stagno, *Maximilianus* mandauit *Palfio*, & *Suarzembergio* in hostem mouere, retrocesserit, si vltra ripas minimè pergerent. Ipse cum Transsiluano medium tenuit, tergum *Theuffembachio* commisit. His dictis impetu in hostem facto, iterum fugantur Turcæ occupatis quadraginta tormentis. Instabat *Maximilianus* ne stagnum sui traijcerent, verùm vrgente Transsiluano, *Palfio*, alijsque ducibus felicem vrgere successum, nec se colligendi hosti spatium dare, iubet milites stagnum traijcere. Certior factus Sultanus, protinùs conscenso equo sex mille Prætorianis insequentibus, se in fugam coniecit, nec quieuit donec media nocte Solnocum appelleret. Nostri victoriam inclamantes, confusi amnem superant, & veluti de victoria securi ad prædam ruunt. Hic dissipatis ordinibus superuenit *Cicada*, qui vltimum agmen quadraginta armatorum mille ducebat, & integer in confusione impressione facta facile in fugam vertit. Peditatus omninò cæsus, à fugiente nostro proteritus equitatu. Qui superfuere non in castra, ad quæ tutus receptus erat, sed pudore præpediti, nocte appetente alij aliò per tenebras palpantes, longè ab exercitu abierunt. *Maximilianus* nemine persequente, eundem errorem errauit, & desertis castris, Cassouiam se contulit. Transsiluanus diuersa via ad limitem suum contendit. Cautiores Turcæ, pulsis Christianis, in ripa amnis constiterunt, neque vlteriùs fugientibus institerunt. Periere ex nostris X millia, & in ijs *Pletembergus* Bauarorum præfectus, *Venceslaus Poppelus*, *Petrus Peskius*. Duo iuniores Alsatiæ Principes, Vestfalicorum equitum, Italicæque leuis armaturæ duces omnes, inter quos Comites *Strasoldus*, & *Collaltus*. Impedimentis omnibus amissis. Sultanus gratijs *Cicale* actis veluti auctori victoriæ. ProRegem declarauit. Inde relicto Agriæ præsidio in hiberna concessit, aliquantum iuxta Nicopolim à *Michaele* Valachiæ Principe infestatus, dum Byzantium repeteret. Budensis purpuratus post tot prosperos successus fractas vbique Christianorum vires ratus, proximam Vahitzam inuasit sed frustra, fortiter præsi- CXXVIII dio propugnante, & nostris in suppetias accur-



rentibus, quorum fama Turca commotus ab obsidione discessit. Tantæ expeditionis nummos hic habes Iconicos, Honorarios, Castrenses. Primus est Inuicti *Sigismundi* Transsiluaniæ Principis, quùm Temesuaram obsedit. Alius est *Rudolphi II.* Imperatoris, in quo Aquila Romana telum vnguibus librat mox in Turcas, quorum exitium meditatur, contortura.

Tertius est *Maximiliani*, qui, vel in captiuitate, animi magnitudine minimè deposita, sol- CXXIX

iti

Sal. An. 1596. ui designabatur, amisso Polonorum regno. In eo *Pallas* est, hostem frangens, *vinctis Leone* Turca scilicet: & *sue*, cuius titulo quem intelligat? Tartaros dicerem.

Quartus, est *Nicolai Palfi* in monimentum *Totta* ab eo noctu expugnatæ.

ALBERTUS AUSTRIUS CARDINALIS S.R.E. BELGII GUBERNATOR. An. 1596.

cxxi *Bellum à Gallis indicitur Hispano.* PAululum inclinata apud Pannonios Austriaca fortuna, nec meliora dabat in Belgio. *Henricus IV.* Gallorum Rex videns se Hispanum Gallia expellere non posse, bellum in *Philippi* ditiones cogitauit transferendum, qua ratione cogeretur Hispanus militem ex Gallia reuocare, vt suis auxiliaretur. Sub *Bullionij* itaque imperio in Artesiam, & agrum Lutzenburgicum dispositis copijs, placuit priùs bellum aduersùs Hispanos terra marique apertè denuntiare, quod in finibus omnium prouinciarum, ad tubæ sonitum iussit exclamari, Ianuario ineunte Anni 1595. Idem fecit *Philippus*, XVII Martij, Bruxellis hostilitate indicta. Galli porrò nulla interposita mora, *Bullioneo V.C. Turonio* duce in ducatum Lutzenburgensem irrumpentes, sociatis cum *Philippo Nassouio* armis, Iuodium oppidum occupant, alia loca diripiunt. *Nassouius*, cum in quatuor Hispanorum incidisset centurias, inito certamine, ipse vulnere accepto cum cæteris elabitur, cum propter aquarum inundationem Bullionæus ei succurrere non posset. Huius belli
Henrici IV. nummus sub F. n. 134. declinaturus inuidiam *Henricus* nummum percussit castrensem, in quo *Struthio Cameli cum accipitre pugnat*, addito lemmate, *Prouocatus pugno:* quasi ad iustitiam, & necessariam defensionem, quam feris ipsis natura præscripsit,
cxxxi pugnaret. Hoc fœdere freti Hollandi in comitijs Mittelburgi celebratis Anno Sal. 1695. pacem reiecerunt, quam ipsis Hispaniæ Regis
Hollandiæ nummus sub A. n. 134. subditi obtulerant. Volentes Hollandi cum Prouincijs solùm, non autem cum Rege Hispanorum pacem inire. Ne verò populis appareret *Nassouius* bellum ad priuatam quærere vtilitatem, nummum percussit, in quo, *militæ excubitore in turri collocato: protensa trulla ferrea, armato leone suo Batauico* significat; *nihil minus Hispano prodesse: nihil magis rationibus suis conducere: quàm explosa amica compositionis fuco, bellum continuare, cuius tutela, & vigilantia, sine cura, sineque metu tranquillitate fruitur.*

cxxxii *Lira recuperata.* Bello itaque recrudescente, vigilabant vndique, vt se mutuò interciperent. *Lira* oppidum cum in Brabantia esset, tribus Antuerpia milliaribus dissitum, ex quo facilè in omnem circum regionem excursiones fieri possunt, totique vis inferri Brabantiæ: Ad hanc opprimendam fœderati missis, qui cæcæ noctis beneficio scalas admouerent, quà fossæ minus altæ, Sub auroram 14. Octob. vrbem pauci ingressi, cæsisque custodibus, portarum claustra effringentes, reliquam cohortem, quæ foris signum expectabat, immiserunt, & medio foro signa defixère. *Alphonsus de Luna* vrbis præfectus, rei nouitate perculsus, tandem collecto animo, cum paucis portæ Lisperensis molem occupat, adductisque machinis bellicis stationem vndique tuetur dolijs, curribus, quæ se obiecerant, vt hosti aditum præcluderet. Inde vicinis Antuerpiensibus, & Mechliniensibus nunciauit discrimen. Illi protinùs tympani sonitu arma capiunt; & in agro Lirano circa meridiem iuncti, ad portam, quam adhuc *Alphonsus* obtinebat, conuolant, & adiunctis sibi 150. Hispanis, qui ex arce accesserant Antuerpiensi, vrbem inuadunt. Octo horæ intercesserant, ex quo ab hoste vrbs occupata, desperata iam penè salute, pristino domino restituitur. Ad cuius rei perennem memoriam Magistratus Antuerpiensis, qui præcipuam sibi vindicabat gloriam, nummum *triumphalem* Centurionibus distribuit, quem vide supra n. 134. c. Lirensis verò Senatus hanc seruatæ vrbis incolumitatem sequenti distichio, quod annum, mensem, diem exprimit, celebrauit, ac curiæ frontispicio præfixit. *Nummus Lirensis n. 134. sub B.*

(LerVnt: HeV DeCIMa qVarta oCtobrIS: sed fata tV-
HostIbVs eXpVLsIs, Capta reCepta LIra est.

cxxxiii *Ernesti Austrij mors.* Tantis incomodis mors superuenit *Ernesti* cum ad pacificandam prouinciam totus incumberet. *Albertum* fratrem Cardinalem, qui iam iam ordinē sacerdotalē suscepturus erat, mutata sententia successorem habuit. Is anno exeunte nonagesimo quinto huius seculi ex Hispania soluens, secum adducto *Philippo Gulielmo Nassouio*, quem Rex patre superstite, multos annos captiuum tenuerat; nunc verò Infantis *Eugeniæ Claræ Elisabethæ*, cui Belgium destinauerat, precibus exoratus, eum & libertati restituerat, & Vellere donauerat aureo, comitemque *Alberto* addiderat, quòd eius interuentu futurum speraret, vt *Mauritius* eius frater, & Ordines Belgij, ad pacem inflecti pos-

Numi votivi Triumphales Castrenses Quorum litera Marginalis index est vbi debeant reponi.



Sal. An. 1596.
Faram Galli obsident.

possent. Bruxellis magna pompa exceptus *Albertus*, animum citò intendit, ne *Faram* ab *Henrico IV* Gallorum Rege obsessam, quæ vnica tot sumptuum ac laborum hoc bello in Gallia nauatorum supererat sine vllo obsessis

CXXXIV

subueniendi conatu, Galli redimerent. Porrò cum *Henricus* adeò mœnia clausisset, vt nullo modo vrbs annona iuuari posset; placuit, locum aliquem Gallico præsidio munitum petere, quo capto plus emolumenti ad res *Philippi*, quàm amissa Fara damni rediret. Proponuntur

Caletum expugnat Albertus Austrius

CXXXV

Perona, Guisa, Quintini-fanum, *Caletum*, & hoc placuit, quamuis inexpugnabile diceretur. Fortuna arrisit, nam in conspectu Regis *Henrici*, & Batauorum, qui non semel, atque iterum terra, marique auxilia intromittere tentabant, oppugnatur, & expugnatur. Tantæ monumentum victoriæ *nummus est triumphalis* ab *Alberto* percussus, in quo *gladius olea circumligatus* sub lemmate, *Pulchrum vtroque clarescere*. Ad bellum annuens, & pacem. Eripuit postea iisdem Gallis *Ardaam*: Hollandis *Hulstum*. Anno sequenti Ambianum astu bellico cœpit.

Alberti nummum vide n. 134. d

CXXXVI

Occupato ab Hispanis Caleto, ingens terror, nec immeritò Anglos inuasit: siquidem hostem infensissimum iam suis incubantem littoribus in conspectu habebant; vbi Hispana classis securiùs à ventis, atque impetu hostili se defendere poterat. Et quia periculum Gallis quoquè, & Belgis imminebat; facile inter se fœdus percusserunt. *Elisabetha* porro Angliæ Regina in arctioris nexus symbolum, *Ordinis poplitarij* cingulum Regi offert; quod vinculum arctum, tenax, indissolubile *nummo* ostendère *sociali* sub lemmate, *Haud facilè rumpitur*. In postica, eorum conatibus *Iehouam* non defuturum arguunt; sed dispersa, submersaque hostium classe, vocem illam cœlitus demissurum: qua *Saulis* Ecclesiam persequentis feruorem corripuit: *Quid me persequeris?* Hunc Angli percussere. Cui similem Batavi, in quo *fune arctiùs contorto, seu nodo quodam Gordio* adumbrabant; *quàm solido inter se fœderis, ac societatis vinculo colligati, ad mutua ferenda auxilia, rebus sic poscentibus, tenerentur*.

Fœdus inter Anglos, Gallos, Belgas.

Angliæ nummū vide nu. 134. E

Batauorū nummū vide nu. 134. f

Anno Sal. 1597.

CXXXVII

Nec inutile fœdus fuit. *Alberto Austrio* Dertolam vnam ex insulis Zelandicis tentanti, occurrit *Nassouius* 6000 lectissimorum militum instructus copijs; qui Dordracum & Montem Gertrudis, XXII Ianuarij, eadem penè hora centum, & quinquaginta nauibus aduecti, conuenère. Exposito in terram milite, diu noctuque iter faciens Tournhutum contendit, vbi stabant Hispani duce *Varrasio*, qui cognito hostium aduentu, castra deseruit, vt in tutum se reciperet; sed à Batauis interceptus, disperso, & profligato exercitu, *Varrasius* ipse occiditur; Insigni quamuis cruenta Batauorum victoria. Nam Reinberga, Mærsia, Alpenum, Grilla, Bredefortium, Enschæda, Oldensela, Petmarsum, Goera, Linga trimestri spatio Ordinibus subijciuntur. Suspice *triumphales nummos*, in quibus insculptæ legūtur victoriæ.

Mauritij Nassauij victoria de Hispanis.

Mauritij Nassauij nummi sub C. & E. n. 134.

Ista apud Belgas Fortuna ludebat; quùm ad totius orbis Christiani perniciem, tyrannus *Mehemethus* ex nostra discordia totam Pannoniam in summum discrimen adduceret. Commune omnes principes inspiciebant periculum, nemo tamen succurrebat. Cum ex Belgarum, & Hispanorum pace propitia viderentur vel aduersa imminere Fata; *Christianus IV*

CXXXVIII

Christiani Daniæ Regis nummi.



Rex Daniæ (qui iam adolæuerat; & anno currenti solemniter inauguratus fuerat, vt *nummi* testantur *augurales*; Quorum in altero *elephas armatam sustinet turrim* sub lemmate, *Regna firmat pietas*. Nam *pietatem* Elephantis symbolo expressit Antiquitas. Quia *id genus animalis*,

Luna

Sal. An. 1597. *Luna splendente, gregatim amnes petat; mox*
aqua respersum, Solis exortum certis gestibus
salutet. In altero *Pallas* est, sed comite *Pietate*;
nam *cæca Pallas, quæ fortunam diuino colat ho-*
nore.) Coronatus oratores suos in Angliam mi-
serat, deindè ad Belgas; Mandatorum summa
Batavi fuit, *vt amicitia, quæ Friderico parenti suo cum*
pacem *Gulielmo Nassouio, & fœderatis intercesserat,*
respuũt. *renouaretur, & vt pacis non solum inter eos, sed*
in toto Christiano Orbe constituendæ ratio inire-
tur: salua semper Protestantium doctrina, in qua
educatus, mori volebat. Propterea prò certo habe-
rent, Regem Daniæ ea in re nihil præter Dei glo-
riam, & publicam tranquillitatem spectare.
cxxxix Ad hæc responderunt Ordinum delegati, Ha-
gæ conuenientes, *hoc vnum sibi esse votum, pa-*
cem. Quam cum ab Hispanis consequi minimè
poßent salua conscientia, & religionis libertate:
proinde frustranea fore de pace verba.

Antea *Paulus Dizialius* à *Sigismundo* Re-
ge Poloniæ missus, idem pacis negotium cum
acriùs instaret, & tam Hagæ Comitum, quàm
in Anglia apud *Elisabetham* minas precibus
admiscens, Austriacam supra modum iactaret
affinitatem, Regina tumida legatum increpuit,
multum expectatione sua se deceptam, (dicens)
quippe prò legatione expostulationem institutam,
prò legato facialem ad se missum. Illis non esset
Rex ipse vsurus verbis; quòd si talia à Rege ha-
beret mandata, ideò factum existimare, quòd iu-
uenis, neque successione, sed electione ad regnum
Poloniæ promotus, regia non adhuc percepisset ar-
cana.

cxl Cæsar etiam *Carolum Niuelium* ad Ordi-
nes misit, cui VI. Id. Sept. Senatus datus. Pete-
Cæsar bat, *vt legatos Cæsaris, & cæterorum Imperij*
frustra ad *principum, de pace cum ipsis acturos admitte-*
pacē sua- *rent.* Cui responsum *se excusatos Cæsar habe-*
det Ba- *ret ob recens cum Gallis, & Anglis initum fœ-*
tauos. *dus; quibus inscijs liberum non esse consilium.* Pa-
cis itaque desperato negotio Hispaniarum Rex
Philippus II, consilium, quod de Belgicis rebus
cæperat, literis suis Brabantiæ primum: inde
aliarum ditionum Ordinibus aperiendum cen-
cxli suit: videlicet, vt filiam suam *Claram Euge-*
nuptiæ *niam* cum Belgicis, Burgundiæque Prouincijs
inter Al- cum *Alberto Archiduce*, Cardinali, & Archiep.
bertũ, & Toletano, præmisso Pontificis consensu in ma-
infantem trimoniũ collocaret. Nec minùs de filij princi-
Hispanã. pis matrimonio solicitus, nurũ eligit *Margare-*
tã filiã *Caroli* Archiducis. Hanc traducturus in
Hispaniam *Albertus*, vt inde sponsam in Bel-
gium deduceret. Interim substituto *Andrea*
Austriaco Cardinali, qui suo nomine Belgicis re- cxlii
bus præesset: Belli administrationem *Franci-*
sco Mendozæ Aragonio Thalassiarchæ manda-
uit. Is, absente *Alberto*, Rinbercam expugnauit;
plurima Cliuiæ, Vestphaliæ oppida in deditio-
nem accepit, sed tanta erga deuictos crudelita-
tis, vt hostes æquè ac amicos in se concitaret.
Creuit indignatio ob interdictum ab *Andrea*
Cardinali cum Hollandis commertium, quod
idem ipsi fecerunt aduersus Hispanos. In ho-
sticum ponè deducto milite Bommellam fru-
stra obsedit Cardinalis, se obijciente *Mauritio*
vbi collatis signis aliquotiès velitatum. Durán-
te porrò Obsidione, vt nauigationem inter
Mosam, & Vahalim impediret, vicinisque lo-
cis compedes inijceret, in Isthmo insulæ cxliii
ad pagum Rossemium propugnaculum erexit, *Andreæ*
& S. Andreæ nominauit à nomine extructoris. *Austrij*
Huius extructionis nummum habes *pag. 95.* *nummus,*
vide pag.
Habes etiam *Mendozæ* nummum, in quo 95
Deo, & Regi se inseruire protestatur vigilan-
do: ardua intrepidè aggrediendo; celeriter per-
agendo: *Circumspectionis* symbolum Grues est:
celeritatis, Delphinus: fortitudinis Leo. Quid cã-
dela? eò alludit: *Alijs inseruiendo, consumor.*

Laborabat interim, & summa laude perfe-
cit *Clemens VIII* Papa, vt Gallos reconciliaret
Hispanis, quorum dissidijs vniuersæ Christia-
næ conuulsæ Reipublicæ interitum moliebatur
immanis ille Asiæ tyrannus. Pontifice itaque
sequestre, internuntio *Bonauentura Calatagi-*
rone Ordinis Franciscani ministro Generali
pax sancitur, Iunio mense publicatur: licet sub-
scribere Angli, & Bataui detrectassent. Num-
mos suspice *gratulatorios*, in quibus Pax alma
laudis sacrificium Deo peragit: coniecto in
ignem annulo, qui fidei hieroglyphicon: vt &
circulus symbolum æternitatis.

Albertus interim cũ ad Hallẽsem Virginem cxliv
salutandam concessisset, Cardinalatus sui ibi-
dem insignibus depositis, Emblema tunc vsur-
pare cæpit, quod in *nummo* sculptum *festino*
legitur. In hoc *Iason* repræsentatur, *Vellus au-*
reum aufferens. Dracone *subiugato semper vigi-*
li, & tauris igniuomis edomitis. Sub lemmate,
Assiduitate, qua rebus in Belgio, & Pannonia
præclarè, fortiterque gestis, promeruerat; vt
cum maximi Regis filia, ducatu Burgundico,
Prouincijsque Belgicis donaretur.

In ipso itinere nuncium de morte Regis *Phi-* cxlv
lippi II accepit; nihilominùs sibi progredien-
dum

Sal. An. 1598. dum ratus, in Tirolensem Comitatum venit, vbi *Margareta Austria occurrit*, quæ cum matre *Maria Bauara*, è Pannonia superiore venerat. Per Tridentum itaque, Venetasque ditio-



nes prætergressi, Ferrariam appulit; vbi *Clemens VIII* Pontif. primò *Albertum Archiducem Austriæ* nomine *Philippi* III Hispan. Regis cum *Margarita* noua Regina. Postea *Ducissam de Sessa* nomine *Isabellæ* cum *Alberto* Archiduce Austriæ coniungit. Post celebratas imaginarias hasce nuptias, Mediolanum contendunt, nauigationi tempus operiens opportunum. Ibi commoranti, *Velaschius* Gubernator, præter alia obseruantiæ studia, Reginæ suæ *portam honorariam* excitauit: addita moræ causa; quòd ibidem aliquandiu subsistat, dum *Lenes Austri spirare* incipiant. Sic Hispaniam anhelabat Sponsa *Margareta*; vt sponsus *Philippus* calido sponsæ torquebatur desiderio; idque ipsum, nonnisi spe appropinquantis aduentus eius, restinguebat. *Anchora* in nummo *spei* symbolum: vt *corolla, futurarũ nuptiarum*. Sed sponsos relinquamus, dum Mars nos in Pannoniam reuocat.

Sal. An. 1598. *SIGISMVNDI BATHOREI SVSPECTA MVTATIO.* Ann. 1598.

cxlvi Pragam venerat *Sigismundus Bathoreus* Transsiluaniæ Princeps, vt solemni ritu Velleris aurei torquem, *Philippi* nomine à Cæsare acciperet. Cum repentina animi mutatione *Rudolpho* aperit, velle Transsiluania cedere, vt in remotiori principatu otio indulgeret, curæ pertæsus humanæ. Rei nouitate perculsus Cæsar, omnem lapidem mouit, vt *Sigismundum* à pernicioso retraheret consilio; rectè præludens, quàm damnosa foret hæc Reipublicæ Christianæ mutatio Turcico vrgente bello. Verùm in sua opinione constans *Sigismundus* eò *Rudolphum* adegit, vt sequentibus conditionibus abdicationem adprobaret. *Cæsar dabit principatus Oppoliæ, & Ratisborij in Silesia Sigismundo, alias Regiæ Isabellæ adsignatos adiunctis quinquaginta aureorum millibus annuis, vnde viueret. Diuortium inter Sigismundum & vxorem Cæsar adprobabit. Clericalem volenti Sigismundo vitam profiteri, Purpuram Cardinalitiam ei Cæsar impetrabit. In Transsiluaniam regressus, vocatis comitijs abdicationem exponat Sigismundus, adstantibus Rudolphi legatis, quam iuramento Ordines ratam habebunt: & protinùs Maximilianus Archidux regimen suscipiat Prouinciæ.*

cxlvii Subitaneam mutationem non equè acceperunt aulici. *Temerè suscepti belli serò penituisse Sigismundum* dicebant, *inclinantem fugere fortunam, ac temeritatis pœnam dare.* Alij ab *Alfonso Carillo* ex Iesuitico sodalitio inductum, *ne ditiones illæ Turcis expositæ, magno Christianorum detrimento in manus caderent infidelium. Hinc spetie pietatis persuasus, eas potenti Austriacorum cedere familiæ, quæ sola Turcarum impetus sustinere poterat.* Verius est *fascinatum Principem, odiosum sibi, se abdicasse quòd eo furoris aliquando esset, vt Orbem in Orbe quæreret.* Surgebat noctu, laruas prouocabat ad pugnam, familiares si accurrerent, prohibebat; colloquij impatiens, in solitudine alta voce orabat, quem amaret, vel oderet, non secernebat. Castissimam coniugem *Mariam Christinam Austriam* Virginem adhuc veluti furiam fugiebat.

cxlviii Claudiopoli itaque conuocatis proceribus, pacta soluit *Sigismundus* non tamen sine occulto procerum fremitu, præcipuè *Andreæ Cardinalis Bathorei*, gentilis *Sigismundi*; qui cum sciret à *Rudolpho* Cæsare, fratri *Maximiliano*, qui regni Polonici titulos adhuc retinebat, Prouinciam destinari, ad Regem Poloniæ conuolat, communia exponit pericula, *non satis esse Austrijs* (exclamat) *alienos titulos violatis pactis vsurpare, nisi & vicinos principes fraude spolient. Eorum ambitione totam Pannoniam Turcici iuris effectam esse, idem Transsiluaniæ euenturum, nisi maturè occurratur.* Andreæ subita in Poloniam profectio, & quò pertinerent hominis irritati consilia, non latuit Legatum Pontificium, qui in aula Cæsaris erat. Cum itaque videret vanos Regis Polonici titulos, quos *Maximilianus* vsurpabat, plus inuidiæ ad Austrios, quàm emolumenti redundare; suasit Cæsari Regem Poloniæ deuincire, iubendo *Maximiliano* titulos omittere, & sincerè Polonis reconciliari. Sic enim fore, vt Rex pacis auidus facilè ab *Andrea* Cardinali separaret consilia, & *Andreas* tanto destitutus auxilio, à rebus in Dacia nouandis abstineret.

Interim *Adolphus Schuuartzembergius* Baro laude bellica celeberrimus, viris rei militaris peritissimis assumptis, pulcherrimum aggreditur facinus. Comorra profectus, cum haud procul à Iaurino abesset, consilium de castro aperit repetendo. Tum *Vobecurtio* mandat, vt crepitaculo, cuiusmodi machinarum vsus nondum Turcis cognitus erat, admoto, portam effringeret. *Cauiaco* negotium datum, vt maiorem machinam, quàm occultissimè admoueret, eiusque vi disiectis foribus, aditus pateret. Inde locus cuique assignatus, ad quem se, occupato oppido, reciperet; seuerè inhibita præda, nam parta victoria, communem eam fore prò meritis inter milites distribuendam. Tum astus adhibitus. Ex Hussaris quinque Turcici idiomatis periti subornantur, quibus Turcarum res satis cognitæ erant. Eos Turcæ incubitores, *cuiates essent?* inclamant. *Buda se venire* respondent; *literas ad Aaronis Aga Budensis sponsam afferre, & nuntium commeatus à purpurato summissi, & iam propinquantis. Insuper importato commeatu, Sponsam ad sponsum deducere in mandatis habeant. Sed metum subesse, ne Christianis huc illuc sparsis, auxiliares damnum ab ijs patiantur. Pontem ergo ad commeatum accipiendum ante lucem dimitterent.* Fidem Hussaris habuere Turcæ, pontemque dimisere. Sed cum venientibus nostris ingens fragor fieret, vt à vigilibus exaudiri posset, & appe-

cxlix (margin beside "Interim…")

Iaurinū recuperant Austrij.

Sal. An. 1598. appetente luce, ac Cœlo aliàs sereno cuncta ex superiore loco speculantibus paterent; exortus statim vehemens ventus, & nubes à Danubio ascendens ità Cœlum texit, vt aurium, & oculorum sensum hostibus ademerit. Indè in spem nostri erecti mœnia subeunt, repertoque ponte demisso, machinas admouent. Conatus ex voto successit. Ibi demum vigiles, quid ageretur, animaduertentes, clamorem edunt, & sclopetorum ictibus tres Christianos conficiunt. Cum enim ingenti fragore porta dissiluisset, aditumque præbuisset, mox effusi nostri in vrbem milites, obuios quosque contrucidant: loca munita, & tormenta capiunt: reliquas obsident portas. Hinc Turcæ subito tumultu lectulis suis exciti, trepidare, discurrere, inermes, seminudi arma capere; illinc nostri pertinacissime pugnantes cædere, fugientibus instare, non sexui, non ætati parcere. Quinque horas durauit conflictus, in quo tanta contentione à nostris pugnatum, vt arma frustra experti Turcæ, vltro nostris se mactandos obijcerent. Vrbi præfectus vtraque manu acinacem vibrans, vitam cum armis proiecit, cuius caput abscissum, in loco maximè conspicuo defixum fuit. Tercenti Ianizeri in munimentum recepti, vbi puluis tormentarius asseruabatur, cum inde extrahi non possent, & nostri ad eos conficiendos confestim accurrerent, puluere incenso, se cum hostibus flamma inuoluerunt. Sic Iaurinum recuperatum, cum Turcæ nostros irriderent; & Gallum æneum ex turri tintinnabularia euulsum in porta, quæ Danubium respicit, collocassent sub lemmate; *Cum is Gallus cantabit; Iaurinum Christicola recuperabit*. Victoriæ testimonium extat *Nummus Triumphalis*, quem habes n. 159. p. 99.

cl nummus triūphalis. p. 99.

cli Dum hæc apud Iaurinum geruntur: *Rudolphus* Imperator, quanto in discrimine non sua tantum regna, verùm etiam vniuersa Christiana Respublica versaretur, facile intelligens, Comitia Ratisbonam indicit: Misso eò *Matthia* Archiduce fratre, cum egregio virorum comitatu. Vbi cum Ordinum legatis prolixa oratione exponeretur, *Matriculam Imperij* (quam vocant,) *valdè imminutam, promissa auxilia parcè, ac malignè à nonnullis conferri; eò factum, vt exiguo profectu ob angustiam pecuniæ res cesserint Christianorum. Multò minores esse copias, quàm quibus aperti certaminis alea, contra tantam hostium multitudinem committi posset: dum æstiuis tantùm mensibus sub signis miles haberetur, multos plerumque rei præclarè gerendæ elabi occasiones: contra hyeme, vbi iam omnia gelu obriguerunt, pabuli inopia hostibus ad interiora regionum compulsis, plurimas vtiliter suscipi posse expeditiones*. Tandem summa petionis eò rediit, *vt quinque proximis annis singulis trieenum mensium status penderent. XII. peditum, IV equitum millia parata haberent: quibus vel subsidiaria cohorte, & exercitus suppleri, & fortè accepta clade ingruenti periculo obsisti, parta verò victoria hosti insisti, ac bellum latius spargi possit*. Ab iisdem Statibus petitum, *vt Viennæ & hostibus vicinæ, & necessario ad defensionem apparatu, tot expeditionibus nudatæ, curam gerere vellent*. Ponè Martinus Ep: Segouiensis, exhibito legationis suæ diplomate, multa de Turcarum immanitate questus aduersus Stiriam, Carinthiam, ac Carniolam, quarum legatum agebat, miserias deplorans, opemque imperij rebus penè perditis exposcens.

Comitia Ratisbonæ.

Post aliquot dierum disceptationem Cœsari triginta: Stirijs, & finitimis duorum mensium auxilia decreuere: Ad illud item, quod de subsidijs petitum fuerat, assensus est præbitus. clii

Hisce in comitijs plurimi percussi sunt *nummi honorarij*. Primò in honorem *Rudolphi Cæsaris stella semiluna Turcarum opponitur*: quin & ea licet minor Lunam obscurat; *afflante feruentiore aura*, cælesti nimirum gratia. cliii Nūmos Honorarios Rudolphi vide n. 159.

In altero *Aquila sagittam eiaculans*, quid significet alibi expositum.

In nummis Archiducis *Matthiæ* ænigmatica non pauca. *Victoriæ* signum *pila*, seu *Orbis* seu *vexillum est conuolutum*: petita è veterum Imper. triumphis imagine. Tenent id manu partim: partim humeris. Sustinent hinc quidem *Nymphæ*: illinc *Angeli*: Nam sine cœlesti tutela parùm tuta est victoria. *Nudæ sunt Nymphæ*, hoc est liberæ à curis alienis. Satis namque habet, quod agat, cui acer & infensus est hostis. *Fortitudine* est opus, non minus post, quàm antè pugnam: cum non raro victis in præcordia virtus redeat. *Arma eius signum. Indicium palma patula*. Tandem & *Vigilantia* requiritur, quæ in *Grue* adumbratur, *cuius est noctu excubare: inniti corpore alterutri crurum: altero suspenso lapillum tenere: retinendo somnum pellere. Calculus enim si decidat, statim excitat dormientem, & arguit negligentem*. Matthiæ Nummi.

Transsiluanus interim in Silesiam descen- cliv Sigismūdus Trāsiluaniā repetit.

Sal. An. 1599. derat, Domi relicta coniuge, *Vaciensi Episcopo* homine fastuoso, & *Nicolao Istnanfio* res Cæsareo nomine administrantibus. *Maximilianus* Cœsaris frater iam iter in prouinciam meditabatur; cum nuncius superuenit, *Sigismundum* minimè prouincijs Oppoliæ, & Ratisporij contentum, Transsiluaniam repetere. Atque Monachi habitu, duobus tantùm assumptis comitibus Claudiopolin coniugi adfuisse, dùm hæc sacris interesset, eaque amicis verbis salutata, oppidanos conuocauit, quibus se ab Austriacis querens delusum, fidem exegit. Gratè isti veterem dominum susceperunt sequestre *Stephano Botkaio*, qui populos *Sigismundo* conciliauit. In omnes postea prouinciæ partes nuntios misit, qui populos de suo aduentu certiores facerent. um XI K al. Sept. ad *Maximilianum Austrium* in prouinciam venientem dat literas, significans, *quandò Oppoliensem, & Ratisporiensem principatus relictarum pro compensatione prouinciarum, longè inferiores cognouerit, quàm promissum fuerit, iustam sibi fuisse causam, patriam repetendi. Iamque Claudiopolim Daniæ tenerem etropolim, nec cæteris locis velle, vel posse cedere; sed potiùs in vim se externam parare, si ingrueret. Cæterum se Roman. Imper. ac familiam Austriacam, vt hactenùs fecerit, comiter colere.*

Dum porrò locis amissis recuperandis occupatur *Sigismundus*, pretiosam eius supellectilem *Maximilianus* Cassouiæ intercipit. Vicissim *Sigismundus* vbi id resciuit, Cæsareis procuratoribus, qui in Transsiluania commorabantur, manus iniecit. Hæc initia funestissimi belli, quod Turcis ad maiora audenda fiduciā fecit. Repetito itaq; principatu *Sigismūdus*, sed nunquàm idem, & folijs leuior, noua inconstantia *Andream Bathoreum Cardinalem* ex Polonia euocat, eique cedit prouinciam; vxore remissa, quæ habitu luctuoso sumpto, Græczium secessit; indè Œnipontum: vbi sanctimonialium extructo cœnobio, sanctè quieuit in Domino. Interea Turcæ duce *Omaro* numero sexaginta mille Varadinum obsident. clv

clvi *Schuuartzemburgus* vt hostē à Varadino auerteret, ad Budam Pannoniæ metropolim castra ponit. Vbique pugnatur acriter. Vtraque vrbs aggressoribus cessisset, ni vrgentibus imbribus, Turcæ & Christiani ab obsidione discessissent pari vtrinque damno.

BELLVM IN SIGISMVNDVM TRANSSILVANIÆ. Ann. 1599.

clvii Andreas Cardin. Bathoreus Transsiluaniam occupat. IN Transsiluaniæ principatum substitutus *Andreas Bathoreus Cardinalis* à *Sigismundo*, qui subditos adegerat, vt in verba Cardinalis iurarent, nulla mora interposita è suis domesticis familiarem ad Portam Otthomanicam legauit; eodemque tempore ad *Rudolphum* legatos miserat, vt cum alterutro fœdus iniret. Id ad Cœsarem perlatum, cum iam *Sigismundi* legati Praga discessissent, ignari, quid interim per suam absentiam in Dacia gestum esset, tanta sibi leuitate, vel astu illusum ægerrimè ferens, iussit legatos, qui iam Thoronam peruenerant, in custodiam dari. Interim Cardinalis, vt tempus protraheret, datis ad *Georgium Bastam* (qui iam ex mandato Cœsaris Cassouiam cum copijs venerat) literis, *vim hostilem deprecabatur, quippe se quicquid à Sigismundo per delegatos cum Cæsare actum esset, ratum habiturum. Nec aliud spectare, quàm prouinciæ tranquillitatem.* Eiusdem tenoris ad Cœsarem scribit; Is dilato responso, *Basta* imperat, copias quantas posset, conscribere, & in Daciam mouere. *Michael Vaiuoda* Valachiæ *Bathoreis* infestus, vtriusque prouinciæ præfecturæ spe lactatus, quod Turcis suspectus esset, & infestus, ideoque in se conspirari per Cardinalem sciret; vt principatu deiceret; ad *Rudolphum* confugit, offerens Cœsare auxilia suppeditante, Cardinalem expellere.

Cardinalis se armis vndique petitum videns, vt moram aliquam interponeret, nouas ad *Bastam* litteras dedit, quarum summa erat, *quando de dissidio amicè componendo, minimè auditus sit, sibi patrono opus esse, cuius ope se suaque defendat. Proinde Cæsarem rogare, vt suam voluntatem disertè declaret, amici & fæderati clientis, an hostis loco sit ipsum habiturus. Turcicum legatum apud se esse, opes & amicitiam Sultani vltro offerentem, nec amplius decem aureorum millia pro annua pensione reposcentem. Malle tamen se Christiani nominis memorem Cæsari operam nauare, quàm priuatum commodum respicere. Non deesse ineundæ concordiæ rationes, & per renouatam affinitatem, quæ nuper publico dissoluta diuortio, arctius constringendæ. Bathoreis tanto honore iam à Serenissima Austriorum familia affectis, ex eadem domo se Sigismundi patruelem superesse, qui parem fidem, & animum ad eam affinitatem sit allaturus. Votum sibi esse, si non indignus à Cæsare habeatur,* clviii Andreas astus, & oblata.

vt

Sal. An. 1599. *vt Mariam Christiernam, quæ Sigismundo nupserat, in uxorem ducat. Tanta accessione ad dignitatem suam facta, non solum deinceps Turcam, sed etiam omnes Principes Austriacæ familiæ æmulos in posterum prò hostibus habiturus.* His minimè *Basta* commotus, cum astu rem geri putaret, contrario sibi astu vtendum duxit, verba reddens prò verbis. Dum hæc simularè agitantur; *Basta* per *Michaelem Valachiæ despotam*, qui iam in armis cum triginta armatorum millibus erat, seriò rem agi curat. Is prouinciam hostiliter ingressus, Stephanopolim primo impetu, XV Kal. Decemb. occupat, vt ab ea parte Polonis, quos credebat Cardinali



auxiliares futuros, aditum intercluderet: Verum metus paulò post euanuit, edicto per regnum promulgato, ne quis in eo bello aduersus Cæsarem militaret. Stephanopoli præsidio fir-

Sal. An. 1599. firmata; Ciculi confirmatis priuilegijs in fidem accepti, & in Cæsaris verba adacti, Hermenstadium cum XVIII machinis mouit.

clix *pugna Andreæ cum Valacho.* Confœderat non longè *Andreas* apud Cibinium ciuitatem Saxonum, cum *Hieremio* Despota Moldauiæ, quorum in castris haud minus XXV mille hominum erant. Orator Pontificius cum *Gogare Monbarsio*, & *Moyse* inter Ciculos primario viro interuenit, iam *Andreæ* addictus (quia *Andreas* se beneficiarium Apostolicæ Sedis futurum in arcano promiserat, si Daciam Pontificis patrocinio retinere posset), quasi à Cœsare veniret, *Michaeli* mandat arma ponere, ac finibus omnino excedere Transsiluaniæ. *Michaele* Cœsaris mandatum sibi exhiberi petente, cum Orator id penès *Bathoreum* esse diceret, tempusque interponi postularet, tantisper dum ipse ad Cardinalem adiens, ad saniora consilia inflecteret, contrarium Cœsaris aduenit mandatum, quo nulla mora interposita, cum Cardinali hostiliter agere iubetur. Custodiæ itaquè honorificæ primùm Oratore dato Pontificis (nam filio suo commisit) mox Cibinium mouet, misso ad Cardinalem fæciali qui renuntiaret, *non se ad Christianorum sanguinem effundendum venisse; sed quando ipse sacramentum Cæsari dederit, & iniustè arrepto principatu cedere recuset, sed cum Turcis fœdus continuare velit; nonnisi arma expectaret vltricia.* Cardinalis vir magni animi, qui *Michaelem* pascendis potiùs pecoribus, quàm exercitui ordinando idoneum semper aspernatus fuerat, protinùs remisso fæciali, copias instruit; turpe existimans detrectare certamen. Antequàm manus consererent; *Michael* voce præconis edixerat, vt transituris ad se parceretur, quod ita speraret fore, vt multi à Cardinale transfugerent: quod si non succederet, saltem egregiæ suæ voluntatis impressam in Dacorum animis opinionem relinqueret. Maioribus animis, quàm peritia vtrinquè certatum, & post quinque horarum obstinatam pugnam, Cardinalis tandem profligatur, Ter

Michaelis Valachi victoria. mille hostium desideratis. Direptis castris, & magna præda in ijs inuenta Valachis in prædam cessit. XLV Machinas victor *Michael* sibi reseruauit. Mox Albæ Iulij Valachi magna ciuiū gratulatione fortunæ plaudentiū accepti. *Stephanus Bathoreus* ex fuga cum paucis se in montana recepit; Eo digrediente, Husta, & Claudiopolis *Michaeli* aduenienti Kal. Decemb. patuit. Sola restabat Viuaria præcipuum Prouinciæ munimentum, quod valido præsidio tenebatur. Cessit tamen, nuncio accepto quòd *Stephanum Bathoreū* intercepisset *Georgius Basta*. Missi postea qui inter Montana fugientem Cardinalem insequerentur. Eum cum septem familiaribus nacti, trucidarunt. Recisum caput ad *Michaelem* allatum, qui corpus mox diligenter perquiri, & repertum Albæ Iuliæ insigni monumento, quod ipse Cardinalis *Balthasari* fratri struxerat, inferri curauit. Hoc nuntio turbatus *Sigismundus* cum omnia tuta metueret, fugam vndique circumspiciens, clade ad cladem addita, non mediocriter angebatur. Nam dum ad discessum se parat, equos magnam partem fortuito amittit incendio, quo & ducenti currus, in quos pretiosiorem imposuerat suppellectilem, vnà cremantur. *clx Andreæ cædes.*

Breui itaque tempore *Michael* vniuersa regione potitus, ad Cœsarem literas misit, quibus *pacatam Daciam ductu suo, & cunctos prouinciæ Ordines in verba eius adactos significabat, meritorum suorum petens rationem haberi.* Victoriam hæc cum ad Cœsaris fortunas magnum detulisset augmentum, maioribus viribus bellum in Turcas geri posse videbatur. Quanta fuerit lætitia *Rudolphi* nummus ostendit triumphalis. In quo sub *Virginali schemate Victoria sinistra coronam effert dextra facem Bellona atque turbarum extinguentem.* Conspiciuntur *catenis vincti hostes*, mox ante currum triumphantis ducendi in opprobrium. Exhibetur *speciosa armorum, ac manubiarum ostentatio*, non infimum pompæ triumphalis decus. clxi *Rudolphi nummus.*

Michael interim vbique Præfecti vsurpato titulo, per *Bastam* qui ad eandem præfecturam adspirabat, quasi nouarum rerum auidus apud Cœsarem tacitè insimulatur. Auxit suspicionem insolita barbari hominis comitas, & adfectatus in populos in fidem acceptos amor, atque ambitiosæ prò eorum immunitatibus apud Cæsarem preces. Itaque cum *Basta* instaret, vt Germani per præsidia distribuerentur, saltem quousquè à recentibus motibus pacata esset prouincia; obstabat *Michael*, patriam obtendens libertatem. Tandem ad dissidium componendum properè cum amplissimis mādatis *Petzius* missus, qui ita summum prouinciæ imperium sibi sumpsit, vt illud *Michaeli* ablatum in *Georgium* transferre videretur. Hæc feliciter in Transsiluania. clxii *Nouum cum Michaele dissidiū.*

PAP-

Sal. An. 1600. *PAPPENSIVM SEDITIO.* Ann. 1600.

cxiii IN Pãnonia, vbi Pappæ excitato tumultu ob non soluta stipendia, præsidiarij habito cum Turcis colloquio, *Michaelem Marotum* in vincula coniecerant, vexillum Cæsarianum insigni scelere, vt spes reconciliationis tolleretur, hostibus tradiderant, *Schuuartzenburgus* qui iam in itinere erat cum duobus equitum & peditum millibus, ad præsidiarios nuncium præmittit, monens ad officium maturè redirent, paratam esse pecuniam. Accepit prò responso conuicia, legatus non sine ludibrio dimissus. *Schuuartzemburgus* cum nihil hac ratione proficeret, pluuijs incumbentibus, vlteriùs progredi prohibitus, Iauarinum, vnde venerat, retrocessit. Interim inter seditiosos ob conditiones cum Turcis pactas, inito dissidio, ad manus deuenere. Occasione sumpta *Schuuartzemburgus* copias mouet; & adhuc ardente dissidio, pars altera muris succedere patitur. Verum altera superueniente factione, scalæ deijciuntur admotæ, nec sine damno *Schuuartzemburgici* repelluntur. Quo facto, Turcæ pabulatores intromittuntur, quorum plaustris exoneratis, captiui Christiani Albam Regalem deducendi imponuntur. *Marotus* adhuc in vinculis erat, qui clam nostros monet, quo loco impetum facere deberent. Itaque III Id. Vtil. castra ad Pappam posita. Eruperunt bis obsessi nec sine damno. Centurioni ex ijs in eruptione capto cutem viuo ad terrorem detrahi iussit. Parabant Turcæ ad soluendam obsidionem necessaria, sed eos, quo minus venerint, fœdi imbres remorati sunt. Magna in oppido rerum omnium erat inopia, cum deficiente carne, sexaginta equi in cibum distributi, quibus paulatim absumptis, obsessi ad extremas angustias redacti, consilium ex desperatione capiunt, mortem oppetere pugnando, cum nullus esset gratiæ locus. Pridie itaque Kal. Sextil. eruptione noctu tentata, eam castrorum partem, ad quam Mersburgenses stationem habebant, conferti inuadunt, militem cœ- dunt temulentum. Ad strepitum excitus *Schuuartzemburgus*, vbi sui laborabant, aduolat, dumque per castra excurrens exemplo suo militem excitat, glande ictus cadit, incredibili sui desiderio relicto. In eius locum suffectus *Melchior Raderus*, qui gnauam operam in Varadino defendendo nauauerat. Postridie quàm hoc accidit, denuò eruptione certatum, &

Mors Schuuartzēburgi.

CCC circiter Cæsariani cæsi, nonnulli intra oppidum adducti. *Rederus* cum ad deditionem hortaretur, *cum breui fore, vt annona deficiente, & ipsis fame pereundum esset*: responderunt, *vbi annona defecerit, se captiuos Christianos, atque ipsum cum primis Marotum præfectum comesturos*. In arcanis tamen de fuga agitabant; quam Sexto Idib. Sept. tentarunt duabus ante ortum Solis horis. Albescente porrò die *Rederus* cognita fuga, cum leni armatura insequitur, sed cum iam fugitiui ad saltum penè euasissent, interceptum vltimum agmen, & magna ex parte cæsum. *Marotus* inter hæc ruptis catenis in castra confugit. *Rederus* vacuum ingressus oppidum, reliquos soluit captiuos, reliquias detestandæ defectionis abolet. Ex perduellibus alij excarnificati, alij palis infixi, alij rotis contusi, alij vncis tracti, alij larido liquefacto vstulati, quibusdam viuis intestina detracta, & ipsis spectantibus in ignem coniecta; non sine multorum horrore, qui ita censebant improborum animos non tam per supplicia à sceleribus perpetrandis auocari, quàm ad quiduis agendum, & patiendum efferari, neque tam acerbitate deterreri, quàm assuetudine huiusmodi spectaculi, metum imminui pœnarum.

Christianorum infortunium geminauit *Canisæ* expugnatio. Stiriæ est oppidum munitissimum, Archiducum metropolis. Duodecim prætorianorum mille Constantinopoli Budam missi, in itinere Babocsam potiùs ignauia nostri præsidij, quàm virtute receperunt. Castra inde ad Canisã posita. Initio crebris eruptionibus pugnatum, & vallo deiecti Turcæ, machinis etiam clauis confixis, & vnâ hosti ademptis ac in oppidum pertractis. In obsessorum suppetias missus *Philippus Emanuel Lotharingus, Dux Mercurij*, qui ad Muram fluuium consedit. Exiguum nostrorum numerum contra suas ingentes copias Turca conspicatus, ad Mercurianum mittit, monetque *ne tantillis viribus tantam obsidionem solui posse confideret, meliùs suæ existimationi consuleret*. Cui generosè *Mercurianus* respondit, *se non militum viribus, sed Dei confidere*. Velitationibus sæpiùs certatum; & in vallum Turcarum impressione facta, turbati Turcæ, XIV machinas campestres amiserunt. His impressionibus fatigari, vt auxiliaribus recedendi necessitatem impo-

cxiv *Canisam Turcæ obsident.*

ne-

Sal. An. 1600. nerent, circumfusis à tergo copijs, vijsque angustis inter paludes infestis, in summam rei frumentariæ difficultatem adducunt. Quibus angustijs *Mercurianus* victus, exercitum reduxit, & in discessu penè oppressus. Virtute tamen militari itinere superato, militem in tuta deduxit. Eius discessu fracti obsessorum animi; *Paradiserum* præfectum ad deditionem faciendam compulerunt. Deditione facta, *Paradiserus* facti rationem reddere iussus, cum non satis se purgaret, semel etiam de fuga arripienda consultasse conuictus, capite pœnam luit.

MICHAELIS VALACHI CÆDES, Anno 1600.

clxiv Daciæ præfecturam cum *Michael Valachus* assequi desperaret, Turcas tentauerat, qui hominem in vtrumque paratum vt aliqua spe gratiæ, si ad partes ipsorum inclinaret, lactarent, *Hurataam Agam* veneranda canitie senem vicissim ad eum *Sultani* nomine miserunt; quem ille perhonorificè excepit cum ornatissimo equitatu ad medium milliare obuiam profectus: cum non procul abessent, ambo ex equis desiliunt, & vbi se humanissimè complexi sunt, Aga *Michaeli* Persicum gladium, quo accinctus erat, detrahit, eidemque alium Turcicum gemmis distinctum tradit, cum alijs muneribus inter quæ erant VII equi generosi: plumæ ad pileorum ornamenta, quæ *Michaeli* incedenti præferebantur: eoque comitatu ambo Stephanopolim ingressi, reboante festiua tormentorum displosione. Aderant Cæsarei procuratores ad componenda inter eum, & *Bastam* dissidia missi, quos æquiores eo spectaculo adductos fore sperabat. Monet tamen, *ne ea re mouerentur, legatis se debitum deferre honorem; cæterum se facturum, quod fidei, & Cæsari vtile foret. Tantùm Basta multis de causis sibi suspecto alium subsitueret, ne ex priuata simultate publica salus in prouincia periclitetur.* Præterea hæc eiusdem in arcano postulata ferebantur, vt *Transsiluania sibi, filioque iure cederet hæreditario, cum exterioribus Hungariæ partibus. Bona, dignitates quibus Sigismundus Bathoreus à Cæsare donatus fuerat, sibi attribuerentur, & collatitia pecunia ad scribendum militem iuuaretur. Sperare se, vt in Dacia occupata Cæsar minimè reposceret, sed reliqua vsque ad Turcum fluuium prò fideliter nauata opera, benignè concederet.*

clxv Sigismũdũ vincit Michael. Hæc superbi hominis postulata prudenter in præsens legati dissimularunt Cæsarei, & ex pecunia Cæsaris triginta aureorum millia repræsentarunt: quæ tamen tanquàm leue operæ pretium non sine spernentis, atque adeò malè affecti vultu *Michael* accepit. *Sigismundus* interim sociatis cum *Hieremia Moldauiæ despota* viribus mediocrem ex suis, Turcis, Polonis confecerat exercitum. In eum, ne longiore mora iniecta, maiores vires colligeret, mouet protinùs *Michael*, in Moldauiam penetrans, *Sigismundo*, & *Hieremia* numero imparibus recedentibus; Aliquid damni magis ex penuria annonæ, quàm ex hostibus accepit: nam folijs arborum prò cibo vti cogebatur. Ad Istrum tandem in finibus Poloniæ iuxta Ortunum castrum *Sigismundum* assequutus, qui nouo fretus auxilio, XXX armatorum millia recensebat sub signis, collatis castris acerrimè pugnat, multis vtrinque cadentibus. Ad *Michaelem* tandem inclinauit victoria. Ex Bathorianis octo mille desiderantur. Ex Valachis vix duo mille. *Michael* victor totam Moldauiam Cæsaris nomine, vt in dissimulatione perseueraret, in potestatem redegit, eique gubernandæ filium præfecit, parte copiarum attributa; Ipse cum reliquis Cosacorum, Rasciorum, Belgarum, quos à Cæsare habebat copijs in Transsiluaniam redijt. Vbi cognito *Io: Sarij Samoscij* magni Poloniæ Cancellarij aduentu, fama sparsa, vt excursiones in Poloniam prohiberet, reuera vt *Sigismundum* cognatum suum in paternum restitueret principatum, & Moldauiam veteri Polonorum adijceret imperio, Cæsareos monet, qui in superiore Pannonia erant, si quid hostis tentaret, statim accurrerent.

Miserat *Petzium* Cæsar cum mandatis, vt clxvi *Bastæ* prouinciam *Michael* resignaret. Quod cum facere recusaret, res ad apertum dissidium erupit, & *Michael* vt res suas firmaret, nonnullos prouinciæ proceres ex leuibus suspicionibus in crimen adductis malè multauit. Ex quo adeò populis odiosus factus est, vt multi ab eo deficerent. In ijs *Moyses Ciculorum regulus* cuius in fide, & virtute fiduciam habebat. Occasionem nactus *Basta*, collecto ex superioribus Pannoniæ præsidijs raptim exercitu, statim occurrit, vt spontè parere recusantem cogeret. Albam Iuliam profectus, vbi *Michael* cum octo millibus castra habebat, rectà tendit. Aduentu *Bastæ* territus *Michael*, & suorum veritus insidias, protinùs se in fugam coniecit,

Sal. An. 1601. iecit, quatuor mille suorum amissis: sed ad montana Valachiæ à *Sigismundo*, & *Hieremia* fugatur Michael. iterum profligatus, cum nihil præsidij ampliùs in opibus suis videret, ne ab infesto sibi *Basta* legem accipere cogeretur, Cæsaris clementiam appellat, obsidum loco vxore, & liberis oblatis, ne qua fraus subesse putaretur. Postulatis facile Cæsar annuit. Et *Michael* anno exeunte cum LXX equitum comitatu Viennam venit, à *Matthia* perhumaniter acceptus.

SIGISMVNDI IRRVPTIO IN TRANSSILVANIAM. Ann. 1601.

clxvii Interea Claudiopoli conuocatis comitijs, cum à maiore parte *Sigismundus Bathoreus* nouiter per præconem Princeps Transsiluaniæ renuntiatus esset; *Stephanus Tichiskius*, qui absentis vices obibat, *Michaelis Valachi* liberos & vxorem in custodiam mittit. *Valachus* grauiter commotus, cum facile apud Cæsarem gratiam impetrasset, ob recentes *Sigismundi* motus, Motinam protinùs regreditur. Excusabat *Sigismundus*, datis ad *Bastam* literis, decreta *Tichiskij* vt suo iniussu facta, deplorataque sua miseria, in quam nulla sua culpa incidisset, præteritorum sibi gratiam fieri, & vt nouos ad Cæsarem legatos mittere liceret, petebat: de cætero nolle se consilia cum *Tichiskio* homine seditioso miscere. Sed homo ad quamuis auram fluctuans, statim nutauit, & à *Tichiskio* persuasus cum *Michaele*, & *Basta*, antequàm maiores vires collegissent, confligere; cum XXX armatorum millibus collem superiorem ex aduerso Cæsarianorum occupat. clxviii *Michael* & *Basta* cum XVIII mille circiter in inferiore colle consedere. Postridiè moræ impatiens *Bathoreus* sub horam quartam pomeridianam Cæsarianos adoritur, à quorum tormentis in medio cliuo dispositis grauiter infestatus est, cum tormenta eius in summo colle directa Cæsarianos illæsos superuolarent: eoque errore factum, vt cum à Cęsarianis repetita sæpius displosione *Bathorei* soluerentur, Belgæ acri impressione facta, mediam aciem victus Sigismũdus. perrumperent, eodemque tempore hinc *Michael*, inde *Basta* per latera incumbentes *Bathorianos* post ingentem cædem, in fugam verterint; Desideratis eorum X millibus; captis CX signis; & XL omnis generis tormentis: ex Cęsarianis vix tercenti perierunt.

clxix Michaelis Superbia. Parta victoria, noua inter præsides consurgit discordia: *Basta* cum *Michaelem* vasta ambitione insolescere videret, primò monitum, ad vltimum opprimere statuit. Dissimulato itaque superbo responso, quo *Basta*, Cæsarisque imperium in se nullum agnoscere palam iactabat, post aliquot dies quasi cum eo de rebus magnis actutus, ad se vocat. Cum ille detrectaret, duo Belgarum *Basta* signa misit, quasi defectionem meditantem vt comprehenderent. Ad horum conspectum homo ferox minimè se deseruit, sed suorum ope inclamata percussorem Germanum stricto gladio petit; sed *Biro* Tordæ præfecto Belga superueniente cum aliorum globo, hasta transuerberatur cum XLIII ætatis annum ageret, vtraque fortuna, vel inimicorum iudicio insignis. cædes. Occiso *Michaele*, statim eius tentorium auidè direptum, sparsa fama, quasi repertæ essent inter gazam literæ, quibus occulti fęderis cum Turcis fides fiebat. *Bathoreus* post tantam cladem fugienti vbique similis, per vastas solitudines errabat; frustra sollicitato de reconciliatione *Basta*, qui successum vrgens, & amoto æmulo, totam ferè prouinciam sequenti hieme Cæsaris imperio subiecit.

Secus tamen ad Canisam Fortuna lusit. Expeditioni, quam suadente, & vrgente Pontifice, adornauerat ad Canisam recuperandam, clxx Cæsar, præerat *Ferdinandus* Archidux *Caroli* frater, assumpto vicario *Vincentio* Mantuæ duce. In eam summissa à *Philippo III* Hispaniarum Rege sex milla *Ferdinando Madructo* ductore; à Pontifice XII bellatorum millia, quibus *Francifcus Aldobrandinus* sororis filius præerat. Miserat Cæsar Cardinalem *Dietrestenium* ad *Clementem*, vt eum ab expeditione Canisiana rettaheret, & in Budam Pannoniæ metropolim auxilia mitteret; quò faciliùs per Danubium immitti poterant commeatus. Canisam obsident Austrij. *Turcarum exemplo, ad Metropolim vim dirigendam, qua subacta, facile minora cedunt oppida: non in pauci propugnaculi expeditione consumendum militem, cui etsi prospera fortuna sit; parum proficiat. Canisa in paludibus sita difficile admittere impetum; cum neque cunieulis res geri posset.* Hæc quamuis vera Pontifex non probauit; vel *Ferdinando* illigatus, vel inclinatus, Respondit: *Canisam metropolim esse Archiducalem. Italiæ portam; quæ nisi extorqueretur è manibus infidelium, vicina prouincia in discrimen adducerentur. Expeditionem hanc minimè Cæsarem impedire, quin arma in Budam gereret: imò Turcas diuer-*

Sal. An. 1601. *diuertere*. Eadem repetebat Hispanorum Legatus; vnde commotus est *Rudolphus* Imperator aduersùs Hispanos, à quibus in bello tam pio, & necessario nulla exigere potuerat auxilia.

clxxi *Papa frustra tentat Principes in Turcam mouere.* Ad Canisanam itaque expeditionem excitatus Pontifex, fœdus proposuit inter Principes percutiendum. Cæsarem primò cum sollicitaret; respondit ille, *calcaribus non indigere, qui iam laxatis curreret habenis. Reliquos excitaret Principes spectatores solùmodò communis miseriæ.* Hinc ad Gallum Pontifex se conuertit *Henricum IV.* Is respondit *Catholicum primò moneret, qui etsi Cæsari affinitate iunctus, & odium profiteretur in Turcas, nullum tamen consanguineo, vel Christianæ Reipublicæ tulerat auxilium. Imò vt bella in Gallijs intestina fouerent, montes aureos profudisse Hispani: qui quamuis causa religionis iactarent arma gerere, & ad ciuile restinguendum incendium; ipse tamen cum vtres, & dolia aperiri iussisset Hispana, puluere plena tormentario, & sulphure reperisset. Has modò vt sanaret plagas, intendere. Si conualesceret corpus; maiorum suorum imitatus exempla, se non defuturum vt prò Christi fide sanguinem funderet. Interim militem in Gallijs conscriberet. Maiora non posse, priusquam Hispani, quorum agebatur causa, semitam aperirent.* Veneti & ipsi se excusantes dixerunt; *neminem inter Christianos longiora traxisse cū infidelibus bella. Lacerā adhuc tenere purpurā; & stillare cruorem. Primam omnium Rempub. Turcarum patère incursibus; hinc vt prima non poterat hostem prouocare; neque nouissimam fore, vt cum cæteris discrimen subiret. Sæpius dedisse vela, sed in naufragio sola relicta, iacturam fecisse rerum pretiosarum, quas tenebat, vt barbarum placaret. Præirent Reges, quòd ipsa in ocio minimè marcesceret.*

Solus itaque Cæsar remansit, cuius expensis tres alebantur exercitus. I. in Pannonia Duce *Mercuriano*. II in Transsiluania sub imperio *Bastæ*. III. in Canisam. Vniuersæ copiæ viginti peditum, quatuor equitum mille recensebantur infelici tamē omine ex obitu *Aldobrandini*, febre violenta apud Varadinū sublati. Canisæ præerat *Haßen* purpuratus vir pugnax, & rei militaris valdè gnarus, cui pœna capitis mandatum erat, ne locum dederet.

Incēpta obsidione, omnia fuere aduersa, Cœlum ipsum videbatur pugnare prò Turcis. Venti namque, immensi imbres itinera ita deturparunt, vt nullo modò commeatus in castra importari possent. Impetu sæpè facto, Christiani semper graui damno repulsi: donec bruma instante, milite magna ex parte vel cæso, aut saucio, vel morbo sublato, vltimum decreuere subire discrimen. In XVII Kal. Feb. nouissima decernitur oppugnatio, cum tanta pluuia incubuit, vt conatum differre necesse fuerit. Nocte proxima tam asperum frigus insecutum est, vt plus mille equitum Rusuuormianorum, qui tentoria, & castrensem apparatum secum minimè attulerant, obriguerint, ac miserè gelu perierint. Ita soluta obsidio, dimissis in vicinos pagos confusè copijs. Tormenta in cœno hostium ludibrio relicta. Præsidiarij vltimum agmen carpentes multos cecidere.

Feliciùs ad *Albam Regalem* rem gessit Dux *Mercurianus*. III Non. Sept. cum X bellatorum millibus Albam profectus, cum Turcæ vasta- clxxii *Mercuriani victoria.* uissent, vrbis suburbia communissent, & à fronte vim facere periculosum esset; *Rusuuormium* ad Zigeranum misit suburbium defensoribus vacuum, quod ea parte nil timeretur, vt per paludes viam indagaret. Is cum delectis mille fasciculos singulos gestantibus in vliginosas voragines rusticis ducibus sub noctem intrat, quibus cum magno vitæ periculo vix eluctatus, septem ex socijs tantūmodò amissis, suburbium adoritur, occupat, dato priùs signo, vt eodem tempore *Mercurianus* alia tentaret suburbia. Turcæ inopinato casu territi quò se verterent, nescij, nostris irruentibus, & obuios quosque cædentibus, tandem in oppidum relictis suburbijs concessere. Captæ XIII machinæ, quas statim *Mercurianus* in oppidum vertit. Edita ruina, cum obsessi deditionem facere incitarentur, accepto superbo responso, *Mercurianus* ijs iubet renuntiari, *quod ipse postridie in oppidum cenaturus veniret.* Arrisit fors; nam duobus locis impetu facto, nostri irruperunt, fortiter aduersantibus Turcis, qui domibus tandem inclusis, & templis incendio periere. Præda Belgis cessit, qui nec Germanis socijs pepercere. Regum Pannoniæ ossa effossa, & sacrilega immanitate spoliata. Tum instauratis ruinis, *Mercurianus Richardum Starenbergium* præposuit. In munitionibus suburbiorum cum nostri adhuc hærerent; Buda venere Turcæ numero XXX mille. *Matthias* qui iam in castra venerat, videns ciuitatem seruari non posse, quàm belli inito discrimine, quamuis militem numero longè inferiorem teneret, aleam

subit,

Sal.An. 1601. subit, & vicit. In eo conflictu bis mille Turcæ occubuerunt, in quibus *Muhamedes Kikaia* purpuratus Budensis. Ex nostris CCCC desiderantur. Ne maiora patraret *Mercurianus* Dux de Christiana Republica optimè meritus, mors obstitit inuida, quæ eum Ann. 1602. Norimbergæ oppressit.

OSTENDÆ OBSIDIO. Ann. 1601.

clxxiii Celebratis in Hispania nuptijs *Albertus Austrius*, in Belgium reuersus, eodem tempore, quo ad Rhenum *Mauritius* Berkam, & Meursiã deditione acceperat, à Flandriæ Ordinibus sollicitatus, consilium de *Ostenda* obsidenda toties agitatum, & à Parmensi tanquàm dubij euentus reiectum tentare statuit. Loco præerat *Franciscus Veerus*, & cum eo XXXIV signa militaria; obstinatis ad defensionem oppidanis, quòd eo propugnaculo freti, excursiones quotidiè in Flandriam securè facerent. Difficilis oppugnationis situs erat, cum commeatus prohiberi haud possent, qui nauibus inferebantur; nouis portubus ab obsessis excauatis, quò naues appellerent, & tanto numero confluebant, vt Anno 1602. à VII. Idib. Mar. vndecim dierum spatio plus centum naues intra oppidum acceptæ sint. In quartum vsque annum protracta obsidio est: vt *Albertus* de obsidionis exitu desperans, *Marchioni Spinulæ* imperium exercitus cõmitteret, cuius pecunia, & diligentia tandem pressi obsessi (postquàm nouos recintus, & propugnacula, veteribus amissis, intus extruxissent, nec eis amplius solũ pateret) cũ aggeribus, & vallo extruendo etiam cadauera cum terra solida immiscuissent ex Anglorum Architectorum consilio, vt qui viui virtute sua oppidum tutati erant, etiam mortui superstitum virtutem adiuuarent) deditionem Anno 1604 fecerunt XII. Kal. Octob. *Spinula* clxxiv *honores Spinulæ.* Generalis per Belgium præfecti dignitate ornatus, & summa castrorum præfectura, prætereа & Velleris aurei donatus est, prærogatiua adiuncta, vt inter *Grandes* in aula *Philippi III.* censeretur. Hæc in Belgio; ad Pannonas regrediamur.

SIGISMVNDI BATHOREI DEDITIO. Ann. 1602.

clxxv Incertum erat, quid Turcæ, numeroso collecto milite, molituri essent. Alis purpuratus, qui *Canisæ* præfuerat, & tunc Pestam præsidio tenebat, dum nauigio per Danubiũ deuectus, *Assani* purpurato obuiat, ab Heiducis interceptus, qui *Comoræ* erant, exposuit, *Sultanum eo anno minimè venturum in Pannoniam*; Assanũ *missum, qui cum Albam Regalem reciperet, Strigonium expugnaret: Tartaros iussos quadraginta mille incursionibus irrumpere*. Re ad *Matthiam* delata, Budam petendam censuit, antequàm maiores numero copiæ conuenirent. Eò *Buda obsessa.* *Resuormius* cum XX mille peditum, & V mille equitum ducit; ductoque vallo cum in vrbe confusa omnia videret, ad partem inferiorem vim facit, capit, Turcis in superiorem se recipientibus. Ponte Pestam vrbe Turcæ coniunxerant, cuius beneficio hinc inde commeabant. Hunc igne nostri abrumpunt, eodemque tempore scalis admotis, Pestam aggrediuntur, expugnant. Supererat vrbs in altera fluuij ripa, ad quam sine cunctatione ponte instaurato oppugnatio decernitur. Auxiliares Turcæ *Pesta capta à Christianis.* spe citius apparuerunt, & *Colnitium* cum turma valida equitum præmissum, qui velitationibus hostem distineret, incumbentes maiore numero fundunt, ita vt *Rusuormiani*, qui ad Pestam sedebant, euentum expectantes, penè à suis sint dissipati. Miles itaque ab obsessis repulsus, à certamine discessit, statimque re desperata, tormenta in castra deducta, & Pestæ nouus miles impositus. Turcæ vero Buda commeatu, & recenti firmata milite, huc illuc discurrebant. *Resuormius* proditionis suspectus Pragæ capite pœnam luit; quia ære Turcico corruptus, viam aperuisset venienti.

clxxvi Meliore successu *Basta* rem vrgebat in Dacia, Superiore anno cum *Bathoreum* insigni clade adfecisset, Bistriciam mouit, vbi nobilitas à Germanis aliena, & opulentior preciosa sua congesserat. Quo verò terrore iniecto citra periculum ad deditionem compelleret, publica denuntiatione diem oppugnationi dicit, vrbis præda militi oblata. Itaque prædæ auidus cum ad vim faciendam se pararet miles, oppidani *Bistriciã Basta capit.* per fecialem æquis conditionibus deditionem paciscuntur. *Basta* veritus, ne ex desperatione obsessi vltimum tentarent discrimen, vrbem ea conditione in fidem accepit, vt prò multa triginta millia talerorum soluerent; libertate oppi-

Sal. An. 1601. opidanis data, vt salua vita, cum bonis secederent si vellent. Quibus transactis, tercenti circiter vrbe exeunt cum XC curribus, in quibus fœminas, liberos cum pretiosa suppellectile imposuerant. *Basta* vrbem ingressus, sacro maiorum ritu celebrato, vrbem primò expiauit: inde seuerè cauit, ne quis pacta violaret. Insigni tamen perfidia à milite illusi tercenti in seruitutem abducti, bonisque spoliati. Quod execratus *Ciculorum* dux *Moyses* communicato cum Turcis consilio, protinùs instructo milite, Maurisum se recepit, tandem prælio iuxta Albam Iuliam commisso, victus in Montana aufugit, ter mille suorum desideratis.

clxxvii *Sigismūdi deditio.* Bathoreus omni spe destitutus, cum se inscio, Moysis machinamenta inita diceret, vltrò ad *Bastam* supplex venit, & in Cæsaris potestate se futurum obtulit; cum eoque victoream quàm captiuus Albam Iuliam ingredi, & in triumphum duci pertulit, summique postremò beneficij loco meruit, vt inter Bohemici regni *Barones* speciali priuilegio allegeretur, qui paulò ante Cæsaris adfinitate subnixus, & militari fortuna tumidus, Turcis, totique Orienti timorem iactabat incutere: modò inglorius, & vilis accepto annuali viatico segnis, & humilis consenescit.

Moritur hoc anno *Elisabetha* Anglorum Regina alti, & virilis ingenij fœmina; Catholicæ fidei hostis infensissima. Fortunam cum semper habuisset amicam, supra vires sapere visa est.

Magni hoc tempore motus Turcicum quassassent imperium, si Christiani otio torpentes, & positis inter se dissidijs, manum dedissent. Persæ Taurisium deditione acceperant; Equites Melitenses in Græcia non paruum damnum Turcis intulerant. *Mahometes II Sultanus* febre pestilenti correptus inter concubinarum greges decesserat. Tanti imperij hæredem impuberem filium reliquerat non minùs, quàm voluptatis. Turcarum vbique turbatis arcanis ob rebellium incursiones, qui per Asiam grassabantur.

clxxviii *Bastæ victoria.* In Dacia *Moyses* ex strage superioris anni collectis viribus, cum circa Albam Iuliam castra metatus esset, præsidiarij ignauia potiùs, quàm perfidia vrbem tradiderunt. Accurrit *Basta* coniunctis cum *Rudolfo* Vaiuoda Valachiæ copijs, commissoque prælio insignem de *Moyse* reportauit victoriam. Capta CXXVIII signa Pragam ad Cæsarem fuere transmissa in quibus duo cum candidis aquilis, quæ Regni Polonici insignia sunt, quæ ne iniuria tanto Regi fieret, cautè fuerunt suppressa.

Parabantur interim in Germania subsidia: ob id celebrantur Ratisbonæ comitia, quibus frequentes interfuere Principes, & certatim à sacro Ordine oblata auxilia non sine Protestantium inuidia calumniantium, *præsules eò proniores, & in promittendo largiores esse, quòd ex ea occasione populos suos grauare consueuerint, & maius capere emolumentum, quàm damnum in contributionibus paterentur. Nam parum de posteritate, & successore solliciti subditos excoriarent; quòd laicis periculosum erat, quippe nè hæreditarijs populis onerosi existant, parciùs faciunt.* clxxix *Comitia Ratisbonæ.*

Promissa itaque LXXX mensium stipendia, quod hucusquè factum non fuerat. *Brunsuicus* copias peculiares, & *Saxo Christianus II* Septemuir tormenta instructa cum omni apparatu Cæsari peculiari sumptu obtulerunt. Tormenta Saxonis sequenti signata erat inscriptione. *Time Deum, honora Cæsarem* erga quem summum obsequium semper professus est ille Princeps. Hæc in Germania; dum in Anglia mortua Regina *Elisabetha, Iacobum* Scotorum Regem vnitis calculis totius Angliæ Ordines in Regem elegerunt. Prima comitia celebrauit Londini An. Sal. 1604. XIV Kal. Apr. Vbi post longam disceptationem abolitis *Anglorum*, & *Scotorum* nominibus, vetus *Britanniæ* nomen in vsum reuocauit; & regnorum vnionem vnius nominis appellatione sanciuit. Cusi in eam rem nummi aurei, & argentei cum inscriptionibus. *Quæ Deus coniunxit, nemo separet. Tuetur vnita Deus.* Alij cum hac inscriptione, *Faciam eos in gentem vnam.* Aliud etiam nummi aurei genus, quod hæc verba celata habet. *Henricus Rosas. Regna Iacobus.* Factum deinde decretum de Ecclesiasticis tota Britannia expellendis, quorum alij per regnum sparsi, alij qui carcere attinebantur, nauibus impositi, aliò migrare iussi: quod seuerè admodum peractum. Neque prius Rex, & Regina Londinum solemni pompa ingredi voluerunt, quàm edicto plenè executioni mandato. clxxx *Iacobus Rex Scotiæ, & Angliæ.* clxxxi

Maiora in Dacia & Pannonia ob causam religionis dissidia. *Georgius Basta* quasi omni intestini belli cura solutus, ad domestica curanda

Sal. An. 1604. da animum appulerat;cuiuscumque religionis, præter Romanam,vsu interdicto. Persæ cum noui principis atque pueri occasione securi, post Taurisium receptum, vsque ad Euphratem progressi,Bagadetum ipsum occupauerant. Nihilominùs expectabatur in dies pri-
clxxxii marius purpuratus, qui cum Prætorianorum decem millibus, ingentique exercitu in Pannoniam descendere dicebatur, in mandatis habens, vt ante omnia Pœstam caperet, & Budam ab ea parte liberaret. Laborem hunc leuauit nostrorum ignauia. *Iaugereterus* Pestæ præerat,qui Tartatorum illac suo more excurrentium territus aduentu, ad vasa conclamat. Monitisque singulis ducibus, & periculo proposito cum V militum signis, & VI equitum turmis,præterea tercentis impletis farina vasis, *Pesta amissa* Pesta egreditur, III Non. Septembr. relictis tormentis cum bellico apparatu, tantum ædificijs aliquot vastatis: vix milliare progressus, quingentos Heiducos obuios habet, qui commeatu onusti subsidio veniebãt; sed cũ cognouisset Pestã desertã retrocessère.Turcæ Budenses ad restinguendum accurrentes incendium, ne contra inducias, quas pacti erant cum Strigoniensibus,aliquid fecisse viderentur, factum excusarunt, quòd desertus locus tam vicinus metu nè ab alijs occuparetur, vel neglectus conflagraret,non potuisse, non imponere præsidium. Purpuratus interea ad Strigonium castra metatus, cæpit acriter muros tormentis
Strigonium à Turcis obsessum. verberare. Cœsar reuocatum ex Transsiluania *Bastam* copijs præfecit Hungaricis;ei in Transsiluania substituto *Iacobo Barbiano Belli-loci Comite* Cassouiæ præfecto. Venit *Basta* quamuis iusto destitutus exercitu, vt cum Turcis aleam subiret, frequenti tamen velitatione adeò fatigauit hostem, vt obsidionem soluere cogeretur. Secedente Turca; *Belli-Iocensis* comes importuno turbarum tempore, Protestantibus cathedralem Ecclesiam interdixerat, admotis bellicis ad Ecclesiam tormentis,quorum terrore Protestantium conuentus disperderet. Et cum *Georgius Saba* ciuis in vrbe locuples non pareret, decem talerorum millibus seuerè multauit: tres è nobilitate primates intra semidiruti cœnobij rudeta fame necauit. Postremò
clxxxiii *Stephani Bostkaij defectio.* cum & *Stephano Bostkaio* viro inter Hungaros primario, & cum *Sigismundo Bathoreo* cognatione iuncto grandem imperasset pecuniam; recusãti oppida ademisset; is minimè iniuriam ferendam ratus (quod & ab *Andrea II* Hungarorum Rege An.Sal. 1222. cautum in comitijs esset;*vt si quis Regibus contra iura regia,& priuilegia, ac libertates aliquid tentantibus resisteret,id ipsi fraudi,& infamiæ non esset*)Heiducorum sex millibus collectis, Cœsarianorum bona inuadit, eaque *Belli-Iocensis* exemplo militi in prædam distribuit. Is Cassouiæ vxore, ac liberis relictis, contra *Bostkaium* mouet; Adoriam veniens, ex Romosa euocauit sex peditum signa cum selecto Quadorum equitatu. Aderat etiam Tamberensis comes cum suis *Heiducis*, qui in occulto ob religionis causam cum *Bostkaio* sentiebat; vnde cum ad manus ventum est, ad hostem transfugère. Cruenta *victoria.* fuit pugna;sed penes *Bostkaium* victoria. *Belli-Iocensis* comes Varadinum confugit. *Bostkaius* tanquàm victor campum non deseruit, sed in eo pernoctauit. Cassouiæ ciues, cognita victoria, vrbem occuparunt, Cœsarianis eiectis.*Basta* periculum minimè negligens,Cassouiæ copias admouet, priùs Zatvvaria arce tentata, quam *Heiduci* tenebant, per ludibrium respondentes:*se ad deditionem paratos,si ante Cassouiam, vnde Belli-Iocensis deiectus fuerat vi cæpisset*. Basta cum stipendij defectu militem minùs obsequentem haberet recessit. *Heiduci* verò longè,lateque se effundentes,Dragelam,Palancam,Hagibanam,Copenum,Sacmariam, Dubinium occuparunt, mutuis cladibus cum Cœsarianis sese petentes.

Bostkaius cum se veluti rebellem à Cœsare clxxxiv proscriptum sciret, legatos mittit, qui factum summa necessitate excusantes, nihil in rebus humanis religione, & libertate pretiosius esse; prò ea non in Cœsarem protestabatur arma sumpsisse. Verum cum hæc in speciem declamaret,consilia cum Turcis agitauit, vsurpatis sibi *comitis Kismariensis, & superioris Hungariæ dynastæ,ac Siculorum comitis titulis*; monetàque auream, & argenteam cum his nominibus percussit; Turcæ tantam discordiam in Christianorum perniciem non deferendam rati,purpuratũ miserunt, qui *Sultani* nomine, aurea corona,quæ *Vladislai* olim Regis fuerat, & hactenùs post Budã captam in Turcorũ potestatẽ venerat,redimiuit:Solutis etiã centũ aureorum millibus,vt in militum stipendia distribueret.Salutatus à Turcis *Hungarorũ* Rex *Bostkaius*,barbaras videbatur abhorrere blanditias; quòd eum non lateret, aliquandò cum capite Turcas repetituros diadema:hinc Principis titulo contentus,reliquos titulos deposuit.

Moneta.
cum Turcis conuenit.
clxxxv *Rex dictus à Turcis.*

Sal. An. 1605. Interim quia rerum omnium penuria castra Cæsaris laborabant; aduersùs hiemis asperitatem, triginta plaustra panno onusta cum pecunia Vienna transmissa, ducibus *Solmensi* Comite, & præfecto *Starembergico*, ac mille & quingentis Haiducis, quos *Tanhusanus* adduxerat, vt Heiducis se opponerent excurrentibus, ad *Bastam* ferebātur, cum in siluam altero à Villeka milliari dissitam appulissent, ipsi hostili animo duces inuadunt, & Solmensem equo deturbant, cæteros in fugam coniiciunt, inde *Bostkaij* castra concedunt, frustra eos *Tanhusano* insequente, & datam fidem repo-scente. Hussari summo gaudio à *Bostkaio* accepti, & pecunia inter ipsos, ac militem distributa summam vbique excitauit alacritatem. Id prudenter à *Basta* celatum, ne militem tumultuantem ad defectionem adduceret; missis properè Leutsam, qui pannum ad militem seminudum vestiendum, & pecuniam collybo curarent. Inter tot turbas, fames horrenda deseuijt: vt omnibus consumptis, postremò humana corpora deuorarent: Mater, pietate exuta filios, filij matrem dilaniabant: Suspendiosos è patibulis detrahere, & ijs prò cibo vti miseris tolerabile videretur.

DE PACE CÆSAR FRUSTRA TENTAT HOLLANDOS. Ann. 1605.

clxxxvi Pace inter Hispanos & Britannos composita, tractabiliores cum Hollandos *Rudolphus* crederet, nomine sui, & Principum imperij ad pacem solicitabat; partim vt *Alberto* fratri gratificaretur; & quòd turbatis in Belgio rebus Hispani minimè possent in Turcas occurrere. Summa petitionis erat, *vt ipsi ab imperij limine militem abstinerent. Conuentui, in quo de componendis Belgij motibus ageretur, diem, locum condicerent, eoque mitterent delegatos.* Ordines verò gratijs actis, se excusant, *quia dignitas non pateretur Imperij, vt à publicæ pacis hostibus eluderentur innocui; & per insidiosa consilia, bona sua, & vita Hispana pateret rapacitati. Non eos Hispanam latere sententiam, rectam haud fore Mundi administrationem, nisi duæ potestates cæteris euersis, constituantur, spiritualis, & ciuilis, Papa, & Hispanus. Iam in Hispania ab Inquisitoribus in inauditos & indefensos latam excidij sententiam, permitteret Cæsar, vt Leo Batauus viribus suis effugeret, & suam propugnaret libertatem; ne tu Deum, & pauperes vnà cum Hispanis conspirate Cæsarea diceretur Maiestas.*

clxxxvii Aquisgranimstus. Hisce motibus totus iam cum inhæreret Orbis, occulto cum Hollandis Aquisgranenses Protestantes inito fœdere, ante annos XXIV tumultum excitauerant perniciosum. Re vtcumque composita, cum iterum turbas excitassent, & in Catholicos, eiectis Consulibus, imperium sumerent, mandauit Cæsar Anno Sal. 1598. *vt Consules pristinæ restituerentur dignitati, nihilque innouaretur, si quid querimoniæ haberent, Cæsarem adirent.* Vigore huius decreti, Coloniensis, & Treuirensis Præsules, cum Cliuiæ Duce (quos priùs Cæsar delegauerat) sententiam tulere, qua *antiquus Senatus restitutus est*: abdicante se nouo Magistratu, addita clausula, *vt de damnis & sumptibus præteritis rei satisfacerent, delegatorum arbitrio.* Sententiæ executio, per absentiam delegatorum, maiora suscitauit discrimina. Rei ab vrbe excedere iussi, donec iudicatum soluissent. Sed semper noua comperendinatione procrastinantibus, Nouus Senatus vocauit *Cliuensis* ducis in vrbe præsidium, & quinquaginta Talerorum in singulos dies reis multam imposuit. Porrò cum plures impares soluendo essent; vel dolosè nolent, ad Cæsarem spe moderationis impetrandæ miserunt, sed frustra; cum *Cliuensis*, cui multum debebatur, ne contumacibus gratia fieret, impediret. Hinc in *Cliuensem* odium, cuius insimulatione clamabant infracta vbis primariæ in Imperio priuilegia, cudendæ aureæ monetæ prærogatiua, quam Iur. Consulti non immeritò *principale supremi dominij sigillum* appellant: Hinc adueniente *Francisco Lotharingo Valdemontio* fratre *Antoniæ*, quæ *Cliuensi* nupserat, cũ vellet hęc ad vrbem accedere vt sanctas inuiseret reliquias; & Senatus libenter annuisset; qui in vrbe sibi à *Cliuensi* metuebant, præmissos equites admittere noluerunt, imo portam venientibus clauserunt. Cum clxxxviii verò *Cliuiæ Dux* id iuris sibi ex antiquo more iura Cliuiæ Ducis in ciuitate Aquisg. arrogaret, *vt exteros principes, præsidij causa ad portam vrbis, & per ipsam vrbem deducat.* Qui repugnabant, ea ratione nitebantur, quòd in *Caroli V* inauguratione cum *Cliuiæ Dux* hoc iure vti vellet, *Fuldæ præsul* intercesserit, & post longam disceptationem à Cæsare sit pronunciatum, *Cliuensi cum suis ad repagulum vsquè portæ præcedere liceret*; quo facto sui aliò deflecterent, tuncque *Fuldensis agmen in vrbem introduceret.* Porrò interdictum, ne quis monetam

Sal. An. 1605. tam auream, vel argenteam acciperet, vel erogaret causam ab Aquensi Magistratu ; eo modo *clxxxix Moneta Aquisgrani.* sunt interpretati , vt abdicato *Magistratui* id vetitum esset ; eoque magis , quod antiquas inscriptiones mutassent,& prò *Moneta noua Regia vrbis Aquensis*,quæ antiqua erat inscriptio, *Libera* dixissent,non *Regia*; voce *Libera* omnimodè interdicta .

PAX INTER CÆSAREM ET TVRCAS.

MArte parum felici cum res Christiana in Pannonijs gereretur ; non minori cura angebantur Turcæ ob rem in Persis malè gestam. *cxc Turcæ à Persis cæsi.* *Cicadam* miserant purpuratum , *Cicadæ* piratæ filium,qui pro homine Deum abiurauerat.Is primo aduentu à Persis fugatus;cum nouas è Cilicia expectaret copias , continuò Rex Persarum cum suis progressus , *Cicadam* noua clade oppresserat ereptis tormentis ; vixquè fuga cum tercentis *Cicada* periculum euaserat , Adenam perfugiens ; Persa insequente & premente obsidione . Trapezuntij verò cum noua Turcæ imisissent auxilia , quibus oppido clam ægressus *Cicada* se iunxerat ; Persa re cognita, relicto ad obsidionem milite , vltrò obuiam cum exercitus robore profectus , Trapezuntium nondùm acie instructa, sed confusione militum trepidantem,impetu facto disturbat , & insignem de hoste geminat victoriam. *Cicada* vix scapha elapso ; statim Persa ad vrbem reuolat, & post acrem oppugnationem , expugnat. Hæc Byzantium perlata vrbem trepidatione impleuerant . Diu , noctuque purpurati conuenientes , cum *Cicada* , quem substituerent , deesset , ipse tantis periculis se imparem diceret ; de pace cum *Rudolpho* consilia inierunt . *Murati* copiarum per Pannoniam præfecto mandantes , *Bostkaio* in arcanis aperire discrimen , vt ad pacem inclinaret , quam tamen non Turcarum instinctu , sed metu , vel motu suo eam quærere videretur.*Bostkaius* ea fide , atque ardore negotium suscepit ; vt non tam fæderati,quàm Mahumethani partes impleuerit . Persa victoria ferè abutens,repetitis excursionibus parum profecit , cum Damascum vsquè potuisset proferre triumphos .

Mehemetus purpuratus , qui Strigonium iam Christianis dediderat , vindictæ cupidus , Belgradi collecto milite , Strigonium repetit . Impressio prima facta est in montem S. Thomæ, quo cum octingentorum Christianorum clade occupato (inter quos fuit *Octingensis* comes) inde cuniculis rem agere cæperunt : directis eodem tempore contra oppidum , & Flumentanam arcem XXX circiter tormentis, ne sui in opere turbarentur , præsidiarij tandem *Strigonium à Turcis deditum.* ad extrema redacti , *Dampetram* comitem , qui arcem tenebat , seditiosè circumsistunt , & deditionis capita ab eis exarata offerunt,vt subscribat . Lacerauit ipse schedulam & officij pudore iniecto , à tam probroso consilio conabatur retrahere ; Ipsi verò vincto catenis præside, præfectum Budensem in vrbem acceperunt , cum quo deditionem pacti , & ab eo ad stipendium Sultani inuitati, vel pænæ timore,vel spe præmij illecti,ad ducentos, tesseram Turcicam recepere . Reliqui vita salua dimissi omni humanitate cum ægris se receperũt in tutũ. Mille præsidiarij post longam obsidionem adhuc in vrbe erant cum copioso commeatu & LXX machinis , quarum maxima iactura æstimata est. Sic post decennium Turcæ recepere Strigonium . Hæc Turcarum humanitas, barbaræ insolita nationi , pacis argumentum erat,quam ipsi flagrabant .

Tantam victoriam volebant plaudere , & encennijs agere Turcæ ; noua tamen afflicti clade non potuere *Nasuf* purpuratum debellauerant Asiæ rebelles vnà & *Chusainum* Aleppo præfectum.In Persis fame,peste,ferro debellatis Turcis,victor excurrebat hostis. *Turcarũ discrimina.* Ad Danubium incensis Moncastro , & Bendera , regionem Haiduci late populabantur.Vndique conflictatus Sultanus *Feratem* substituerat *Cicadæ* , sed ære deficiente , militem desiderabat . ProRex iustitiæ spetie spoliauit Hebræos , qui publica conduxerant, quasi fraudassent, vectigalia . *Ioannes Polachus*,cui in oculto dicebatur adhærère Præfectus Babylonis superiorem non agnoscebat . Nunquàm Otthomanorum imperium tantis laborauerat angustijs . Rebelles,Persæ, Germani vndique lacerabant . Quidam ex purpuratis lacrymabundus Veneto Oratori iurauit ; *consistere non potuiße , ni ex hostibus saltem vnus pacem dedisset* .

Comorra itaque ad pacem ineundam selecta. *Matthiam* aliqui *Rudolphi* fratrem auctorem faciunt , qui Cæsare inscio , & procrastinante,amplissima vsus, quam tenebat,Vicaria potestate , suos delegauerit qui cum *Bostkainis* *Pax cum Bostkaio.* in hæc concesserunt . Ante omnia *decretum de* re-

Sal. An. 1606. *ligione ante biennium extra diætam factum reuocatur; & libera professio cunctis regni Ordinibus permittitur, absque tamen præiudicio Catholicæ Romanæ religionis, ita ut Sacer ordo sua templa integra & intacta retineant, & si quæ turbarum tempore occupata fuerint, sine mora restituantur. Pax cum Turcis quàm æquissimis conditionibus fiat. Palatinus iuxta statuta per Regis absentiam, ordinum electione constituatur, qui ius inter partes dicat, neque necesse sit, magno regnicolarum damno ius à Cæsare in aulico tribunali ius petere. Interea qui à Cæsare constitutus, maneat, libera electione in posterum sancita; Corona cum per tempora pacatiora licebit, Cæsaris venia, Posonium transferatur. Quæstores Cæsaris vltra vectigalium, quæ ad fiscum Cæsaris pertinent, administrationem non habeant. Libera nominandi Episcopos potestas Cæsari relinquatur, addita clausula, ne qui Episcopales ecclesias eius beneficio habuerunt, in Consilio admittantur. Cæsar ad dignitates Episcopales, nobiles, & non extraneos, sed è regno promoueat. Iesuitæ bona immobilia in regno non possideant. Regum donationes iuxta decreta regni & more solito fiant. Præfectura Hungariæ, & ei annexæ prouinciæ Sclauonia, Croatia, Dalmatia per Hungaros administrentur; eæque à Rege nullo religionis discrimine distribuantur benè meritis. In Trans Danubianis duas arbitrio suo externis conferre possit. Nouæ constitutiones factæ durante dissidio in proximis comitijs ad constitutiones annorum 1550. & 1555. & 1563. exigantur. Querelæ fisci de nouo cognoscantur. Hæredibus familiæ Balassa Fiscus quoad immobilia successionem ne impediat. Donationes à Bostkaio factæ urgente belli necessitate, retractentur. Ab eo oppignorata penès possessores maneant, donec per Ordines aliter decernatur. In posterum huiusmodi concessiones nè fiant. Priuilegia nobilitatis à Bostkaio concessa iterum examinentur. Bona extraneis, & arces attributas, ex bona Cæsaris venia, Hungaris luere liceat.*

Bostkaio Transsiluania cum arcibus annexis, Agneusibus decimis, cum titulis omnibus, qui Sigismundo Bathoreo fuerant concessi, iure cedat hæreditario, & liberis eius masculinis. Quod si linea masculina eius deficiat; cuncta ei concessa ad Regem legitimum Hungariæ deuoluantur, ita ut nullus consanguineus, vel affinis ius illud sibi vindicare possit. Si filiam relinquat, iure quartæ, de qua cum Cæsare conueniet, contenta sit. Omnibus qui Cæsari fidem seruarunt, & propterea in Dacia proscripti sunt, bona restituantur. Corona à Turcis Bostkaio donata nullum dignitati, & iuribus Hungarici Regni faciat præiudicium. Generalis Amnestia ab Anno 1604. publicetur. Ita ut nulla à quoquo iudice possit fieri persecutio.

His actis, Hungari minimè generali religionis nomine contenti, assentiri noluerunt, quin speciatim Pontificiæ, Lutheranæ, & Caluinianæ mentio fieret. Cœsari supra modum operosa cum esset pax; & Cœsareæ indecorum duceret Maiestati, ad normam rebellium pacem non dare, sed accipere. Priusquàm subscriberet, in consilium vocauit *Bastam*, cuius fidei, atque virtuti *Rudolphus* plurimum tribuebat, quamuis apud aulicos ille magna laboraret inuidia. Sententia *Bastæ* hæc fuit.

Inuictissime Cæsar, Christi Religio, & Mahumethana superstitio contraria sunt elementa: nec appropiant, nisi ad prælium. Callidus hostis, quia à Germanis fortiter Christi causam videt sustineri, inducias exhibet. Vtile credo instare victoriæ; Timidum modò, habebis tumidum hostem si victor cedas, & tempori indulgeas. Arridentem spernere fortunam nimis periculosum est, & aduersam prouocare. Pacem habebis sed infidam, usquè dum vires redimat, & securus insurgat. Marte non abutamur felici; nec speciosum decipiat pacis nomen. Ita *Basta* sed inuidia non auditus, in has est conditiones transactum.

Vtraque pars limine constituto, loca sua munire, instaurare, noua extruere possit. In legationibus, conuentibus, actis, Imper. Rom. à Constantinopolitano pater, *& hic vicissim ab eo* filius *cognominetur.*

Imperatoris titulus, Regis, quod antea vsurpabatur, abolito nomine, vtrinque deinceps tribuatur. Tartari hoc fœdere comprehendantur, nec tempore pacis Christianos infestent. Pax in XV annos fida esto. Hac tota domus comprehendatur Austriaca. Si Rex Hispaniarum conuenire velit cum Turcis facultatem habeat. Captiui hinc inde dimittantur. Capta vtrinquè pacificè possideantur. Mercatoribus, & vtrinque commeantibus præfecti literas præstent securitatis. Cum reliquis, quæ solent apponi fœderibus. Paulò post *Bostkaius* morbo oppressus, breuem finiuit principatum, anno ætatis LI. Proceres Claudiopoli conuenientes, *Sigismundum Ragoziũ*, Ducem eligunt, misso ad Cœsarem nuntio; per hanc electionem minimè obuiam iri iuri Cœ- Ann. 1607.

fa-

Sal. An. 1607. ſareo, ſed ne ſeditioſi nouas turbas excitarent, cũ iterũ Haiduci, freti vicino Turcarum auxilio, qui occultè eis ſuminiſtrabant ſtipendia, ad turbas rediјſſent.

cxcii Circa idem tempus Archidux *Albertus* belli tædio, quia graſsatores viarum, pytatæ prædas agerent, inde milites ærarium exhaurirent; aliunde Batàui terra, marique graſsarentur, pacis rationes cum Batauis toties tentatas, nunquàm concluſas ſeriùs renouauit: literis ad
cxciii Ordines fœderatos ſcriptis, *Batauos liberos* pronuntiat, & ſe cum illis non vt cum ſubditis, ſed vt cum liberis, & immunibus populis æquo iure agere velle, oſtendens. Batàui Archiducis humanitate victi, in oblatas octo menſium conſensère inducias. *Philippo III* Hiſpaniarum Rege ratum habente quidquid Archidux iureiurando firmauerat. Hoc tamen in ſpeciem potiùs, & vt vires colligeret; quàm vt populos ſibi ſubditos, & impiè à Deo, & Rege recedentes, liberos aſſereret. Huius rei ſignum fuere literæ *Philippi* datæ in charta papyracea, eaque forma, qua inter ſubditos vti ſolebat, ſubſignatæ, *Ego Rex*, & minuſculo ſigillo obſignatæ, quibus ſe rata habere declarabat, quæcumque ab Archiducibus tranſacta eſſent.

Pax inter Hiſpanos & Batauos.

EXPEDITIO DONAVERDANA. Ann. 1607.

cxciv OMnia cum crederentur pacata, ad *Donauerdam* nouos excitat motus Religionis diſcordia. Sita eſt Donauerda in Vindeliciæ (quam hodie Sueuiam dicunt) finibus, libertatis prærogatiua (vt fertur) ab *Henrico IV* Imperatore donata. Quamuis in eum Bauari Duces iura principatus prætendant. Anno 1546. cum coniuratorum armis ceſſiſſet, Auguſtana confeſſio in eam inuecta fuit, direpto S. Crucis monaſterio, iuſſis religioſis audire Lutheranos præcones. *Smalchaldicis* verò à *Carolo V* ſuperatis; iterum Romanæ religioni ciuitas eſt reſtituta: Quod vſque in annum 1552. quo tempore in armis erant Proteſtantes, quorum gladio iterum fides exturbata Catholica; poſtea Cœſareo edicto reſtituta; ſic alternante fortuna ad Annum 1505. cum ciuium Magiſtratum regerent ferè omnes de plebe; Præſul S. Crucis, more vſuque recepto, ſacris vexillis ante ſupplicantium agmen explicatis, per oppidum è monaſterio ſuo eduxit longam comprecantium ſeriem. In reditu erant, cum Senatus emiſſarij obuiam facti, diſiecto vexillario, Abbatem in cœnobium reijciunt. Inſuper vſum tedarum, ſacerdotalis ſtolæ in Catholicorum iuſtis parentalibus adhiberi ſolitæ; pueros catholico more luſtrare prohibent; cum alijs quæ Lutherana factio innouare ſolet. Querentibus Catholicis, mandauit Cœſar eos in integrum reſtitui: Donauerdani ad aulicum Cœſaris appellarunt Senatum, interim ſe morem geſturos mandato Cœſareo profeſſi. Hac fide ſecuri Catholici, cum II Kal. Maias ſolemnis ſupplicatio pro veteri more habenda eſſet; Senatus minimè Cœſaris expectato decreto, ſupplicationem prohibet extra muros celebrari monaſterij. Præſul nihil de priſca conſuetudine mutari poſſe, reſpondens; ſolito die cum labaro, Cruce præalta, Symphoniacis, & toto collegio in viam ſe dat. Interim à paſtoribus Lutheranis cõcitata plebe arreptis haſtilibus, bidẽtibus, Catholicos inuadunt labara diſcerpunt, confracta crucis imagine; mox grandinante lapide in Eccleſiam Antiſtes reijcitur. Inde querela ad Cameram delata, *Rudolphus* Cœſar *Maximiliano* principi Bauarico mandat, vt de re inquirat; Is delegatos confeſtim miſit. Sed cum cachinnis recepti; & in compitis viarum tabella affixa, qua proteſtabantur, *libertati ſuæ, & iuribus per vim Antiſtitis nullum fieri præiudicium.* Ea tabella plebem vniuerſam, & ad motum iam excitatam, vt cum Cœſaris reſcripta prælegeret, auditæ fuerit ſubſannantium voces, *eiuſmodi codicillos viginti ſeſtertijs emi poſſe.* Dicebant alij, *ne res publica aliquid detrimenti capiat, opus eſſe ciuium omnium arctiore quàm alias conſpiratione:* Cum dicto factum. In delegatos ſumptis armis, iuſſerunt ciuitate ſecedere. Hinc noui ad Cœſarem queſtus. Ipſe verò renouato proſcriptionis mandato, Gulielmo Bauariæ Duci executionem mandat. Tum Magiſtratus, qui in occulto plebi fauebat ſera pænitentia ductus, Antiſtitem conuenit, & Vrbani ſigilli auctoritate firmato diplomate fidem obligat, integram illi fore non ſolùm in vrbe ſupplicationem, ſed omnia ad catholicam religionem pertinentia. Inſuper damna omnia illata ſarcire: auctores inquiſitionis tradere. Hæc omnia tamen in ſpetiem, re vera vt promiſſis cauſam protraherent, donec Proteſtantium aduenirent ſuppetiæ. Terque itaq. quaterque moniti, cum perendinationibus viderentur Cœſaris decreta eludere. Bauarus militem luſtrat, & X peditum mille, cum equitibus ſeptin-

Maximil. Bauarus monet in donauerdanos.

cxcv *Legati Cæſarei ludibrio habiti.*

Sal. An. 1607. septingentis Donauerdam ducit bruma iam adulta. Castris ad Donauerdam positis, postulata deditione, dispositis circum tormentis, cœpere oppidani metu expugnationis mitiora cogitare consilia. Petiere inducias; quas negauit Bauarus timore ne lateret fraus, spesue auxilij futuri. Populus interea doctus sapere tristi expectatione, & insperato euentu, bellum, bellique oderat auctores; proinde vrgebat illico mitti pacis interpretes. Senatus non minùs extra muros militem, quàm intra furentem timens populum, misit, qui pacis conditiones acciperent. *Datæ sunt, vt se se Maximiliani arbitrio permitterent, arma mox ponerent, præsidium admitterent.* Patuit illicò Ciuitas, oblatis *Maximiliano* clauibus. Vrbem ingressus, ciuium arma ad se ferri iubet. Maius vrbis templum catholicis restituit; nulla vis religioni illata: sed sui cuique ritus, & relicta professio. Liberum Protestantibus in viciniam excurrere, & suos audire declamatores. Creauit nouos Consules, & Magistratus qui iura populis, & mercatoribus dicerent ex pondere, & mensura Bauarica, omni alio vsu interdicto. Hoc facto milites dimissi.

Dum hæc agerentur, Sueuici circuli Principes & Vrbes Vlmam conueniunt, *Dux VVirtembergicus, & Oetingensis Comes*, aliique Vrbium Imperialium delegati. Continuoque eò Cœsar mittit, grauiter monens, *ne quid in eo conuentu contra mandatum suum decerneretur, quod Donauerdenses in contumacia confirmaret.* Ad hæc illi, *nunquàm* se de mandato Cœsareo violando cogitasse: tantum violentiam deprecari; ne nocentes cum innocentibus inuoluantur; & vrbs à Circulo Sueuico auellatur. Inter has contentiones de vrbe capta nuncius venit, qui conuentui finem imposuit. Ad proxima comitia Ratisbonæ remisso negotio, in quibus Donauerdani actionem instituere possent: Quod sæpius tentatum, sed semper delusum.

CCXVII *Obsidio Brunsuicensis.* Non dissimile Donauerdano fuit Brunsuicensium dissidium. *Anhaltinus* Dux Brunsuicensis sectæ Caluinianæ fautor Brunsuicam vrbem adortus, quæ inter liberas ciuitates numerabatur imperij, spetie exercendi rusticos ad belli munera, postea nobilitatem arcessit; ab Hispano metum, & insidias obtendens; exeunte Septembri per tubicinem oppidanis acceptum, & excubitoribus intimum, tria plaustra militibus sub fœno latentibus referta intra portas immittit; Tubicine stationarios ludicra narratione fallente, armati desiliunt, excubitores obtruncant, portas præsidio firmant, in muros tormenta occupant, in oppidanos explodunt; aduolant subsessores, pilas ignitas iaculantur in tecta; Dux ipse suis adest, recentes in fessorum locum submittit. Ex aduerso oppidani primùm metu exanimes, mox arreptis sarissis comminùs certant, fœminæ incendium saccis madidis, & boum exuuijs restinguunt: Cumq; ingruente hoste, recederent, puer non duodecenni maior sclopeto explosso vnum, & alterum deijcit. Huius exemplo excitati duo manuarij opifices, suffosis mœnibus sibi viam aperiunt, & à tergo in obsidentes vim faciunt tanto impetu, vt omnes fugam arriperent. Dux Brunsuicensis cum dedecore in pedes se coniecit, desideratis ex suis nobilium, & villaticorum IV millibus. Vlturus cladem, subditos passim magna ope cogit, & X Kal. Nouemb. ad vrbem progressus, fossas, aggeres ducit, tormentis fulminat, erumpentes repellit, aditum claudit. Mox consulente quodam molatrinæ mancipio, obstructo fluuij alueo, qui ciuitatem alluebat, aquæ regurgitant, & in vrbem exuberant. Interea pilas instruit ignitas, vt tectis affixæ ignem spargerent, aqua simul, & igne vrbem oppugnaturus, vt quò se verterent oppidani, nescirent. Hi res suas in extremo discrimine animaduertentes, ad Cœsarem appellant. Is Ducem nisi iniuria abstineat, proscribit, sed irrito successu. Nam Dux Cœsaris edictum minus habens, oppugnationem renouat, cum Daniæ Rex quingentos equites auxilio misisset. Aquæ interea influebant in vrbem, & oppidanis ad genua vsque madentibus exitium minantur. Illi suffosso aggere viam aquis aperiunt; tum eruptione facta, exeunte Decembri in Danorum stationem insiliunt, obuios magna cæde sternunt, impunè redeunt in vrbem. Finitimæ ciuitates libertati suæ iniuriam fieri ratæ, Brunsuicensibus auxilia submittunt. Daniæ Regem Cœsar proscribit. Dux à Danis derelictus, Liberis Ciuitatibus periculum denuntiantibus, spei cassus obsidionem soluit. Abeuntem ægressi insequuntur oppidani, munitiones ab eo extructas deijciunt, pagos eius diripiunt, cum ipso Duce felici Marte manus conserunt. Res in neruum eruptura erat, Duce nouas copias conscribente, ni Cœsar proscriptione proposita, arma vtrisque interdixisset.

CO-

Sal. An. 1609.

CORONATVR MATTHIAS REX HVNGARORVM. Ann. 1609.

CXCVIII Confectis in Belgio inducijs, Germania dissidiorum noua semina suscepit. *Matthias* frater Cæsaris Vienna cum exercitu, (constabat is è viginti millibus equitum, peditumque) in Morauiam discedit, tanquàm contra Heiducos profecturus; vel discussurus, vt ferebatur Hispanorum consilia, qui *Ferdinando* Archiduci Hungariam, & reliquos Austriacorum principatus destinarent, vt addictiori partibus Pontificijs; re vera quod rerum nouarum cupidus, subitanea expeditione in Bohemiam conuerso milite, metum *Rudolpho* incussit; Is vt sibi prospiceret, militem describit, affinesque in suppetias vocat, dum *Matthias* Pragam profectus, propè vrbem castra ponit. Bohemi vitam & fortunas pro salute Imperatoris pollicebantur, dumodò Cæsar ad patris *Maximiliani* exemplum, liberum eis concederet Religionis exercitium. Dilato vsque ad Comitia Responso, Protestantes, partitis in diuersa cōsilijs, alij *Rudolpho*, alij *Mathiæ* videbantur adstipulari, re ipsa neutri fauebant. Consilium erat, fratres inter se collidere, vel alterum in quem fortuna inclinaret, suæ factioni conciliare, quasi id obsequendo meruissent. Post diuturnas deliberationes, tandem pax (Pontifice Romano sequestre) inter fratres conciliatur, ea conditione, vt Imperator Hungariam, & Austriam *Matthiæ* cederet. Diadema Hungaricum, Regis Stephani gladium, malum regni aureum cruce insignitum, sceptrum regium, calceos purpureos qui ab antiquo regi proprij sunt, in aperto campo accepit Kal. Iulij. Tributus eidem titulus *Designati* Regis Bohemiæ assensu Ordinum. Praga excedens, Viennam venit, vbi regia exceptus magnificentia, cum decem arcus triumphales statuis ac imaginibus varij generis, & alijs ornamentis insigniti essent, multa epigrammata recitata sunt, plurima in fronte arcuum præfixa, inter quæ

Hactenus afflictos tutatus es impiger Hunnos
Vicistique feros sæpius ense Getas;
Nunc cape prò meritis trāmissā à fratre coronā,
Ac rege Rex populum prò ratione tuum.

Decimo tertio Kal. April. die S. Elisabethæ sacro, Posonij Rex in æde S. Martini hoc ritu inauguratur. Diadema regium curru regio ex arce ad templum splendido procerum comitatu delatum, decem regnorum vexilla complicata deportata, quatuor Senatoribus Hungaris cistulam panno Attalico auro texto velatam in sacrarium templi curru deferentibus: Equo *Matthias* Rex, habitu Hungarico vectus, à duobus Episcopis ad altare productus est. Tum verò vexilla decem, totidem Hungari, diadema *Palatinus*, sceptrum regium *Endeodius*, malum regni aureum *Forgatsius*, gladium *Stephani* vagina holoserica purpurea inclusum *Turso*, Patellam auream, (qua pacem indigetant) *Tschius*, crucem auream *Budianus* gestabant; Cardinalis *Forgatsius* sacris operabatur, ministrantibus Episcopis, à quibus sub initium Sancti Missæ sacrificij, Rex oleo inunctus est. Cùm Euangelium recitaretur, Cardinalis Regem corona induit: populo multos annos acclamante. Rex diademate fulgens à *Colonitsio* equitum magistro, Marescallum vocant, gladium acceptum ter in aere expressa crucis forma, vibrauit, & Sacrum Christi corpus Cardinalis manu sumpsit, Peracto sacrificio. Rex via panno strata progressus ad S. Francisci sodales excalceatos, in plebem aureos, argenteosque nummos tradito more sparsit, & in eo templo perlecto S. Ioannis euangelio, viginti octo equites solemni ritu creauit: inde diademate, & veste regia insignis, per S. Michaelis portam vrbe egressus, in pegma panno serico stratum equo vectus est, vnde iusiurandum iusti ac moderati imperij Hūgaris præstitit, ab ijsdem deuoti obsequij, fideique accepit. Inde in colliculum eques insiliens, gladium expressa crucis forma ter vibrauit, mox in arcem magno comitatu ad regias epulas reuersus est, Germani omnes publicis muneribus, ac officijs deiecti, & exauctorati sunt, *Friderico Colonitsio* excepto, quem virtus supra inuidiam extulerat.

Coronato *Matthiæ*, successere statim Iulia- CXCIX *Motus Iuliacensium motus.* censium motus. Mortuo namque *Io. Guilelmo* absque prole, atque inde Electore Brandenburgico, hinc Palatino Neoburgico, alijsque ex connubijs cum sororibus defuncti prognatis, successionis ius prætendentibus, Imperator litis disceptationem ad se reuocans, interim *Leopoldum Austriacum*, Episcopum Argentinensem & Passauiensem miserat, suo & Imperij nomine ditiones recturum. Huius partibus cum Principes Pontificij; illorum *Reformati* plerique studerent; Hinc conuentus Halæ Sueuorum *Protestantium*, Herbipoli *Ca-*

Sal. An. 1609. *tholicorum*: hinc fœdera cum exteris & conspirationes intestinæ, in perniciem erupturæ Germaniæ. Brandenburgicus *Iohannes Sigismundus*, & Palatinus *VVolfgangus* VVilhelmus, re inter ipsos composita prò tempore, scripsere militem, & pleraque ducatus oppida suæ potestatis fecere, excepto Iuliaco, quod *Leopoldus* detinebat. Verum & illud quoque à *Mauritio Nassouio*, Belgicis iam prælijs soluto, & *Christiano Anhaltino* obsessum, simulque auxiliaribus oppugnatum Gallorum copijs, deditione accipitur post bimestre. Positis postea vtrinq; armis, lis iudicibus delegatis Coloniæ dirimenda frustra committitur.

CÆDES HENRICI IV. GALLORVM REGIS. Ann. 1610.

cc CVm in Iuliacensium suppetias florentissimùm compararet exercitum *Henricus IV* Francorum Rex, multis metum iniecit; multisque malè opinandi, atque loquendi oblata occasione, *Franciscus Rauaillacus* extremæ dementiæ homo, qui Regem hæreticorum fautorem, & morte dignum in mussitante plebe audierat, interficiendi Regem consilium capit. Hunc itaque in rheda nactus, Parisios obambulantem, contemplandi causa apparatus, quo reginam postridie coronaram exciperet, præcipiti insultu, gemino ad cor eius illato ictu cultri necat. Regem, si simulationem religionis (quam plerique in eo non fuisse confirmant) excipias suæ ætatis maximum. Plures Astrologi talem ei prædixerant exitum. Rex ipse, animo nescio quid mali sibi præsagiente, obitum præuiderat infelicem. Nam cum admoneretur, ex pluuijs cœno obductæ plateæ, nisi purgarentur, Reginæ ingressum minùs splendidum fore, atque incomodum ijs præsertim, qui ad stipandum reginæ currum designati sint, *Nihil ad me* (inquit) *hoc attinet. Ego enim ista fortè non videro*. Die verò Sabbathi, VIII Maij, cum ad mensam Reginæ inopinato superueniret; rogat, *num coronatio sequenti die Martis futura sit*. Tacente illa, quod ad respondendum nihil certi haberet, Rex, *quid tu? ne verbum quidem?* Vbi illa, *Vellem, vt eras fieret. Sed Sancerranus dixit, ante diem Iouis fieri non posse*. Rex vocato Sancerrano, non sine stomacho de dilationibus istis conqueritur, non tanti faciens bis centies millium scutatorum, quos mora absumtura erat, quàm temporis, & occasionum iacturam. Mox ad Reginam. *Hoc scias, velim* (ait) *nisi die Iouis proximo fiat, postero die me non ampliùs visuram*. Subridens Regina, *Atqui illud tamen à te impetrari sines, vt introitus mei pompam videas*. Ait Rex: *Non, dic Veneris vltimum Vale tibi dicam*.

Eodem tandem die, quo interfectus est, finito prandio, cubiculum Reginæ ingressus tristi vultu, vno loco se tenere nequibat, multò minùs animum regere fluctuantem. In ea agitatione Reginæ dixit, *Vix reperire se quid facere debeat. Armamentarium sibi visere quodamodò necesse esse, sed scire molestum fore*. E cubiculo ægressus, in suo aliquantisper hæsit, scriptis aliquot lineis, & dato ad edictum quoddam responso. Inde ad fenestram accedens, manu fronti admota, *Mi Deus*, inquit, *hic quidem intus latet aliquid*, quod me vehementer turbat. Inde ægressus, in cubiculum Reginæ redijt, vbi de arcanis regni cum Cancellario collocutus, tandem eum ac curiam abeuntem amplexus, *Abi* (inquit) *ego itidem abeo, coniugi valedicturus* Cum verò quid ridiculum narraretur, plerisque in risum effusis, *Ne* (inquit) *die Veneris nimis rideamus, ne sequenti Dominica plangamus*. Postea filios suos paternè amplexus, inter blanditias celare non potuit, animum sibi non rectè constare, adeo vt ad ipsam Reginam diceret: *Nescio quid mihi sit. Discedere equidem hinc non possum*: Descendente tandem Rege, cum quidam è domesticis quæreret, an rhæda præsto esset, exorabilis ille parricida, auditis his verbis (vti postea confessus est) intra dentes murmurans, dixit; *Teneo te, perijsti*. Antequam verò Rex digrederetur, coniugi tertio amplexu, & osculo valedixit. Notarunt nonnulli moram illam, quæ ad ægressum varias ob causas interponebatur, (quamuis Regina eum retinere etiam vellet) molestè admodum tulisse: corporis custodes sequi noluisse: custodiarum Præfectum in Curiam ablegasse: huius Legatum ægrum tunc decubuisse; vexilliferum ad supremum Curiæ Præsidem negotij causa iuisse: rhedæ velamenta vndique aperta: pallium à Rege depositum: pedissequos aliam instituisse viam, nec rhedam comitatos: plateam, vbi trucidatus fuit, duobus curribus, quorum vnus vino, alter fæno onustus erat, quasi obstructam, eoque obstaculo regium vehiculum passim quasi sufflaminatum, & tandem omnino retentum fuisse. Quæ omnia scelesto parrici-

rici-

Bal. An. 1612. ricidæ & animum, & modum facilius occidendi Regis dederunt.

Nec illud prætereundum, Reginam nondiu ante somniasse maiusculos adamantes coronæ suæ in margaritas (quas somniorum interpretes prò lacrymis accipiunt) esse conuersos. Altero somnio ità fuit perterrita, vt Rex excitatus, quid rei esset? percontaretur. Post longam tergiuersationem aperuit, somniasse, ipsi Regi cultro grande inflictum vulnus. *Laus Deo* (ait Rex) *quod somnium tantum sit*.

OBITVS RVDOLPHI II. IMPER. Ann. 1612.

CCI Post *Henrici* cædem, *Rudolphi* Imperatoris obitum Annus excepit 1612. Prodigium ominosum paulò ante mortem *Rudolphi* prædixit. *Leo*, nec non *Aquila dua*, quæ in aula eius Pragæ nutriebantur, subitanea morte correptæ; de quibus sequentia recitantur carmina.

Bina Aquilæ, vastusq; Leo, quos nutrijt Aula,
Tempore non modico, diue Rudolphe, *tua*,
Excessum paulo ante tuum, mirabile dictu,
Clausere extremum, triga beata, diem.
Scilicet haud aliter, quam ponderis omine, tanti
Fas erat ostendi fata, Rudolphe, *tua*.
Cælum Aquilæ: Leo tellurem designat: & iste
Magnanimùm Alcidem: haeq; Iouem referunt.
Alcidæ similem vitam tibi fata dedere
Cuncta tua implesti gloria, vt ille sua.
Restabat cælum, Iouis hoc tibi suggeris ales;
Sed qua te ferret, non fuit vna satis.
Bina igitur simul, ingenti comitante Leone,
Induperatorem in cælica tecta vehunt.

Ineunte Decembri Anni 1611. morbo correptus *Rudolphus*, ipseque sentiret non longè supremam vitæ suæ metam abesse, inter alios

CCII *Morientis verba.* pijssimos, & dulcissimos sermones ad eos, qui adstabant, habitos; hæc quoque suspiria emisit: *Mei charissimi*, inquiebat, *cum in iuuentute mea à diuo parente meo ex Hispania in hanc patriam meam transitoriam per legatum reuocarer, tanto gaudio perfundebar, vt sequentem noctem, totam insomnem traducerem. Quanto magis mihi nunc lætandum, quia pater meus cælestis in æternam patriam me breui auocaturus est; vbi nulla est temporis vicissitudo, aut mutatio, & vbi calamitas nulla est.*

Sacro itaque sumpto Viatico, tandem inter vota, & ardentes preces, quas toto morbi tempore ad Deum fudit, placidè obdormiuit in Domino Anno 1612. Die X. Ianuarij. Anno Ætatis 59 Imperij, 36. Iusta ei persoluit *Matthias* frater, die III Octobris, Pragæ (vbi mortuus,) in templo arcis, S. Vito dicato, corpus eius tumulatur.

Epitaphium Chronologicum. (doLphVs CCIII
DVX ae LVX gentIs FabIanI heV LVce RV-
Cœsarlo genItVs sangVIne Cœsar obIt.

Aliud

Austria gauisa est primo diadema Rudolpho
Cæsareum & fori sceptra gerente manu.
Austriadum decimus, Magnoq; secundus ab illo
Nomine, nunc eadem sceptra Rudolphe tenes.
Odulci veniant cum nomine dulcia fata?
Consilio populos, qui regit ille iuuat.

CCIV *RVDOLPHI II. IMPER. SYMBOLVM.*

Omnia ex voluntate Dei.

CCV *Venereus.* Qvàm eximium Imperatorem *Rudolphum* ex gestis supra narrauimus. Eius liberi non sunt recensiti, quia matrimonij abstinens vixit, liberiorique, quàm fas erat, Veneri assuetus, culpam non modica dignitatis iactura luit. Cœterum omnium bonarum ar-

Matheseos amator. CCVI tium, & Matheseos in primis fautor, & patronus fuit; cum & ipse suas Orbis terrarum sceptris assuetas manus ad eruditum illum puluerem demittere non dedignaretur.

Picturarum elegantijs ita est delectatus, vt quascunque Orbis haberet eximias nobilium artificum tabulas, sumptibus & impensis maximis sibi compararet. Adolescens in Iberiam ad *Philippum II* auunculum suum, vnà cum fratre *Ernesto* Archiduce se conferens, Regum Maximi, ac sagacissimi consuetudine Ciuilem omnem prudentiam imbibit. In bello nec felicitas, nec pace magnificentia illi defuit. Incredibilis rerum omnium peritia, iudicium elimatum; maturum consilium ei famam dabant: adeoquè *sedendo vincere* dictus est. CCVII *Pictura delectatur.* CCVIII *Politicus*

CAPVT TERTIVM.

Archimedes ciuilis, siue *Rudolphus Prudens*.

I *Princeps Deus humanus.* NOn aberrauit, qui *Humanum Deum* principem dixit. Vt hominem à *ratione*, Deum à *Prudentia* dignoscimus, quæ rationis dicitur experimentum. Cæterarum virtutum prudentia mater, vt Musarum Mnemosyne, sedet in mente ad dirigendas actiones humanas in rectum, & honestum. II *prudentia quid?* *Artem benè viuendi* dixit Cicero 5. *de Finib.* quæ medium tenet inter morales, & intellectuales virtutes siue speculatiuas, & practicas. Hæ à voluntate, illæ ab intellectu consurgunt. Virtutes morales cum in appetitu, dirigente tamen intellectu, resideant; Prudentia est in intellectu dirigente; tanto nobilior, quanto reliquas animæ potentias mens precedit humana. A reliquis practicis & intellectiuis secernitur, Quia speculatio ordinatur ad verum; Prudentia ordinatur ad opus. Practicæ si faciunt hominem doctum, prudentia facit bonum. Differt tandem ab opinione, quia hæc nutat in incerto; prudentia certis adhærens præceptis, nec fallit nec fallitur.

Quotuplex sit? triplicem dicas, Habitualem, vel actualem: Natam, vel acquisitam: Humanam, vel brutalem. III *prudentia quotuplex.* Prudens non ex actu cognoscitur, sed ex habitu. Habet prudentia annos suos, viget cum senescit. Exorditur in pucro, sed intempestiua, & acerba cum foribus euanescit, *dabit fructum suum in tempore suo.* Sapientes suos Veneta mespilis solet assimilare Respublica, quibus plenos calathos gradienti-
bus

bus obijcit super giganteam scalam, quæ regiam ducit in aulam. Bruta naturaliter prudentia apparent; Nam ruinis imminentibus musculi præmigrant; aranei primi cadunt cum tela. Vulpes, in Thracia, amnes gelatos lacusque nonnisi ad pastus ituræ, redituræque transeunt. Obseruatum eas aure ad glaciem apposita, conicctare crassitudinem gelu. *Plinius lib.8. c. 28.* Mitto Apum solertiam & Vrsorum in tutela & corporis cura. Quia humana non est prudentia, vbi diuina consulit prouidentia. Si rationis experimentum prudentia est; quæ ratio in brutis quæ scire nesciunt, & nescire ignorant. Scire se scire, scientia est: & rationem per causam reddere. Operantur bruta, vel in brutis natura operatur, cui animal seruit, & operari non recusat, vel recusare non potest. Homo cognoscit, cognoscendo discurrit, vnde deducit opus sibi vtile, vel inutile; nec impellente, sed suadente natura exit ad opus: cum animal retrocedere nequeat. Relicta itaque Prouidentia, prudentiam aggrediar humanam, quæ vel *politica*, vel *œconomica*, vel *monastica*. Politica bonum spectat Reipublicæ. Æconomica, familiæ: Monastica sui. Indiuiduum præcurrat speciem, species genus. Quid interest alios moderari, & seipsum negligere? Honestè viuere; alterum non lædere; suum cuique tribuere Beatæ quamuis mortalis vitæ sunt leges. Quas si in vnam recoligas, cole hanc. *Imperij hæc vna lex, Primùm sibi imperare*. Tibi imperabis, si in ancipiti rerum statu consilium adhibeas; passio non irrumpat, nec temere agas. Qui enim temerè, vel casu operatur; vt ei imputantur improspera, non adscribuntur secunda. In naturalibus nec meremur, nec demeremur. Fac artem pedagogum naturæ. Ita voluntati suberit passio; voluntas intellectui. Honestum sit desiderium, iustum erit iudicium, numquàm discors consensus. Prudentiam virtus comitantur & bonitas, ne aberrare faciant prauitas vel inscitia. Per iustitiam fertur in rectum, vt quod sibi vult, alteri faciat. Fortitudo arcet pericula: non audet temere, nec timet pannicè iusta deserere. Excubat temperans, ne otio langueat, & vanitate marcescat. Vtile insequitur, sed honestum: honestum etiam dedignatur si per semitam inhonestam gradiendum sit. Non omne quod libet, licet; sed libet, quod licet. Festinat lentè. Deliberat diù, exequitur citò. Facilia vt dificilia concipit, vt cautè procedens, aspera deducat in vias planas. Dificilia librat priùs, an possibilia? constantiæ ponè committit, cui nihil imperuium. Obstinatè nil agit; sapientis ducens mutare consilium, tempori inseruit non inconstantia voluntatis, sed fortunæ, quam declinare prudentia est, donec mitescat. Dandum est rumoribus tempus, quo senescant. Hinc numquàm pænitet iecisse aleam, quia Fatum ipsum tenetur stare decreto. Sapiens quidem dominabitur astris, si patienter ferat, cum Iouis ira premit. Orbis in pelago sedeat Palinurus ad clauum, cursum dirigat vt portum teneat: cum in vinculis ventos non habeas, quis tibi imputare potest naufragium? Deus cum tria sibi reseruauerit in signum Omnipotentiæ, ex nihilo cuncta condere, conscientijs dominari, & futura præuidere: prudentis est diuinari, non præuidere. Diuinatio autem causalis est, vel casualis, fortuita, & temetaria. Fortuita & sine ratione vaga diuinationem non recipiunt. Auspicium ciuile est obseruantis præsentia, præterita, quibus catenantur futura. Hippocrates ex vento, qui aflabat ab Austro, illinc venturam pestilentiam prædixit, nec aberrauit. Sic prudens notans quæ alij prætereunt, futura prænoscit, quasi sint illi præsentia. Humanum Deum, Principem dixi in exordio nostræ lucubrationis: & rectè, quia teste *Sextio*, in vno discrepant Deus, & Princeps prudens. *Deus cum non possit, prudens non vult iniustè operari*. Vnde prudentem à Ioue non secerneres, nisi in alieno versaretur solo, & inter contingentia viueret. Hæc est prudentia, ex contingentibus necessaria deducere, & ex mendacibus vera. Principia non habet vniuersalia: signat ea quæ dietim accidunt, vt in similibus similia recogitet. Sex illi aperti sunt fontes, ex quibus normam hauriat viuendi. Sunt, *Naturæ lumen*. 2. *Philosophorum præcepta*, seu *Veterum prouerbia*. 3. *Obseruatio in naturalibus, vel manufactis*. 4. *Poetarum fabulæ*. 5. *Aliena pericula*. 6. *Propria*.

Naturæ lumen ex *possibili* dignoscimus, & *conuenienti*; quæ vnita pergunt. Non omne quod licet, honestum est. Plurima licent, sed virium inopia, honestas languet. Alia possum, sed non debeo; vt dicebat Caracalla Iuliæ priuignus, cum hæc quasi per negligentiam coram eo nudasset sinum, *Vellem, si liceret*, Illa asserenti Cœsari contra impiè respondit, *si libet, licet*.

Possibilitatis porrò sequentes recenseantur aphorismi

Tunc

IV *Bruta an prudētia.* V *quid sit prudētia.* VI *Prudētia triplex.* VII *leges prudentiæ.* VIII *Sapiens quomodo dominetur astris.* IX *prudens futura nō prænidit, sed diuinatur.* X *Deus & prudens in quo conueniant.* XI *Prudētiæ fontes.* XII *Nō omne quod licet, est honestū.* XIII *possibile quid sit.*

Tunc res possibilis censetur, quando voluntas
Iam sibi connexum posse patrare videt.
Rem facilè vinces, licet ardua vbique putetur,
Si illius fuerit summa cupido tibi.
Quod valet excelsum natura attingere gestum,
Hoc pariter docta fiet & arte vicum.
In Mundo facinus cernis quodcunque peractum;
Hoc alij rursus non poterunt agere?
Rem absque auxilijs meritis operosa videtur,
Euadet facilis grandibus auxilijs.
Si Media insignis pertinges culmina gesti,
Huius quid finem tangere posse vetat.
Si rem maiorem facies, faciesque minorem;
Res similis facta est, & similem facies.
Vnum si aduersum terrarum existit in orbe,
Possibile esse aliud dic mihi nonne potest.

XIV *Dicta sapientũ.* Naturali lumini accedunt *dicta Sapientum*. Quorum principes septem Greciæ sapientes breui lemmate regulas exhibuere prudentiæ.

Modum serua, dixit *Cleobolus*. Extrema monita, quæ Dedalus Icaro suo, & Sol Phaethonti filio, huic currum acturo solarem: illi volaturo dedisse scribitur apud *Ouidium*

Icare, ait, moneo, ne si demissior ibis
Vnda grauet pennas; si celsior ignis adurat,
Inter vtrumque vola.

Sic ad Phaethontem Sol
Altiùs egressus, cælestia signa cremabis,
Inferiùs terras, medio tutissimus ibis. 2. *Met.*

Optimum fore aiebat *Alphonsus*, si voluntas nostra inter amorem, & metum media intercederet: vt quantum amor ad excessum, tantùm metus pelleret ad defectum. Virtus ipsa sine modo vitium est; aiebat Cardinalis Aldobrandinus.

Iniustum, iustumq; inter stat terminus aequi,
Is benè qui hoc sumit; qui illud, in ima ruit.

XV *Ne quid nimis*, dixit *Pittacus*. Omne namque extremum vitiosum est,
Quisquis medium defugit iter
Stabili nunquàm tramite currit.

Iram rege, inquit *Periander*: Siue par est qui lacessendus est (inquit Seneca) siue superior, siue inferior. Nam cum pare contendere, anceps est: cum superiore, furiosum: cum inferiore, sordidum. Pusilli hominis, & miseri est, repetere mordentem. *lib. 1. de Ira. c.* 34.

XVI *Respice finem*, Solonis est aphorismus. Ideò peccamus (ait Seneca *ep.* 71.) quia de partibus vitæ omnes deliberamus, de tota nemo deliberat. Scire debet quid petat ille, qui sagittam vult mittere; & tunc dirigere, & moderari manu telum. Errant consilia nostra, quia non habent, quò dirigantur. Ignoranti quem portum petat, nullus suus ventus est. Necesse est multum in vita nostra casus possit, quia viuimus casu.

Plures Mali; ita *Biantes*. Vt nemini fidas. XVII
Stultorum cum infinitus sit numerus & malorum, crede sed cui vide.

Noli Spondere, Taletes. Si periculosum est XVIII
pro se promittere, quanto magis prò alijs. Titulo *De Fideiussionibus* titulum connectunt *de Solutionibus* Canonistæ; quia soluere solet, qui fideiubere non recusat.

Nosce teipsum conclusit *Philo Spartanus*. XIX
Quod difficilimum. Quàm enim properè legimus, tam citò negligimus. Aliena rectiùs perspicimus quàm nostra, & sibi quisque adulator est,

Hæc, nosce seipsum, dictio quidem est breuis,
Sed tanta res, quam Iuppiter solus sciat.

Homo cum sis (aiebat Philemon) id fac semper intelligas; & semper eris homo.

XX *Prouerbiũ quid?* Sapientum dictis *Paroemia* succedunt, seu prouerbia, & adagia quasi *ambagia*, vel *circumagia* dicta, quòd in vijs passim per omnium ora obambulent: & ijs sacra velare mysteria primi nominis viri celare non dubitauerint. Instar omnium est Sapientissimus Salomon, qui *Prouerbiorum* librum addito nominis proprij titulo posteritati reliquit, ad intelligendam *scientiam, sapientiam, & disciplinam: ad intelligenda verba prudentiæ, Prouer.* 1. Maiorem homines fidem adhibent seniorum dictis, quamuis nulla ratio suppetat; quàm ornatis iuuenum sententijs, & rationum apparatu suffultis, vsus non facto periculo. Huiuscemodi sunt *Prouerbia*.

Tempore felici multi numerantur amici,
Dum fortuna perit, nullus amicus erit.
Tempore diminuere est augere
Primus insania gradus est alios credere insanos.
Stultus nunquàm solus.
Stultus est dicere, non putabam.
Interdum seria nugæ
Victrix malorum patientia
Ab externo fulgore caue.
Cum fueris Romæ, Romano viuito more.
Cum fueris alibi, viuito sicut ibi.
Veritas latere non potest. XXI *regula prudẽtiæ*
Sapientis est, mutare consilium.

Quartus locus, in quo Natura prudentiæ documenta reposuit, naturalium rerum est obseruatio. Christus à rebus naturalibus para- *ex naturæ obseruatione.*

bo-

bolas sumpsit, quibus Apostolus edoceret. *Ad arbo em se conuertit, vt hominem erudiret*, ait *Carthusianus*. Est Physica moraliū speculum, in quo homo, ciues, Princeps; quomodò viuat, quomodò obediat, quomodò imperet, intueri potest. Syluestris plāta frugiferæ germinat insita; & viro quamuis pessimo est documentum; societate bonorum in optimos mutari pessimos. Arundo non germinans palmam, nec palma germinans arundinem, morale nobis est argumentum filios æmulari gesta parentum. Iuxta laurum plantata vinea, arescit; quia literarum, & armorum gloria marcescit inter pocula. Mineruæ oleam dicauit Antiquitas, quia sine pace oblirerantur literæ.

XXII *regulæ prudētiæ ex brutis* Similia docent quæ non docentur, bruta: Lepus quia exarmatus canem fugiēs insequentem, nobis innuit, fortioribus cedere, prudentis esse. Vt Serpens dulci occiditur potu; marcescit homo delitijs. Mingit Bufo, & subiecta venenat: sic Hæreticorum consortio, polluitur homo catholicus. Leo si receptui canat, non fugit; sed gradatim secedit; vt declinare pericula quandoque non erubescas, sed fuga latenti. Non minori dabit nautica, ars fabrilis, cæteræque artes.

XXIII *prudētiæ leges ex Poetis* Quartus prudentiæ fons, Poetarum est fabula, puta Æsopi, Æschinis, quibus audientium animos ita venantur, vt pudeat ratione præditos facere, aut sentire quæ neque aues, neque vulpes: & rursùs non vacare illis, quibus pleraque bruta tempore prudenter vacasse finguntur: ex quibus aliqua pericula imminentia effugerunt: aliqua maximam vtilitatem in opportunitatibus consecuta sunt.

XXIV *prudētiæ leges ex suo, & alieno periculo.* Quintus locus vbi prudentia sua documenta reposuit, sunt aliena pericula: ex quibus in similibus vel spem concipimus, vel declinare edocemur. In superliminaribus domorum Sapientiæ imaginem reposuere Prisci sub lemmate, *Vsus me genuit*. *Vsus sapientiæ pater.* Pastor quidam (Æsopi est fabula) pecudes iuxta litus maris cum pasceret, placidum videns mare, nauigandi studio captus, oues pro dactylis commutauit, quibus naui impositis, cum altum iam nauigaret, & imminente tempestate; salutis nulla spes esset; quæ in naui erant, omnia proiecit, atque in portum se recepit, denuò cum oues pasceret, ac rursùs mare tranquillum aspiceret, ad socios ait, qui maris tranquillitatem commendabant,

Mare iterum dactylos cupit.

Nunquā ita quisquā benè subducta ratione ad- (uitā fuit.
Quin res, ætas, vsus sēper aliquid apparet noui,
Aliquid moneat, vt illa quæ te scire credas, nescias,
Et quæ tibi putaras prima, in expertēdo repudies.

Terentius *Adelph.*

More fluminum, latenti incremento crescit prudentia: vel arborum more (dicit *Lipsius ep. 22.*) quas crescere non cernimus, sed creuisse; sic factam prudentiam in homine potiùs, quàm fieri.

Ex hisce fontibus nonnullas prudentiæ hausimus regulas, quas legere, & obseruare non inutile putamus. XXV

Alta meditare, sed respice finem. Obliquo non incedas tramite, cum recto potes.

Aude quantum potes. Omnia enim potest, qui maiora *non audet, quàm possit.*

Tecum habita, Culpa est immiscere se rei ad se non pertinenti.

Insipiens esto, cum tempus postulat, aut res.

Stultitiam simulare loco prudentia est.

Non falleris, si fallere credas. Nemo namque mortalium omnibus sapit horis.

Interrogatus serò, mane responde. ita Bartolus.

Nocte cogitata, medio recogita Sole.

Consilia præsentia metire ex præteritis & futuris. Teipsum nec laudes, nec vituperes. Proximum non insimules. Cum laudas, mediocriter lauda.

Pueri ne temperis annos. Neminem spernas: ludicra namque humana sunt.

Nullus vbiq; potest felici ludere dextra.

Ab externo fulgore suspice. In omnibus ferè habet venenum suum blanda oratio.

Sis omnibus æquus, sed paucis amicis.

In foro veritatem quære non victoriam.

Censuram agant alij: tu pluribus plaude. Vitia enim erunt, donec homines. Hæc age, & feliciter viue.

PRVDENTIA ÆCONOMICA.

XXVI *familia paruum regnum.* A Familia ad regnum valere argumentum, fuit Chilonis præceptum, quia inter familiam & regnum illud est discrimen, quod est inter magnum & paruum. Sed quia familia non conuertuntur & regnum, à regno ad familiam valebit illatio; non à familia ad regnum, nisi negatiuè discurres. Optimè namque in familia ministrat, qui benè regnum gubernat. Non propterea habenas tractabit imperij, quia optimus fuerit familiæ gubernator.

Poli-

optimus Politicus malus æconomus. Politica & Æconomica ſpecies oppidò ſunt prudentiæ;ſed regulis innixæ diuerſis., vt inter ſe quandoquè pugnent. Paruum regnum dicitur familia:grandis familia regnum. Aptus ad familiam, aptus creditur ad regnum ſi probetur. Aptus ad regnum,aptus eſt ad familiam, nec probatur; quemadmodum ſuccollator onus feret faciliùs ſi diminuas, quàm ſi augeas.Præterit tamen, & ferè dedignatur familiam,qui Regem agit.Carolus Magnus Romani reparator Imperij,familiam ſuam penè perdidit,negligendo. Filias impudicas habuit pater improuidus. Auguſtus Rempublicam geſſit vt pater,familiam vt vitricus. Hanc forſan ſi habuiſſet in filiam, Rempublicam voluiſſet in priuignam. Grandia qui agit,minima negligit.

XXVII *Æconomica differt à Politica.* Æconomica itaque quantùm Monaſticæ ſupereminet,tantùm à Politica diſtat.Illam ſuperat, hanc æmulatur. In familia ſua quilibet cum princeps ſit, coniugem habet pro Magiſtratu; filios prò magnatibus: ſeruos prò populo:domum prò aula:redditum prò tributo:affinitatem prò fædere:imperium prò lege: auctoritatem prò maieſtate: alimenta in præmium: correctionem in pœnam. Vtrobique in voto fælicitas, ibi populorum, hic familiæ: Huc ſi tendat pater,erit paruus Rex: ſi declinet,fera peſſima, & tyrannus, qui familiam deuoret, tandem ſeipſum.Familiã cum ſeruet coniugio, datur ei coniux,quæ non famula nec domina, ſed in conſortium. Pulcher virginitatis theſaurus eſt:ſed virginitas ſi ſeruaretur ab omnibus, vitam perderet apud *Stobeum ſer.2.de Temper.* Legitime itaque duc quam tibi Dominus efformauit in ſociam. *vxor eſt ſocia mariti.* *Quum vellet Deus in viro* (ait Gennadius) *ſecundum naturam maiorem*

XXVIII *quendam erga mulierem ineſſe amorem, effinxit illam quidem ex illo,verum non ex anteriori aliquo membro, ne ad reſiſtendum illi formaſſe illam videretur: neque rurſus ex aliquo poſteriori ſimpliciter, ne illi vilior haberetur, ſed de coſta quæ mediam quandam obtinet rationem, vt ipſa quoque erga virum medio quodam loco conſiſteret,æqualitatis videlicet atque obedientiæ.* Nuptialis annulus non eſt anſula ſeruitutis, ſed vinculum ſocietatis; quæ inter coniuges facit omnia communia præter imperium. *Mulier eſto ſubdita viro: & ipſe dominabitur tui. Gen.* 3. Vnde domum exeunti paternam, in viri tráſit poteſtatem, ne contempto marito ad lares regrediatur paternos. Lacæna rogata mulier, an conſentire vellet adultero concubitum petenti?reſpondit:*Cum puella eſſem, didici parentiparere,& hoc egi:mulier autem viro. Huic ergo ſi iuſta roges, manifeſtum primò faciam.* XXIX *eſt in poteſtate mariti.*

Quin immo eò virorum proceſſit imperium vt in mulieres ius vitæ,& necis ſibi vindicarent. *etiã quoad vitã.* De Gallis ſcribit Cœſar.6.*de Bell.Gall.Galli in vxores & liberos æquè ac in ſeruos ius vitæ & necis habent: ac ſi quædam vel minima ſuſpicione teneantur maritos necaſſe,quæſtionibus à proximis torquentur, & ſine vlla Magiſtratus cognitione damnantur.* Idem antiquis Romanis: *Inuenimus* (ait Plinius) *inter exempla Egnatij Meccenij vxorem, quòd vinum bibiſſet è dolio, interfectam fuiſſe à marito,eumque cædis abſolutum à Romulo.lib.*14.*c*'13.Valerius *lib.*6.*c.* 3. vocat Egnatium Metellum, additque non accuſatione tantùm,ſed reprehenſione vacaſſe. Cato ideo propinquos fœminis oſculum dare voluit,teſte Plinio.14.*c.* 12. vt ſcirent an temetum olerent. Hoc tum vino nomen erat,vnde *temulentia*, vt notat *Non. Marcell.* Ita oſcula XXX apud Romanos ex mala intentione introducta, ad ſigna poſtea amoris fuere traducta. Correcta hodie tanta poteſtas, & in propriam carnem ſæuire interdictum. Sed hoc in perniciem generis humani. Attrocitas ſi pudicitiam matronalem texuit in purpuram; pietas lacerauit tunicam; vt rara mulier,quæ ſit Honeſta. Pudicam qui vult vxorem, pudicus ſit. Sit vir *rara mulier pudica.* vnius fœminæ:tunc erit fœmina vnius viri.*Ego* (inquit Seneca *ep.* 9. *ad Lucill.*) *monſtrabo tibi amatorium ſine medicamento,ſine herba,ſine vllius veneficæ carmine: Si vis amari, ama.* Cui colludit Martialis *lib.*6.

Vt præſtem Pyladen, aliquis mihi præſtet Oreſtẽ
Hoc non fit verbis, Marce,vt ameris ama.

Aliàs ſicut dicebat L.Craſſus ſenator ad L.Philippum conſulem: *Non es mihi Philippe Conſul,quia* nec tibi ſenator ſum,*Valer. lib.* 6. *c.*2. Vel vt orator Domitius apud Hieronym. *c.eſto ſubiect.d* 95.Cur ego te habeam vt principem, cum tu me non habeas vt ſenatorem?Ita vxori erga maritum dicere licet. Cur ego te habeam vt maritum,cum tu me non habeas vt vxorem? Mulier itaque viro legitimè iuncta fortunarum, & ſacrorum ſocia illi eſto, vtque domus ille dominus,ita hæc domina.Domeſtica adminiſtratio fæminarum eſt propria, quam Raguel quoque Saræ filiæ demandauit, *Tob.*10.& XXXI *adminiſtratio domeſtica.* Schomachus apud *Xenoph.in Oecon.* Quæ domi ſunt, vxori peragenda relinquo. Fidias fæmi-

nam

nam prænentem testudinem pinxit, animal timidum, & *domi portam* dictam, vt ab animali edoceretur domi se continere. Dianæ non conflagrasset templum, si pro Olympiadis puerperio domum non deseruisset.

xxxii *mulier vbi principium* Vxor itaque cum ducenda sit ad sobolis procreationem, vnde Tullius dicat eam *vrbis principium, & Reipublicæ seminarium*, 1. *de Offic.* qualis ducenda merito queritur? dic minus pessimam: optimam namque inuenire difficile. Philosophus quidam cum hosti elocasset filiam, rogatus quare id fecisset? *quia non potui* (inquit) *illum grauius multare, quàm elocando id, quod pessimum habui*. Interrogatus Democritus, quare paruam duxisset vxorem? *quia* (respondit) *ex duobus malis minus est eligendum*.

xxxiii *vxor qualis ducenda?* Id autem fiet, si ante omnia, mores, parentes, patriam peruestigemus: ne illud occinatur poetæ, *de moribus vltima fiet quæstio, quæ in coniugio prima esse debet*. Clisthenes tyrannus Sicyonius cum vellet filiæ maritum iungere, Græcam iuuentutem vndecunque conuocatam, annum apud se detinuit, donec singulorum mores perdisceret. Et iam decreuerat filiam Hippoclydæ elocare, cum ille petulantiori saltatione totum desultat matrimonium, *Herod. lib. 6.* Vniformis sit vxor, canit *Ouidius*

Si qua voles aptè nubere, nube pari.

Quædam enim amicitia coniugium est, quæ in æqualitate cõsistit. Aonorum primo sermo fiat, Nã quæ bello est habilis, Veneri quoq; conuenit ætas. Turpe senex miles; turpe senilis amor. Quos petière duces annos in milite forti. Hos petit in socio bella puella toro. *Ouid. 1. eleg.* Melius verò sit virginem, aut viduam vxorem ducere? *Nauius* respondet poeta, Virginem, si *musta* est, idest si *nouella*, vt Non. Marcell. explicat.

Quòd senis amplexus culta puella fugit.

xxxiv *pulchra ducatur* Species decoris & ipsa consideretur, cum ducenda est vxor, vt Rachelem ob venustatem Iacob dilexit, *Genes. 26.* Plinius secundus 1. *ep. ad Iun.* scribens, cuius nepti ex fratre maritum delegerat, sic eum commendat. *Est illi facies liberalis, multo sanguine, multo rubore suffusa: Est ingenua totius corporis pulchritudo, & quidem senatorius decor, quæ ego nequaquàm arbitror negligenda*. Et licet *Quintilianus lib. 5. Instit. c. de argum.* dicat *frequenter duci in argumentum libidinis, speciem*: retorquet *Ambrosius* potiùs speciem corporis esse simulacrum mentis, & figuram probitatis. Non ita tamen æstimanda forma, vt prætereantur mores. Sepè enim occuluit picta sese hydra sub herba. Et niuea irrepsit furialis lilia vermis. Quin animus nequam atque oculto crimine plenus sub spetie formæ incauto se sæpè marito vendidit, & misero tulit inuida iurgia lecto. Aulicum quendam obiurgabat Olympias Alexandri mater, quòd formosam duxisset vxorem, sola pulchritudinis spectata forma. *O stulte, qui solis oculis duxisti vxorem*.

xxxv *dos consideretur.* Dotem etiam considera si æqualem, nam in coniugijs fit noxia, si nimia. Vxores diuites seruitutem exigunt: & in diuitijs suis regnare volunt: vnde ille exclamat *dotem accepi, imperium vendidi*. Demenatus *apud Plautum in Asin.* Ea fortasse fuit causa, quare Mahometes sponsas voluit nubere sine dote, Solonem secutus, qui tres tantumodò vestes, & parui empta nonnulla vasa loco dotis cõcessit. *Plut. in Solone.* Plato in sua Republica quinquaginta drachmarum dotem esse voluit. *3. de Rep.* Lex diuina quinquaginta siclis æstimauit, forsã ne familia exhauriatur per dotẽ, quã Veneti tria millia ducatorũ excedere noluerunt. Maiorem dotis partem cum honestateio credamus; non vilem, nos splendidam, sed matronalem pallam induit. Placere studeat sed viro suo. Se verò fuca- *quanta debeat esse*

xxxvi *Mulieris ornamẽta.* repigmentis, quo vel rubicuodior, vel candidor appareat, adulterina fallacia est: qua non dubito (ait Augustinus *in c. fucare d. 5. de Consecrat.*) etiam ipsos maritos se nolle decipi, quibus solis permittendæ sunt fæminæ ornari secundùm veniam, non secundùm imperium. Nam verus ornatus, maximè Christiaoorum, & Christianarum non tantùm nullus fucus mendax, verùm ne auri quidem, vestisque pompa sed mores boni sunt.

xxxvii *indoles.* Non callida sit, nec insipiens. Hebes namq; seruorum fraudes non assequitur: Callida virilem audet vsurpare prudentiam. De duobus malis minus elige *Insipientem*. Nam insipiens quandoque sapit, & sub viro virescit. Ingeniosa verò in tumidam mutatur & procacem. Argutiæ, & loci cum Amasiæ potius conueniant quàm coniugi, verbosam fuge, & colloquia cum extraneis prohibe etiam religiosis. Ludicræ namquè sunt fabulationes, & canum more saltu finiunt, & cucurbita. Ei numquàm credas, nam si de vxore non mussitat maritus, de marito mussitat vicinus.

Liberi.

XXXVIII *non sit sterilis.* De vxore hactenùs, quam liberos procreandi causa ducimus. Friget amor, & de sterili ventre in odium erumpit aduersùs eam quæ vel Deo, vel naturæ inimica facta est generis humani sepulchrum. Filios quærimus non solùm ad conseruationem speciei sed indiuidui. Si enim pater dat vitam filio, liberi à morte eximunt parentem beneficio alimoniæ: & in senectute rependunt, quod à parentibus habuerunt impuberes. Est autem inter parentes & liberos societas vel amicitia regia. 1. *Pol.* 8., quàm Philosophus 8. *Æth. c.* 11. vocat *secundùm* excellentiá, in qua inferior superiori debet reuerentiã, de qua abũdè disseruimus in *t.* 1. *Monar.*

Liberos natura parentibus conciliauit, quia cum Æconomica potentiam exigat, & sapientiam; fælix illa domus, in qua senum consilia, & iuuenum facinora amicè coeunt, & vnà conspirant.

XXXIX *filij à patre; filiæ à matre educãdæ.* Simile cum appetat sibi simile; filias prædiligit mater, vt filios pater. Hinc onus educationis natura diuisit vt masculi à patre, fæminæ æducentur à matre, vt istæ pudorem, & solitudinem: illi confidentiam edoceantur & fortitudinem.

hæreditas in virtutis, quàm in thesauro cõsistat. De virtute magis quàm de fortuna solicitus, thesaurum pater congreget imarcessibilem, vt aduersùs fortunam habeant liberi, quo beatè viuant. Hæc est virtus, quæ amissis omnibus, nihil amittit, aiebat ille Stilpon qui capta patria, amissis liberis, & vxore, cum ex incendio publico solus, & tamen beatus exiret, interroganti Demetrio, quid perdidisset? *Omnia* (inquit) *bona mea mecum sunt.* Seneca ep. 9. Ecce vir fortis ac strenuus ipsam hostis sui victoriam vicit. *Nihil* (inquit) *perdidi. Omnia mea mecum sunt. Iustitia, virtus, temperantia, prudentia.*

XL *educatio fiat iuxta indolem naturæ.* Indolem foueat naturæ, nec aduerso cogát nauigare flumine. Quem natura vocat in castra, pater ne ducat ad chorum. Naturæ semina sequamur, cum illis aduersantes frustra operam insumamus, ætatem perdamus. Malè respondent coacta ingenia, reluctante natura (ait *Seneca de tranquill. an. c.* 5.) irritus labor est. Vnde & Latini, *Ne quid inuita Minerua.* Sic enim est faciendum (ait Cicero 1. *Offic.*) vt contra naturam diuersum nihil contendamus: ea tamen conseruata, propriam naturam sequamur. Neque enim attinet repugnare naturæ, nec quidquam sequi quod assequi nequeat. Natura veluti dictator quidam domesticus est, cui parendum, vel violenter resistendum est. Genium non obstet ingenio. Vtrumque ludo experire; vbi animus sine larua nec dolos cogitat, nec simulare sustinet. *Carolus V* natura inclinante militaribus disciplinis magis, quàm literis deditus, impubes adhuc cum nulla maiori teneretur voluptate, quàm scribere suosque in ordinem distribuere, ex coæua puerorum classe militem in ludicra ducere certamina, præmijs mactare victores, carceribus victos; Lucas Vittembergensis pictor cum imaginem Caroli ordiri satageret, Carolus verò sepè ad diuersa loca respiceret, vt solent pueri, mirificè fabrefactum telum Lucas aduerso appendit parieti, à quo cum Carolus oculos non deflecteret, Lucas feliciter picturam absoluit; veterum morem sequutus, qui pueros ludentes spectare solebant, ex ludicro arguentes qualis futura esset seria puerorum indoles.

Naturæ itaque rigidus speculator filiorum educationem ad normam naturæ instituat, cuius tanta vis erit, vt probè educatis, legibus opus non sit. Rogatus Lycurgus cur legibus non vteretur, respondit, *quòd benè instituti temporis vtilitatem norint.* Institutione verò neglecta, frustra feruntur leges, quia frustra imperatur ei, qui obedire non didicit. Phocion legatis Philippi Macedonis hortantibus, vt liberis prospiceret, respondebat; *Si boni euaserint, facile ditescent. Si mali, quorsum debeam illorum malitiam opibus alere & augere?* Æmil. Prob. in Phoc. Sit vnum educationis præceptum, optimum exemplum. Non enim ineptè Diogenes temulentum improperauit iuuenem, cum dixit, *Pater ebrius generauit te.* Relucent in vitijs adeo parentum vitia, vt Lymirni quamuis in commune filios generarent, & similitudine quisque sobolem coniectare soleret, non coniectura necessaria, sed probabili, cum multum hic possit imaginatio, quæ in fætu est causa secunda similitudinis: Nihilominus certum est parentum vitia, seu cogitationes præposteras in liberis sæpissimè effigiari. Vnde diligenter curent parentes ne ad lectum animum ferant, qui liberis postea non sit pudori, Reipublicæ verò detrimentosus. XLI *vis educationis.* XLII *vitia parentum relucent in filijs.*

Natis suis tempestiuè prouideat, filiabus præcipuè, cui natura dedit citiùs pubescere quàm masculo: vel cum pari ætate naturaliter masculus pubescant & fæmina, fæminam leges præire voluerint, quia in filiæ custodienda XLIII *tempestiuè prouideat filijs, filiabus præcipuè.*

pu-

pudicitia maior sit difficultas, cui vt occurratur faciliùs ipsi permittitur nubere. Eademque est ratio, cur pater filiam exhæredare non possit, etiamsi illa turpem vitam elegerit, & in corpus suum peccauerit: dummodo pater conditionem ipsi non quæsiuerit intra annum ætatis XXV. *L. sed si post. C. de Inoff. testam.* Sibi namque imputet parens, quod filiam cælibem voluerit, quam natura decreuerat coniugalem. Caroli Magni filiæ iuuentæ sunt matres, priusquàm pudoris cingulum solueret maritus, quia parens hoc vnum ignoraret, filias magis diligere sponsum, quàm genitorem.

De Domino & Seruo.

xliv *Seruus quotuplex?* Quod Principi minister est, hoc Domino seruus; quem vel à *seruiendo*, vel à *seruando* dicimus seruum. A seruando, Gentium vel ciuili iure in bello capti, vel ad pretium participandum sese venundari passi, cum eorum vitæ & necis potestas in manu dominorum esset, quia non occiderentur, sed seruarentur, dicti sunt serui. *De Iure Person. Instit.* 1. Aristoteles addidit & iure naturæ. 1. *Pol.* quãdo videlicet natura hominem generauit adeo rationis impotentem, vt sibi ipsi de victu & salute prospicere non possit, illum ad seruiendum generasse videtur. Dominorum in seruos olim tanta potestas, vt etiam sine causa impunè liceret in seruum ad necem sæuire. Correcta tamen, vt nulli liceat in seruum vltra modum sæuire: & aduersùs dominorum sæuitiam liceat seruis ad Principum statuas confugere, vel ad ædem sacram, quia dominorum potestas debeat potiùs in pietate quàm in attrocitate consistere. Hæc in speciem dixère Cæsares Romani. Maiestatis arcanum fuit dominorum amplam moderari potestatem, vt priscæ tollerent adhuc lacerta mouentis libertatis vestigia. Alia erat etiam seruitutis species, qua creditores adducebant debitorem, qui soluendo esse non poterat, in seruitutem: aut si plures essent creditores, diuidebant debitoris artus inter se. Verba legis recenset *Gellius lib.* 20. *c.* 1. S. Cæcilius legis excusat feueritatem, quòd maiores Romani fidem non modò in officiorum vicibus, sed & in contractibus pœnarum metu vellent seruari. Addit tamen neminem ob æs alienum fuisse dissectum.

xlv *ius domini in seruos.*

xlvi *vtilior est dominus, quã mãcipiũ.* Seruo quem à seruiendo dicimus, sit nobis vtilius mancipiũ: credo vtiliorẽ seruũ, qui lucri dulcedine captus nil omittit, quo sibi dominum conciliet beneuolum. Captiuus verò cum aduersæ fortunæ vincula ferat inuitus, nonminùs odit captiuitatem, quàm captiuitatis auctorem. Hinc Philosophus 2. *Pol.* 7. inutilem & perniciosam Reipublicæ dixit seruorum multitudinem, qui si asperè tractentur, insidiantur: si molliter, superbiunt, & se dominis pares putant. Totidem nobis hostes esse, quot seruos: in prouerbium abijt, scribit *Macrob.* 1. *Satur.* *c.* 21. Appius Sabinus cum collectis exulum, & seruorum quatuor millibus Capitolium ascendisset, seruosque omnes ad libertatem proclamasset, maximus timor erat, ne suus cuique domi hostis esset, cui nec credere, nec non credendo, ne fieret infestior, fidem abrogare satis tutum erat. *Liuius lib.* 3. Poterunt autem serui eo magis in dominos armari, quo plures fuerint: sicut Athenis aliquando 10000 peregrinorum 20000 ciuium, sed seruorum 40000 censa sunt. Quòd si potentiam suam nossent serui, quantilla opera potuissent dominis imperium eripere. Propterea cautè intercessit Romanus Senator I. C. de distinguendis ordinibus per vestitum, ne si multitudinem suam viderent serui, contra dominos insurgerent, *Bodinus de Republ.* 1. *c.* 5. Nam Tyrios eicere serui, *Iustin. lib.* 18. Scythas ex Media redeuntes, à patria repulere serui, *Herod. lib.* 3. Hinc apud Christianos consuetudo inolæuit, vt liberos homines tractandi mancipia, quamuis vsque ad annum 1190. durarit captiuitas. *tit.* 9. *&* 10. *Decretal. V.* Vbi adhuc *Alex. III. Vrbani VIII. Innoc. III. & Gregorij IX.* decreta leguntur de seruorum connubijs, & ex eis prole suscepta. Auctorem credo Christianam pietatem, cui & prudentia famulatur politica, ne seruili conditione obrueretur libertas. *Serui perniciosi Reipublicæ.*

Seruos habet necessitas, non voluptas. Nam qui vnicum habet, totum habet. Qui duos habet, dimidium habet. Qui tres habet, nullum habet. Socij namque confidentia officium prætcrit; & negligentia non punitur quia communis. Superbire seruum dominus non permittat, herile indulgendo offitium; ne more canum latret in dominum. Sit custos non dominus. Est qui seruos foueat discordes vt Cato, ne coirent in damnum domini. Improuida tamen cautio, & calumniæ mater, quæ seruum loquacem facit etiam aduersùs dominum. xlvii *Serui quot sufficiant?*

Postrema seruitus & plena discriminis fæminea est. Parantur vt seruiant. Seruiunt amori, & conseruorum dilectio domini præualet imperio. Faciliùs ciuitatem ab hostibus defen- xlviii *famularum iu. honestas.*

des, quàm à conseruis famulam: non enim seruabis quod ipsa perdere festinat. Similitudo conditionis amorem conciliat. Consuetudo & colloquia libidinem. Libido, & paupertas facile conueniunt in compilatione domestica. Tanto incomodo quomodo consulas, non habes; quia Amori patent omnia, nec Vulcanus clauem celare potuit, quæ honestatem celaret amori. De honestate filiarum, coniugisque saltem solicitus time: ne eodem pretio famula vænalem faciat ac suam. Perfidiam itaque reprime vernæ custodia, & paruulorum excubijs. Hi fidem custodiunt, quousque impubertas seruat innocentiam. Præsumptionibus quandoque contentus etiam temerarijs esto vigilans, & rigidus censor, vt aduersùs malitiam cautela sit quandoque correcta innocentia. Po-

xlix *dominus vigilet.* stremus omnium cubitum perge: nouissimus surge. Mortalis licet fabulosus fores Argus, non satis cerneres. Quomodò dormias, disce. Dormiente namque domino, serui insidias struunt. Hæc de Æconomica. Vltimo loco stat

Prudentia Politica.

l *respicit bonū publicum.* Homo namque publica postponit priuatis, cum publica priuatis sint anteferenda bonis. Relatiua cum sit prudentia politica, à Monastica differt, quòd hæc velit bonum sui: Politica bonum commune. Tyrannum seggregabis à Principe, vbi (ait Sallustius) *regium imperium, quod initio conseruandæ libertatis atque augendæ Reipublicæ fuerat, in superbiam dominationemque conuertit.* Et illud Curtij *lib. 6. Illi pro libertate, hi pro dominatione pugnabant.* Quæ causa est, ob quam sapientissimi Romanorum principes, domini vocabulum fastidiuerunt:

li *domini nomen odiosū in Regibus.* veluti de Augusto, & Tiberio Suetonius; de Traiano Plinius. Hinc illud Poetæ

Tu domini nomen, principis iste tenet.

Omnia cum ab exordio fuissent communia, omnesque vno communi vocarentur nomine, *homines*. Incognita essent libertatis, & seruitutis vocabula, desierunt omnia possidere, dum volunt propria. Per iniquitatem alius dixit hoc esse suum, alius istud; & sic inter mortales facta est rerum diuisio. Primi tamen mortalium, quique ex his geniti, naturam incorrupti se-

lii *cur regna inuenta.* quebantur (ait Seneca *ep. 90.*) eamdem habebant & ducem, & legem commissi melioris arbitrio. Naturæ est enim potioribus deteriora submittere. Mutis quidem gregibus aut maxima corpora præsunt, aut vehementissima.

Non præcedit armenta degener taurus; sed qui magnitudine ac toris cæteros mares vicit: elephantorum gregem excelsissimus ducit: inter homines pro summo est optimus. Animo itaque Rector eligebatur; ideoque summa felicitas erat gentium, in quibus non poterat potentior esse, nisi melior. Tantum enim quantum vult potest, qui se nisi quod debet, non putat posse. Illo ergo sæculo, quod aureum perhibetur, cur penes sapientes regnum esset? Posidonius soluit: *Hi continebant manus: suadebant, dissuadebant, vtilia atque inutilia monstrabant. Horum prudentia, ne quid deesset suis, prouidebat; fortitudo arcebat pericula; beneficentia augebat, ornabatque subiectos. Officium erat imperare, non regnum:* Seneca. Non requiruntur æ- liii *malus homo potest esse*
quidem ad Regem constituendum virtutes omnes, nam & vitiosus homo iustum patitur Regem, & vtilem principem. *Aliter* (inquit Augustinus *ep. ad Bonifac.*) *seruit quia homo: aliter quia Rex est. Quia homo est, seruit viuendo fideliter. Quia Rex est, seruit, leges iusta præcipientes, & contraria prohibentes, conuenienti rigore sanciendo.* Regis officium ab eius persona desumi debet, quæ publica est, & consistit in gubernatione subditorum. *bonus Rex.*

Consulere patriæ, parcere afflictis, fera
Cæde abstinere tempus, atque iræ dare
Orbi quietem, seculo pacem suo.
Hæc summa virtus, petitur hac Cælum via.
Sic ille Patriæ primus Augustus parens,
Complexus astra est, colitur & templis Deus.

Seneca *in Octau.*

Optimus Rex erit si regulam Traiani sequatur: *Talem me præstabo imperatorem priuatis, qualem optarem ipse priuatus.* Vt gubernatori cursus secundus, Medico salus, Imperatori victoria, sic moderatori Reipublicæ beata ciuium vita proposita est. Quilibet amat bona sua, eumque qui bona tuetur. Deteriora potioribus natura submisit, ne victa iaceret pietas: viueretur ex rapto; nec hospes ab hospite tutus: immineret exitio vir coniugis: illa mariti. Rex non creatur, vt seipsum curet: sed vt populi feliciter degant. Principis est, quidquid omnium est: tantum ipse, quantum omnes habent. Rogatus M. Alexander vbi suos haberet thesauros? apud subditos respondit. Sic *Io: Baptista Cornelius* cognomento *Piscopia* D. Marci Procurator *Elena Corneliæ* parens, quæ sola ab Orbe condito legitur Doctoratus lauream meruisse, & obtinuisse in Patauino gymnasio Sal. liv *Rex optimus qualem optaris.* *Regis thesaurus vbi reconditur.* lv

Anno

Anno 1678. Orbe admirante vniuerso) cum ex officio Venetorũ adstaret Sanctuario, quod *thesaurum* vulgus appellat; vulgare vocabulum irridentibus quibusdam nobilibus, qui cum Cardinali *Machiauello* Ep. Ferrariensi reliquias,inuisebant, respondit *Thesauri populare esse nomen, Sanctuarium à decemuiris dici. Thesaurum namque Reipublica seruari in cordibus populorum, quos Veneta Respublica regebat vt mater, non vt nouerca.*

lvi *quomodò regere debet Princeps*

Principis maiestatem fulciant Iustitia, & Beneficentia.Premium,& Pœna. Nulla enim dura videtur curatio, cuius salutaris effectus est.Ita legum præsidem, ciuitatisque rectorem decet, quandiù potest, verbis,& his molliori. bus ingenia curare, vt facienda suadeat, cupiditatemque honesti & æqui conciliet animis, faciatque vitiorum odium, pretium virtutum: transeat deinde ad tristiorem orationem,quæ moneat adhuc & exprobret: nouissimè ad pœnas,& has adhuc leues & reuocabiles decurrat: vltima supplicia sceleribus vltimis ponat, vt nemo pereat, nisi quem perire etiam pereuntis intersit.*Seneca lib. 1. de Ira c. 5.* Armis præualeat consilium. Melior namque est sapientia, quàm vires.*Sap.6.1.* Omnia in gladio experiri fuit gigantum stultitia,glomerare montes, nec minùs lapidum quàm scelerum mole onerare terram, vt sceptrum extorquerent Assyriæ, & torquerent Assyrios. Gentilitas ipsa licet falsorum deorum delusa cultu non ignoraret, Deũ alienis consilijs non indigere; magnum tamen Iouem, quem aliorum faciebat præsidem, & Archiceraunum;hoc est fulminatorem,& Tonantem,quòd soli ipsi potestas iaculandi in homines fulmina concessa fuisset, tamen eam sibi legem imponere voluisse dixit vt iacularetur,quin priùs Deos omnes,quos Superiores, & Inuolutos, siue Consentes dicebant) consuleret.

lvii *consiliũ armis præualeat.*

Inconsulta cauet iaculari fulmina, sæuus
Nec nisi consilio fulgurat Altipotens.

Non semper potentior præualet. Ludit quandoque fortuna.Paruis magna nitent. Natura ipsa eludit, & animalibus paruis premit grandiorum assultus.Remora adhærente carinis,tardiùs naues ire creduntur. Elephantes vidit Roma subire currum Pompeij Magni Africano triumpho. *Non semper vires*, fuit adagium Mænandri. Quia temeritas multis fuit causa malorum.Si vis timeri,time.

...*Non solum viribus equum* .... Val.Flac.
Credere,sæpe acri potior prudentia dextra.
Et Euripid.
Mens vna sapiens plurium vincit manus.
Exiguum est viri robur, præualet autem animi industria.

Se nouies à Diuo Augusto in Germaniam missum aiebat ad Germanicum Tiberius, plura consilio,quàm vi perfecisse. *Tac. An. 2.* Ad summam rerum ascitus, vt Prouincias foueret discordes,dicebat sæpè externa consilijs & astu moliri, arma procul haberet. *An. 6. Tacitus.* Summum regiæ prudentiæ arcanum. Concordiam domi,discordiam foris excitare.Post frequentem victoriarum cursum Hollandia victor vt victus secessit Hispanus, quia manus crederetur præstare consilio.

Vis consilij expers mole ruit sua
Vim temperatam dij quoque prouehunt
In maius: ijdem odere vires
*Omne nefas animo mouentes.*Horat.*l.3.Od.4.*

lviii *regia prudentiæ symbolũ.*

Regiæ prudentiæ symbolum *mustela* est, cum rutam depasta basiliscum interimit, sub lemmate *cautiùs pugnat*.Cautiùs,non fortiùs. *Qui cuncta enim agunt consilio* (aiebat Tullius 2. *Offic.*) reguntur sapientia, & quidquid ordine, & regimine caret,lætos non habet exitus.*Pleraque in summa fortuna, auspicijs, & consilijs, quàm telis & manibus geri*, scripsit Agathias *lib.2.Histor.*Ex eo Salomonis *Sap 6. Melior est Sapientia quàm vires. Melior est Sapientia, quàm arma bellica.* Quibus insistens Alciatus idem suo emblemate designauit sub figura Bellerophontis Chimeram superantis

Bellerophon vt fortis eques superare chimeram
Et Lycij potuit sternere monstra soli:
Sic tu Pegaseis vectus gens æthera pennis
Consilioque animi, monstra superba domas.

lix *dictũ prudens Eduardi IV. Regis Anglorũ.*

Aiebat *Edoardus IV.*Britanniæ Rex sibi magis imminere *Carolum* cognomento *Sapientem* Francorum Regem, quamuis inermem, quàm eius patrem & auum tot stipatos exercitibus:Magis timere *Caroli* epistolas, quàm cæterorum hostium phalanges: quòd more Romano sedendo vinceret, dum alij pugnando. Sub Iani bifrontis imagine regem pinxit antiquitas, non sub terribili Martis aspectu; quia prudentia non vis in ciuilem societatem genus traduxit humanum.Hanc æmulatus *Iacob* Scotorum Rex, Ianum assumpsit in symbolum sub lemmate *Vtrumque*; tempus scilicet respiciens præteritum, & futurum, quo consilium probaret prius,an Reipublicæ vtile fore, sibi glo-

gloriosum, promptum effectu, aut certè non arduum sit. Armorum discrimen nouissimum sit, *Anchoram* dicunt *sacram*, quam nautæ soluunt, cum extremo periculo se laborare præsentiunt. Deliberet diu, semel statuat. Festinet lentè, & Q. Fabij cunctatione edoctus, Minutij fugiat temeritatem.

Vnus homo nobis cunctando restituit rem:
Non ponebat enim rumores ante salutem.

More fluminum erumpat; inter cuoiculos lateat; exiguo disrumpat puluere montes. Ius quod alij credunt in armis, quærat in literis. Martem ipsum implicare facile est, & deorum oculis deridendum obijcere. Plus valet Rex in conclaui quàm in castris: plusque potest literario quàm tormentario puluere. Domi sedens *Philippus II.* Rex Hispaniarum metum toti intulit orbi: vt hostes vel timidi arma deponerent: vel prouidi militem scriberent, quòd Rex prudens in bello & pace esset æquè terribilis. Armatam Palladem Hispanus Iuppiter tenebat in capite, vndè inter hostes bellum suscitaret ad libitum. *Rudolphum II.* Imperatorem sub Archimedis imagine habes in hieroglyphico terram librantis: non phalangis, & vectibus, sed voius serpentis pondere, qui prudentiæ symbolum est: dum in eodem hieroglyphico fatigati cadunt sub pondere Atlantes. Solus *Rodulphus* sedendo Orbem flectit, quasi luderet & terrarum rectores deluderet sapientiæ lumine, dum alij armorum obruti mole in se ruunt. *Pleraque in summa fortuna auspicijs, & consilijs, quàm telis, & manibus*
lxi *geri* aiebat Tacitus *An.* 13. Sint porrò honesta consilia; & prudentia pia non impia. Vnicum sit prudentiæ præceptum. Populus obediet Regi, Rex legi diuinæ & naturali à quibus vt eum eximere non vult diuina Maiestas; regalis noo potest. Themistocles cum populo Athenarum

Pruden-tia pia.

retulisset se reperisse consilium, quod summopere pertineret ad Reipublicæ dignitatem, sed id eius generis esse, vt proferri non expediret; censuit populus vt vni Aristidi indicaret; si is probaret, probaturos omnes. Cum igitur Themistocles indicasset Aristidi, se de incendenda Græcorum nauali statione cogitare, sic enim fore vt toti Græciæ dominarentur Athenæ; Aristides ad populum retulit, *Themistoclis consilio nihil vtilius, sed eodem nihil inhonestius.* Quo audito vetuit populus, ne super ea re in posterum Themistocles verba faceret. Quia
Nullus in bello iniustus, redijt incolumis, aiebat lxii
Euripides apud Stobæum *ser.* 52. *de Imperator.* Prudentia cum sit virtutum princeps, reliquisque omnibus vtitur, atque ipsarum ordinem, modum, & occasionem in præsentia, tanquàm oculus quidam mentis vndequaque lucidissimus, ostendit, Generatur hæc primùm à sincera perfectaque mente, atque sic genita in ipsam mentem intuetur, à qua perficitur, modumque & exemplar inde sibi pulcherrimum omoium suarum actionum habet. Quod si quæ nobis etiam cum Deis intercedit communitas, ea maximè virtutis huius gratia consistit, & per hanc in primis ipsis assimilamur. Huius beneficio bona, & vtilia, honesta & turpia discernimus, factaque conuenientia iudicamus & emendamus. Denique vt paucis omoia complectar, gubernatrix est hominum, & omnis inter ipsos constitutionis est princeps. Ciuitates quin etiam & familias, priuatamque singulorum vitam ad exemplum diuinum referens, qua potest optima similitudine depingit, hoc delet, illud inscribit, vtrobique assimilationis modo studens. Merito igitur Deo similes facit sui possessores prudentia: *Iamblichus* apud Stobæũ *ser.* 3. *de pruden.* Si Deo similis est princeps prudens, caueat ne fiat per iniustitiã dissimilis.

prudẽtia est virtutum princeps

Deo assimilatur prudens.

MA-

LIBER XLVIII.

CAPVT PRIMVM.

MATHIAS I.

OCCIDENTIS IMPERATOR XLVIII.

1. 12. Mathiæ Imperatoris prudentia, fortitudo. pacem gladio scribit. 3. eius dies natalis sacer D. Mathiæ. 4. 9. iudæorum vsuras comprimit. 6. Belgij præfecturam deponit. 7. victoria in Turcas. 8. Hūgariā vsurpat inuito fratre Rudolpho. 13. mors.
2 Musica ortum habet ab arte fabrili.
10 Bohemi haretici rebellant.

1 BElli Pacisque moderatorem aduersùs Othomannos do tibi *Mathiam* Imperatorem. Minantem Turcam paucis comprimit, Martem monstrãdo & Pacem sed in vinculis; vt quem malet, eligeret. Idem habes in puero oliuam præferente, & gladium. Nec aliter cum tyranno luditur: Si timeas, victus porrige manus, Pacem habebis, si bellum pares. Non furor sed otium cum arma ministrat, non est spes vana victoriæ. Musicam, quæ est pacis symbolum, Iubal à Tubal inuentore fabrilium edoctus dicitur; cum malleos 11
resonantes auscultans, & fabros percutientes, ipse ad mallei sonitum, sonoros est modulatus concentus. Hinc cithara, lyra, psalterium, buccina, fistula in fusoria, vbi ferrum coquitur, & flagellatur, stant appensa, quod ibi Musica sit sortita natalia.

ALLVSIO AD HIEROGLYPHICVM.

I.

TVrca minabatur regnanti extrema Mathiæ
Ast hæc dicta minis ore tonante dedit.
Siccine in heroes vibrantur fulmina linguæ!
Extollit tumidum siccine turca caput?
Iste ne Regis honor? miles subito arma capescat,
Sternere eum Pacis fœdera sancta cupis.
Obstringunt nostræ pacem, bellumque catenæ,
Tu mihi dic cuius soluere vincla iubes.
Ecce infans gladium, necnon tibi portat oliuam,
Illius è manibus quod cupis ipse rape.
Instrumenta parat Vulcanus suauia nobis,
Post pugnas nempè prospera Pax aderit.
Hæc ait inuictus, dictumque paratus ad omne;
O animus Summi Principis impauidus!

Ponginus.

II.

CEdat Alexander; tum Cæsar Prælia cedat;
Matthias, Ambos æquat in Arma, Duces.
Æquat; & hos Geminos, dubium, num vicerit Vnus?
Sic Alij: at vicit, profero Certus, Eos.
Illi, Bella Manu gesserunt fortia tantùm:
Bella Manu, & Pacem nam simul Iste gerit.
Signat Humum Gladio; qua dum Victoria Pacem
Exarat; Victor, parta Trophæa struit.
Culta sub Ense, viret Mauortia Terra; Triumphos
Germinat. & Fructus, Pacis Oliua dedit.
Exigat vt Pacem; dat mutuò Bella per Orbem;
Ex Armis lucrum, Primus in Orbe, facit.
Parcere dum vincit; dum parcit vincere Reges;
Nemo, vel Has Artes Austrius Ense, docet.

M. Antonius Moles Neap. S.T.D.

III.

ECce tibi Pax & bellum facunde Dynasta,
Elige vtrum mauis; Cæsar vtraq; valet;
Pacem optas? Pacem spondet tibi germen oliuæ,
Si bellum? belli pondus hic ensis habet.
Cernis vt arma paret Tubal, pax otia nobis
Dum facit! alludit Cæsaris Ingenio.

Franzinus.


Arn. van Westerhout Inventor
Cor. van Merlen sculpsit.

MATTHIAS I.

Sal. Ana. 1557

OCCIDENTIS IMPERATOR XLVIII.

ELOGIVM.

Archiducis, Gubernatoris, Regis, Imperatoris — *Archidux Austria, Gubernator Belgij. Rex Hungarorum, Bohem, Imperator.*
Ne imago deesset,
Cecidit sors super Matthiam.
Felici sanè omine, & nomine,
Die 24. Februarij. D. Matthiæ natali, *Matthias* renascitur *Hunniades*; — III. *dies natalis Matthia.*
Ferreo seculo aureum dedit exordium,
Cum inter Austriæ astra; Astræam reposuit. — IV. *iustus.*
Iouem in terra diceres, ludentem cum filijs hominum,
Semper tamen in numero, pondere, & mensura.
Percusso cum Iustitia, & Pietate fœdere,
Ciues amauit vt filios, castigauit vt pater; — IV. *Clemens.*
Nunquàm strinxit in viscera ferrum.
Hostes non habens, nisi quem Deus,
Præter Iudæos, & Turcas, reliquos hospites habuit, — V. *Iudæorum vsuras comprimit.*
Vt stabile foret in sua vertigine Mundus,
Vno rotauit Polo, & hic Religio,
Quæ principium motus, & quietis.
Belgio donatus, bella non expauit, sed belluas,
quibus erat Religionem reformare, vt Regem deformarent.
1577. Non callidus, sed fide calidus — VI. *Belgij Præfecturam deponit.*
1508. Deum, Regem, Regnum acquisiuit,
regimine Prouinciarum reiecto.
Pannoniæ præfectus
Cum malum minari supremum malè parentibus crederet;
si abiret è regno;
Rempublicam non sibi dissimilem habuit.
Mortuas leges suis moribus excitando,
Vnam dedit pro cunctis, Exemplum.
Surgente hoc astro, occidit in Oriente Luna,
Quæ Solem ecclypsatura tam propè accesserat,
Vt inter tot olim Christianorum propugnacula,
Vix Christo locus esset in diuersorio.
Breui tamen Tyrannus sensit,
Deum exercituum Austrijs militare stipendijs. — VII. *Matthiæ Victoria in Turcas.*
Fugato *Sinano*, Strigonio recepto,
Nouigradum gradum *Matthia* fecit ad palmas.
Et perditis cum Vacia Hatuano, cum Iaurino Tata,
Murathes, & *Mehemethus* vrbe excesserunt, & Orbe.
Ipsum demùm regni caput Albam Regalem,
Matthias (contractis in diem Annis)
Trium dierum spatio, Hungariæ restituit, Hungariam sibi, — VIII. *Hungariam vsurpat iaaito fratre Rudolpho.*
Iniuria tamen, non iure
Cum vicisset *Mathia* manus, sed *Rudolphi* gladio.
Accuso Romulum, excuso Pompilium.
Vi occupauit, iure rexit. — IX. *Mathiæ iustitia.*
Lunam vidisses sub pedibus eius,
Ni regiæ fidei obstitisset Bohemorum perfidia.

X. *Bohemi Haeretici rebellant.*
XI. *Caesarei ex turri praecipites dantur, sed innocui.*
A *Turriano* ex Bohemica turri praecipites dati Caesarei
Superstites cruciatibus Martyres,
Ea in fossa haud tumulum repererunt, sed religionis fundamenta,
quae verè solidatur in petra,
Grana fuere frumenti, quae tantam exercuerunt in messem,
Vt Bohemia se Fidei nutricem agnoscat.
XII. *prudentia, fortitudo.*
Tantis in dubijs Oedipus Austrius, consilijs Tripus,
Bohemiae pacem, Pannoniae regnum, Moscho foedus,
Turcis leges stylo exarauit ferreo.
Mare, Syluas, Vrbes, Orbem, Orbes,
purgauit, placauit, plantauit, si non creauit, recreauit,
Iustitia, Pace, Pietate.
Orphaeus in syluis, Arion in Mari, Amphion in vrbibus,
Vbiquè Deucalion
Fidem excitauit, & Imperium.
Diuisum (dixisses) *imperium cum Ioue Caesar habet*;
XIII. *Mors.*
Ni versa Martis alea
Et ad barbarum Vacia, Pesto, Hatuano, Strigonio reuersis;
Vindicem sustulisset, non vindictam. 1618.
Fortuna mendax
primùm applodit, mox supplodit, tandem explodit.
Obijt bellico more, Coelo tonante; fulgure disiectis moenibus
Ita Coelum ingreditur Christianus Imperator.
Obuios coelites habuit accensis facibus,
Non minor debetur triumphus ei,
qui verbo praeest, & exemplo.

CATENA HISTORICA CAP. II.

1 *Matthias Imperator nascitur die Sacro S. Matthiae, 2. sub quo adoleuerit, 3. vxor. 4. eligitur Imperator. 5. Iudaeorum vsuras comprimit. Haereticorum munitiones deturbat. Comitijs adest Ratisbonae. 10. recusat cum Ferdinando Austrio arma sociare in Venetos. 14. tentat soluere Protestantium foedera. 15. successorem designat. 25. in Bohemos nouatores mouit. 27. obitus cometa praedicitur. 28. inscriptio, symbolum.*

3 *Annae Austriae vxoris Matthiae Imper. religiosissima nummisma.*

6 *Bethlem Gabor Daciae princeps.*

8 *Carolus Emanuel Sabaudus mouet in Ferdinandum Gonzagam.*

9 *Vscochi latrocinijs dediti, Venetis molesti.*

12 *Magdalena Bauara nubit Duci Neoburgico, cuius gratia vir Catholicam iurat religionem.*

16 *Ferdinãdus II. eligitur Rex Romanor. 18. fit Rex Hungaror. 21. in eum Bohemi coniurant.*

17 *Fridericus Palatinus obstat electioni Ferdinandi II.*

17 *Maximil. Bauarus recusat imperium ei à Palatino oblatum.*

20 *Melchior Cleselius Cardinalis custodiae datur. 21. effigies.*

22 *Gulielmus Slabata è fenestra praeceps datur: miraculo liberatur: effigies.*

22 *Iaroslaus Borsita è fenestra praeceps datur, miraculo liberatur: effigies.*

22 *Philipus Fabritius praeceps. è fenestra datur*

23 *Henricus Mathaus Comes Turrianus rebellium caput in Bohemia. effigies.*

25 *Henricus Comes Tampterius in Bohemos mouens, tarditatis accusatur. effigies.*

25 *Ernesti Mansfeldij gesta, impietas, 26. effigies: Pilsam expugnat.*

25 *Carolus Longueuallius Comes Bucquoij in Bohemos mouet. effigies.*

25 *Carolus Dux Sabaudiae fouet Bohemiae rebelles. 26. effigies. 8. molitur in Ferdinandum Gonzagam.*

26 *Pilsae ciuitatis insigne cur Camelus?*

27 *Friderici Electoris Palatini effigies, ambit coronam Bohemiae.*

Mu-

I MAtthias I. frater *Rudolphi II.* Cæsaris, Viennæ nascitur Anno 1557. die 24. Febr. D. Matthiæ Sacro; felici sane omine, & nomine. Si quidem ex victorijs in Turcas adeptis, facilè inuictum illum *Matthiam Hunniadem Coruinum*, Hungariæ Regem, Ottomanici no-
II minis terrorem in illo renatum crederes. Patrem habuit *Maximilianum* Imperatorem, & *Mariam* filiam *Caroli V.*

Adolescentia eius ab *Augerio Gisleno Busbequio* Belga, Imperatoris *Ferdinãdi* I. ad *Solymannum* Imper. Turcarum, Exlegato, optimis moribus, ac disciplinis informata, & de re militari contra Turcas instituenda copiosè instructa fuit.

Vxor.

Vna illi fuit *Anna* consobrina sua filia Ar- III
chiducis *Ferdinandi*, & *Annæ Mariæ* Mantuæ Principis filia; ex qua prolem nõ suscepit. Obijt religiosissima, & auitæ religionis perquàm studiosa tribus ante maritum mensibus. Habuit in symbolo *laureolam* è cęlo pendentem super Imperiale sertum, cum lemmate, *Manet vltima Cælo*, pietatis, ac religionis argumentum. *Numismata Mariæ.*
Mathias verò Aquilam iuxta Solem, sub quo imperiale diadema. Tenet Aquila Orbem, sceptrum, gladium sub lemmate, *Firmatum cælitus omen*.





Imperator Eligitur.

IV Post felices in Turcas *Matthias* expeditiones susceptas, Posonij Anno 1608. in Regem Hungariæ; triennio post, Pragæ in Regem Bohemiæ inauguratus, tandem Anno 1612. III. Id. Iul. Francofurti præsenti omnium Electorum (præterquàm Brandenburgici) suffragio creatus Imperator, statim Augustalia sumpsit, redimita simul *Anna* coniuge sua.

V Suscepta Imperij administratione, post reconciliationem Senatus Francofurtensis cum plebe, à qua dissidebat, Iudæorum vsuris modum imposuit; seuero edicto Coloniæ Agrippinæ aduersùs Mulheimensem Hæreticorum munitionem prospexit: indixitque in annum proximum Ratisbonensia Comitia, quibus ipse præfuit, memor, quàm parùm proximis per *Ferdinandum* Archiducem *Rudolphus* effecisset.

Iudæos corrigit. *Hæreticorũ munitionem deturbat.* *comitia Ratisbonæ.*

Hic Protestantium plurimi, dempto Electore Saxoniæ, & *Ludouico Hasso* (quorum ille exclusus Iuliacensium terrarum possessione, hic à *Mauritio* patruele præfectura exutus Marpurgensi, alieniores se à feruidis reliquorum consilijs gerebant) more suo conqueri cœperunt; onerari Euangelicos, dum summi tribunalis iudices, seu Spiræ, seu in aula proscriptiones, aut alias pœnas in eos facile decernũt, aduersæque religionis principibus executiones cõmittuntur. Postulant instantiùs, ne deinceps numero valeãt imparia vota, quòd ea ratione in promptu habeant Pontificij ordines in ordinem cogere Euangelicos; sed vis decidendi sit penès pares vtriusque partis suffragatores. Quum parum, aut nihil impetrarent, seque à publica consultatione, quoad querelis esset satisfactum, peruicaciùs subducerent, creuit discordia procerum. Interim nunciatur grande periculum Pannoniæ à Turcis impendere. Etenim accusato apud Sultanum *Bathoreo*, quem

Protestãtium postulata.

Sal. An. 1613. Cæſar *Boſtkaio* ſubſtituerat, quòd cum Cæſare faceret, eique tradere Daciam niteretur, primò *Andream Gretzium* Turca, inde *Bethlemum Gaborem* ſuis viribus conſtituere fiduciarium Dacorum Principem parabat, neque fidas in Pannonia ſeruare inducias videbatur.

VI *Daciæ motus.* Sane *Bathoreus* Saxonum reliquias in Dacia crudeliter habendo, dum promiſcuè quoſuis perfidiæ ſuſpectos ad ſupplicia rapuit, plus terroris, quàm virium, & roboris circumferebat. Quare profligatus à *Gaborre*, Turcicis inſtructo auxilijs, paulòpoſt ſuorum proditione, Varadini interijt. *Gabor* verò Lippa, alijſque munitionibus traditis, Turcam; dataque obſequij fide, Cæſarem placauit. Ne bellum in Pannonia renaſceretur, Arabum opportuna ſeditione factum eſt, qui Adenum Sultano ademere; *Emiris* Saidæ (is è *Gothofridi Bullionæi* poſteris ſe ferebat) filio Damaſcenum quoque purpura tum ingenti cum ſtrage proturbante. Sic inter ſpem, & metum pax vbique minùs ſincera colebatur.

Rudolpho viuente Cæſare, *Coſmo* Hetruriæ principis filio *Magdalena Auſtria* nupſerat filia *Caroli* Archiducis, cuius ſoror altera *Philippo* Hiſpaniæ Regi, altera Regi Poloniæ iũctæ erãt. VII *Principũ nuptiæ.* Hoc anno in Gallia *Ludouici* regis cum *Anna Maria Mauritia*, Hiſpana principe; viciſſim *Philippi IV.* Hiſpaniæ hæredis cum *Eliſabetha* Galli ſorore, coniugia videbantur pacem aſſerere. Sed in Italia ex morte *Franciſci Gonzagæ* Ducis Mantuani filia relicta, Monſerratenſe territorium inter *Carolum Emanuelem* Sabaudum, & *Ferdinandum Gonzagam* Cardinalem Mantuani fratrem, diſſidiorum fomitem miniſtrabat. VIII *Mantuæ diſſidia.* Neptis tutela cum ad patruum iure ſpectaret; & pro eo Galli, Veneti, Cæſar tandem decretum interpoſuiſſet; Sabaudus ope Hiſpanorum fretus cuncta turbabat. Maiora incommoda videbantur allaturæ.

VSCOCHORVM RAPINÆ.

IX IN Liburnia gens eſt, ſi proauos reſpicis, non ignobilis, cum ab eis natalia glorietur deducere, qui dedignantes Othomannorum iugum, vrbe relicta, in montana ſeceſſit. Verùm cum in paupertate difficile ſit, animi nobilitatem ſeruare; poſt varios caſus, atque diſcrimina rerum, ne ampliùs errabundi vicinis graues incumberent, à *Ferdinando* Imperatore Segniam traducti fuere, vt eam oram à Turcarum defenderent irruptionibus. Æqua mens Cæſaris raptoribus aſyllum aperuit, cum vellet claudere. Nam extorres, nouarumq; rerũ cupidi ibi conuenientes, terra, mariq; excurſionibus, pyratica incõmodi vicinis eſſe cœperũt inuito Cæſare. Hinc Pontifex, Sultani apud Venetos (quorũ eſt Adriacum ſinum liberum nauigantibus dare) inſtituta querela, ſe armatos minabantur irrumpere. Hæc cum Patribus moleſta eſſent, ad Principes, Cæſarem, & Archiducem ſub cuius imperio viuunt *Vſcochi*, diſcrimen referentes Turcarum, ni eorum inſolentia reprimeretur, cum Principum iuſtitiam, & æqua mandata effrenem coercendi populum, ex miniſtrorum auaritia, inania cederent, arma Veneti corripuere. Claſſis legatis dato mandato de *Vſcochis* perſequendis, quod anno contigit 1576. Tum Cæſar *Maximilianus* vehementer commotus, ne in poſterum Segnienſes alicui damna inferendo, pacem turbarent, mandauit ablata reſtitui, ſontes puniri, perfugia ſolo æquari. Hæc in ſpeciẽ aula, nam præda aſportata nõ reſtituitur. Miniſtri, deluſo Cæſaris decreto, conſpirabant potiùs, quàm prouidebant. Hinc Anno 1678. numero aucti, præteritorum impunitate inſolentiores facti, non minus in Venetos, quàm in Turcas graſſabantur. Strepente Turca, cum *Rudolpho* Cæſare Veneti officia renouant, vt tandem ſæuiſſimos pyratas coerceret; In Cæſare magna moleſtia, vehemens coercendi rapinas deſiderium, ampla promiſſa: contra in miniſtris ſumma negligentia, perexiguum obſequendi ſtudium, quod auaritia corrũpebatur. Hiſce officijs ſeueriora Senatus Conſulta addita. Præfecto Claſſis iuſſum, Segniẽſes obſidione premere, ne Flumine, ac Bucari oppidis commeatus importaretur in vrbem; reclamante *Carolo* Archiduce Auſtriæ, Flumenſibus ſibi ſubiectis, quos à Segniẽſium ſceleribus affirmabat immunes, nauigatione interdici, proinde per legatum Cæſaris, vt obſidione ſoluerentur, contenderet. Re tandem compoſita, factis promiſſis de *Segniẽſibus* trãſferendis; ſed & hac vice in ſpeciem. Sic anno 1595. aſſuetis illi repetitis rapinis; Veneti querelis, *Rudolphus* ſequeſtrem pacis, & promiſſi ſe ſponſorem offerens, turbo euanuit. Hæc ferè alternis annis, renouata rapina, inſurgebant. Cum pyratis lucrum adeſſet, & patrocinium non deeſſet. Anno tandem 1613. cum ſceleri ius datum canerent, dum Veneti apud *Matthiam*

Sal An. 1614. *thiam* imperatorem, vicinis omnibus, & præcipuè Sultano à pyratis damna exponerent illata; hi sex celotis Papi insulam appulsi, vbi *Christophori Venerij* triremis pernoctabat, negligentia vigilum, qui somno sopiti excubias agebant, facilè triremem occuparunt, Remiges, milites, nobiles iussi singuli descendere in celotes eorum, ad vnum trucidantur. Solus præfectus maiori reseruatus ludibrio, in conuiuio discerpitur, intestina vorantur: propinato eius sanguine in poculis, vel in eius cruore intincto pane. Caput super mēsam in disco expositum, vt illuderent, & subsannarent. Tantum facinus vt in vindictam ita ad pœnam *Matthiam* Cœsarem excitauit. Omnia tamen in cassum, prædæ participatione aulicis nonnullis corruptis. Hinc bellum vndique emergere videbatur, quod Veneti in Segnienses exercere malebant, quàm in Turcas, qui tot cladibus per Segnienses illatis irritati, iam purpurato Venetias misso, minabantur. Varia de Austriacis suspicabantur Veneti quia prædonum non reprimerent insolentiam. *Immunitæ alij tribuebant potentiæ; quia cum valida præsidij manu opus esset, pecunia deesset.* Dicebant data opera, criminis indulgentia foueri peccantem; quia sic minimo dispendio oram illam alienis armis in Turcas custoditam haberent, Veneto excubante Leone; eodemque tempore iurisdictionē in mari exercerent. Credebant alij Hispanorum dolo Austriacos excitari, vt Venetorum vires, atque consilia à Sabaudo diuerteret, nè vnà coirent; ob Mantuana dissidia. x

Bellū inter Venetos & Austrios. Ann. 1615.

Certè quoties Cœsar ad decorem Austriaci nominis, ad tutelam iustitiæ, in *Segnienses* immisit, quicognoscerent, & punirent; toties occultis arcanis frustratum est Cæsaris imperium. Hinc ad arma, Quibus *Matthias* iustissimus Imperator, quòd Venetos ad æquas pacis conditiones promptos habuisset; non sic *Ferdinandum* Archiducem, se immiscere recusauit. Gradiscam in hoc bello, Veneto oppugnante *Trautmansdorffius* masculè defendit, cœso *Pompeio Iustiniano* Venetæ militiæ magistro; sed & *Trautmansdorffius* à *Iohanne Mediceo* cæsus est.

DISSIDIA INTER DVCES BRANDEBVRGICVM, ET NEOBVRGICVM. An. 1615.

xi QVominus *Matthias* Imperator bello, quod in Venetos gerebat *Ferdinandus*, manus daret; *Brandenburgici* Septemuiri, & Ducis *Neoburgici* apertæ obstabant dissensiones, ex quibus odia, ac simultates. Orta hæc præcipuè ex sacrorum studio. Res erat tum de amouendis præsertim Sacerdotibus Romanæ fidei, qui iure suo Paræcias curabant. His *Brandenburgicus* volebat ex *Caluini* secta, *Neoburgicus* ex schola *Lutheri* præcones surrogare. Hæc rixarum, vulnerum, cædium materia, si quem pastore destitutum gregem contentiosi competitores pugnaciter inuadebant. Aliud etiam meditabatur *Neoburgicus* arcanum, quod clam iras Brandeburgici stimulabat. Indefessum nempe Neoburgici ingenium in exquirenda veræ fidei luce; & ad catholicam Religionem occulta inclinatio.

xii Ponè erat, quod *Magdalena Bauaricæ* sororis *Maximiliani* coniugium; (cuius rei Cœsar *Matthias* conscius credebatur,) ambiret; propterea Cœsar vnà cum Bauaro dicebantur Neoburgicæ causæ solito impensiùs studere. Nec aberrauit *Brandeburgicus*, nam Anno 1616. nuptiæ inter *Magdalenam*, & *Neoburgicum* celebrantur Monachij, dissimulata tamen palam *Neoburgici* religione.

Ann. 1616. nuptiæ Neoburgici cum Bauara.

Quare *Brandeburgicus* nihil cunctatus, fœdus init cum fœderatis Belgij Ordinibus, atque eorum auxilio, cum *Neoburgicus*, Magdalena coniuge domi relicta, Leodium esset profectus, ducto *Schuuēgelio* Dusseldorpium intempestæ noctis silentio improuisus aggreditur, loco haud dubiè potiturus, nisi ciues, fidei in Dominum inemores, à mœnibus nocturnos inuasores depulissent.

Brandenburgici indignatio.

Brandeburgicus tandem cum deserto *Luthero*, ditiones suas *Caluino* transcriberet, non sine populi offensione, ob eam causam Perlini xiii tumultuantis; *Neoburgicus* detracta larua, vulgatis suæ cōuersionis rationibus, Dusseldorpij, Maiorum suorum fidem magna cum celebritate professus; paulò post *Philippo* parente mortuo, in Neoburgicum Ducatum instaurauit. xiv

Neoburgicus fit catholicus.

comitia Protestātium.

His commoti *Correspondentes* (nomen hoc assumpserant *Protestantes* in conuentu Halæ Sueuorum celebrato An. 1608.) nouum indixere concilium Heilbrunnæ, postea Norimbergæ, præsentibus legatis Franciæ, Angliæ, Daniæ, & Batauorum. Anno tandem 1617. qui Lutherano nomini secularis fuit) denuò Heilbrunnæ coeuntes priora renouarunt fœdera, & cum cæteris noua percusserunt. Ex repetitis conuentibus Cæsar, magnam bellorum flammam suspicatus, eos literis, grauibusque rationibus

Cæsaris timor.

Sal. An. 1617. nibus ad huiusmodi pacta dissoluenda cohortatus est. Negarunt illi, se ab inito fœdere discessuros, quamuis Catholici nuper factam vnionem dissoluerent. His enim, præsertim Ecclesiasticis, Romæ Principem, caputque socialis amicitiæ superesse, si vel alia omnia fœdera abrumpant: sibi verò, si sua dirimant, neminem esse reliquum, cuius curis, atque vigilijs causæ suæ defensionem committant, hoc ipso prodentes, quo loco Cœsarem haberent.

Multa etiam, solito iam quiritandi instituto, addiderunt: *De Donauerdæ restitutione: Iudicum æquilibrio ex Protestantibus, & Catholicis*, nomen quidem speciosum, sed vt iustitiæ trutinam, quò vellent, inclinarent. Ex his non difficile erat augurari eos potiùs Martem spectare, quàm artem quietè Cœsari obsequendi.

XV Itaque *Matthias* soluendorum fæderum spe frustratus, simul senio, & morbis in dies grauescentibus confectus, vt quietas post se prouincias relinqueret (ná & cũ Turcis vicænnales renouarat inducias) successorẽ ordinare instituit. *Matthias successorem designat.*

Ex *Maximiliani II.* stirpe mascula erant adhuc in viuis tres legitimi principes, quorum summus Cæsar ipse: proximus, *Maximilianus* Archidux, Ordinis Theutonici Supremus Magister: tertius *Albertus* Archidux, Belgij Princeps. Sed hi omnes deuexa iam ætate, & spe prolis orbati. Supererant ex *Ferdinandi I.* Imper. posteris, *Caroli* Archiducis filij, interquè hos *Ferdinandus* Archidux, in quem *Matthias* Imper. inclinabat, si *Maximilianus*, & *Albertus* assentirent. Lubens volens assensit vterque, nec dissensit *Philippus* III. Rex Hispaniarum *Caroli V.* Imper. nepos. Horum omnium voluntate Austriacæ ditiones, ac iura, certis pactionibus in *Ferdinandum* collata: ipse verò à *Matthia* Cœsare in filium adoptatus. Actum deinde de coronis Hungariæ, ac Bohemiæ.

XVI *Ferdinandus eligitur Rex Bohemiæ.* Mense itaque Maio Pragam à *Matthia* Cæsare Ordines euocati Bohemici, paucis quibusdam primùm refragantibus; post silentio probantibus, maiore suffragiorum numero *Ferdinandum* Archiducem Austriæ, Regni legunt successorẽ. Sed ne administrationẽ regni capesceret ante obitum *Matthiæ*, interim regio titulo cõtentus esset. Cæsar post hæc rebus Pragæ ritè constitutis, ProRege relicto, Viennam, indeque in Hungariam, audita Saxoniæ Septemuiri de *Ferdinando* ad Imperium deligendo sententia, proficiscitur. Electio hæc valdè angebat *Fridericum Comitem Electorem Palatinum*, nè qua *Correspondentium* partibus præiudicium fieret per electionem Principis, qui Acatholicis minus fauebat. Quare apud Moguntinum, & Brandeburgicum Electores sollicitabat, vt *Maximilianus* Dux Bauariæ præferretur; ea spe, quod si *Correspondentium* viribus ad Imperium proueheretur, cum ipsis gratus teneretur coire. Nec fallebat opinio: nam non minus Acatholici fuissent *Maximiliano* necessarij in electione, quàm in defensione electionis aduersùs Austriacorum inuidiam. Vertente propterea iam hieme, spetie amicitiæ, Monachium *Fridericus* ad *Maximilianum* contendens, vbi palmariam aduentus sui aperuit causam, *Maximilianus* dicitur, *gratijs actis*, respondisse, *se ad propositam dignitatem nullo modo adspirare*. Non propterea quieuit Palatinus, sed Daniæ Regem, *Mauritium Auriacum, Carolum* Ducem Sabaudiæ ad imperij fasces ambiendos sollicitauit. Hæc Cœsarem non latebant; qui vt *Ferdinandum* magis firmaret, indictis Hungariæ comitijs, cum Regni Ordinibus, Posonij egit de successore eligendo. Hic non defuere partibus suis Acatholici, causantes *ex more, quem in Styros gestauerat Ferdinandus* (nam nuper reformauerat) *facile apparere, regni priuilegia omnia minuenda fore*. Eius causam minùs venerabilem reddebat absentia Cæsaris, quem aduersa valetudo Viennæ detinebat. Intererant tamen *Maximilianus* frater, & *Ferdinandus* nepos; cum post longam deliberationem, acclamata Cæsaris sententia, Kal. Iunij, diadema Hungaricum *Ferdinando* imponitur; ea ac Bohemis data fide, ne viuente Cæsare, nullam dominatus partem attingeret.

XVII *Protestantes Bauaro offerunt imperium.*

XVIII *Ferdinandus fit Rex Hũgarorum Anno 1618.*

BELLVM BOHEMICVM. Ann. 1618.

XIX Fuit hæc promissio ansa rebellibus calumniandi *Ferdinandum*, & incendium excitandi, quod mox in Austriam, Morauiam, Silesiam, Lusatiam propagatum, simul in partes traxit Reges Europæos, Imperij Principes, & Belgarum Ordines fæderatos.

Melchiorem Cleselium S.R.E. Cardinalem, præcipuum à secretis *Matthiæ* Imperatoris, ex infima sorte, rara ingenij felicitas, & in rebus agendis industria ad tantam extulerat dignitatem; vt grauiori lapsu daret præcipitem. Dissensionum, & simultatum iecisse semina inter XX *captiuitas Cardinalis Cleselij.*

Au-

Sal. An. 1618. Auſtriacos Principes inſimulatus; impetrarunt à Summo Pontifice Rex *Ferdinandus*, & *Maximilianus* Archidux) vt à Cæſaris aula dimoueretur tantiſper, donec Pontifex rationibus vtrinque auditis, quid porrò agendum eſſet, decerneret. Datus itaque in honeſtam cuſtodiam, citatis itineribus in Stiriam deportatus, inde Romam euocatus, fuiſque ſacerdotijs, atque dignitati relictus, reuerſus, abijt in Patriam. Cæſar vbi Cardinalem abductum reſciijt indignatus primùm, mox cognita cauſa factum non improbauit. Eſt qui Hiſpanos accuſet tunc in aula præpotentes Cæſarea, eiſque *Cleſelij* caſum imputent, quia Cardinalis cum ipſis non amicè côueniret. Sed hoc *Ferdinandi* Regis æmuli perperam interpretantur; quòd ante inaugurationem Bohemicam, viuo *Matthia*, nullam dominatus partem attingere iuraſſet, criminabantur eum, promiſſi fidem violaſſe. Sub hæc atroci tragediæ initia daturi, capita inter ſe Pragæ contulerunt.

Bohemiæ deſcriptio. Eſt Bohemia Germaniæ prouincia multis vrbibus, vicisque frequens, quæ ferè tota Hercinio ſequitur ſaltu; qui ſexaginta dierum itinere in longitudinem, nouem verò in latitudinem ſeſe effundens, plures Boreales tractus prouincias inumbrat. Nulla extera flumina illam interluunt, vtpotè erectiori non admiſſa ſolo; cum plura ex eius fontibus cadant. *Albis* primum occupat locum; qui præter Saxoniam labens in Germanicum mare euoluitur. *Molda* etiam nauigiorum patiens, vbi ſinuoſis mæandris, & flexibus latè alluit campos; *Albi* exceptus cum ſuis aquis nomen obruit. Sicuti plura alia flumina in ipſum cadentia fluentis ſuis eiuſdem augent vndas. Regio vbique fertilis, rerumque omnium non tam ad vſum, quàm ad luxum humanum abundans. Vbere ſegete ferax, greges, annonam, piſces in omnes mortalium exhibet prouentus. Hinc inertes plerumque incolæ. Nec deſunt omnis generis metallorum fodinæ. Indigenæ candidi rufo intermicante, procero, firmo, robuſtoque corpore ſunt, ſed laboris impatientes. *Praga* quondam *Bubiemum*, caput eſt gentis, & Metropolis: mediam interfluens *Molda* diuidit; qui mirandæ ſtructuræ ponte veluti catenatas duas tenet vrbes. Octoginta ſtadia ambitus vrbis amplectitur; ciuium, aduenarumque mercatorum frequentia celebris; ſed nouitate religionis luctuoſa, quam *Io: Huſs*, & *Hieronymus* Pragenſis plebem docuere impetitam. Hinc *Ciska* duce impigro bellatore primo in Deum, poſtea in Regem arreptis armis, *Sigiſmundum* ingenti prælio victum toto regno pepulere. Sublato *Ciska*, Caſimirus Sarmatæ Regis frater regnum obtinuit, cui extincto *Vladiſlaus* filius ſubrogatur. Huic *Ludouicus* admodum adoleſcens iure ſufficitur hæreditario. Cui *Maximilianus Auſtrius* Imperator *Mariam Philippi* filij ſui Caſtellæ Regis filiam connubio iunxit. *Ferdinandus* verò *Caroli V.* & eiuſdem *Mariæ* frater *Annam* ſororem *Ludouici* Bohemiæ Regis vxorem duxit. Bello tandem Turcico victus, cæſuſque *Ludouicus* cum eſſet; *Ferdinandus* & vxor *Anna* Bohemiæ Reges à Primatibus ſolemni ritu ſacrantur: qui rebellantes hæreticos ad obſequium coegerunt. *Maximiliano* deinde, ac *Rudolpho* Auſtriacis Imperatoribus, Bohæmiæque Regibus, Lutheranæ peſti locum dedit Huſſitica ſuperſtitio. His cum ad operandum ſuo ritu templa deeſſent; arrepta occaſione diſſidij inter *Rudolphum* Cæſarem, & *Matthiam* fratres, à Cæſare ſeditioſis vocibus flagitant; vt delubra ad ſua ſacra facienda, vbicumque ſibi libitum foret, extrui pateretur. Induſſit *Rudolphus* inſoleſcentis populi votis: tumultuantique turbæ, atque arma intentanti conceſſit, quod negare non poterat. *Hæreticis Bohemis data facultas comitia habendi.*

Libertatem hanc cum ſibi violaturum ſuſpicarentur *Ferdinandum*, IV. Id. Maias luctuoſiſſimo toti Germaniæ die in *Ferdinandum* vnanimes coniurarunt: vt vitam, fortunas prò conſcientiæ libertate profunderent. Collatis inter ſe pecunijs, cum in oppido Brunouiæ (cuius dominium ad Abbatem Brunouienſem ſpectabat) templum moliti eſſent; vt etiam Cloſtergrabij, qui vicus Pragenſi ſubeſt Archiepiſcopo moniti non deſiſterent, ad Cæſarem querela defertur: ſed neq; eius iuſſu inceptum opus omiſère. Mandato itaque Cæſaris Ciues aliqui Brunouienſes capti, atque in vincula coniecti ſunt, & templum Brunouienſe vi occluſum iniecta; Cloſtergrabienſem fabricam Archiep. Pragenſis immiſſis operis dirui, & ſolo æquari mandat. Hinc commoti Magnates Euangelici, magno numero Pragam in Collegium Carolinum conueniunt. Deliberatum *de conſeruatione Priuilegiorum, extruendis vbique templis, & liberatione ciuium Brunouienſium, quos iniuſtè attineri querebantur. Hoc ſi iudicijs non poſſit, armis eſſe protegendum.* XXI

Proteruiam hanc tentauit Rex datis literis in ordinem redigere. Paruere ſtudio: è, qui non-

dùm

Sal. An. dùm obſequium, & obſeruantiam in Regem
1618. exuerant. Sed Acatholici, præſertim *directores*, quos inuaſerat nouarum rerum ſtudium, Regis imperium inſuper habuerunt. Quamobrem ſub exeuntem Maium iuſſere per ſingula templa, prò concione certis verbis conceptam exhortationem per Prædicantes recitari. Eius argumentum erat, vt populus Euangelij tuendi cauſam feriò ſuſciperet, Deumque futuris comitijs propitium redderet aduersùs eos qui ſpetie religionis ſacris abutebantur, atque profanis. Hiſce verbis annuebant Cardinalis *Cleſelij* captiuitatem, vt catholicos in catholicos concitarent.

Magnus poſtridiè factus eſt ad Carolinum Collegium concurſus. Bohemico ſermone ad cœtum dixit è Bohemis præconibus vnus; ſecuta eſt pſalmodia. Tandem itum in conſultationem, *de rationibus protegendi noui Euangelij instituta, ſeruandi templa non modò Pragæ, ſed per Bohemiam vniuerſam, ne aduerſariorum manu euertantur.* Incenſi vehementer animi ad audaciam. Secuta exinde fatalis dies X. Kal. Iunij. Ad arcem Pragenſem, ſub horam decimam ante meridiem, vecti ſunt frequentes *Vtraquiſtarum* Dynaſtæ famulis ſtipati ſinguli, inſtructi binis ſclopis manuarijs. Concurrerat vnà plebis promiſcua multitudo. Auditæ eorum querelæ perbenignè à regni vicarijs. *Guilielmus Slabata* ſupremus prætor, & *Iaroſ-*
XXII *laus Borſita Martinizius* Carlſtadij Burggrauius, pauca prò Cæſare reſponderunt. Hinc furor. Vicarij coniuratis viſi ex ſilentio lentores, ſeorſim abducti. *Slabatam*, & *Martinizíũ* per longum cõclaue raptatos, cum *Philippo Fabritio* Cæſaris conſiliario, & Bohemiæ ſecretario, tanquàm publicæ libertatis hoſtes ex arcis feneſtra in ſubiectum vallum (marmore inſtructum) altitudinis cubitorum quinquaginta præcipitant. Rogantes *Slabata*, & *Martinizius* ſibi ſacerdotem indulgeri ad expianda peccata, cachinis excepti fuere, hæreticis clamantibus, *Ieſuitas vellent.* Primus ex alto datus, fuit *Martinizius*, dum *Maria Mater gratiæ ingeminaret*. Videamus (inquit vnus ex proteſtantibus perfidus) *an Maria opem tulerit laboranti?* Cumque vidiſſet incolumem; exclamauit; *Viuat Deus; Maria adfuit.* Minimè tamen territi, neque victi miraculo, nouum tentantes experimenti genus; innocuos impetiere ſclopetis, à qua pariter tempeſtate tutela ſeruauit ſuperna. Fuga dein ſubtraxit furentibus in domum Principis *Lobkouitij*, cuius mater virili animo *Henricum Mathæum* comitem *Turrianum* ſeditionis caput, vim domui inferre minantem, exprobrando repreſſit, *domum illam aſylum ipſi quondam Turriano fuiſſe aduersùs Archiducem Leopoldum.* Maiora tentare *Turrianus* erubuit: nec multo poſt *Martinizius* Viennam perſuaſit ad Cæſarem. *Burggrauius* & *Popelius* à Proceribus domum deducti, & per ſpeciem ſecuritatis appoſito milite cuſtodiuntur. Facinoris fama ciues magnoperè turbauit. Armabantur Catholici ad vindictam, Acatholici ad defenſionem. Eo periculo *Turrianus* percul- XXIII *Hericus Turrianus.*
ſus, mox ex arce per vrbis compita decurrere, demulcere iratos, iubère à vi mutua abſtinère, temperare à rapinis, non moueri reorum ſupplicio, quod ſcilicet Reipubl., & Euangelij hoſtes, infra quàm erant meriti, præcipitio, maiorum more luiſſent. Nihil vltra eſſe publici diſcriminis; domum quiſque ſe reciperet, & quietè res ſuas curaret. In arce factum, ſe apud Cæſarem purgaturum. Ita facile ſedatur tumultus; quòd ſtudijs Procerum vulgus faueret. Mox rebus nouandis initium factum. Arcis primùm miniſtros, vnàque Præfectum in ſua verba ſacramento adegerunt, cuſtodes item portarum, vniuerſoſque ciues: adhibitis octogenis ſclopetarijs, qui prò foribus excubarent, dum ipſi conſulerent. Creati ex omni Procerum numero triginta directores, qui Rege abſente, regnum adminiſtrarent. Simul aperti carceres, dimiſſi Brunouienſes. Incluſi eorum loco, qui aduerſabantur. Et quoniam non temerè timebant Cæſarem: collecti vndique milites, corrogata pecunia, omniaque ad bellum ſummo ſtudio parata. Vulgato etiam ſcripto, palam profitentur, *nihil ſe aduersùs Cæſarem moliri. Quod miniſtros præcipites ex arce dediſſent, more Bohemico, & exemplo maiorum factum, qui in publicæ pacis turbatores ad eum modum non ſemel animaduerterint. Cæterum ſi quæ mutauiſſent ad regni tranquillitatem fore, quàm Cæſari ſuo cordi eſſe ſcirent, pertinere.* Huius Apologiæ appendix fuit Patrum Societatis Ieſu proſcriptio. Intra octiduum regni finibus excedere iuſſi. Addita pæna capitis in regredientes, vel qui prò eis intercederent. Multa illis obijciebant, *turbatam pacem, diſpu-* *Ieſuitarum proſcriptio.*
tata religionis priuilegia, ſeditioſis concionibus plebem ſeducere ad iugum Pontificium, opes corradere; Principum cædem machinari, arcana per Confeſſionem explorare; Se curis immiſcere Rei-

pu-

Sal An. 1618. *publica, in Euangelicorum perniciem consilia struere, palam docere, hæreticis non esse fidem seruandam.*

Calumnias extorres Iesuitæ egregio scripto modestè refutarunt; dicentes: *Pacem, & religionis priuilegia nunquàm euertisse. Suum fuis-* xxiv apologia.



se munus veritatem, & catholicam fidem contra diuersa sentientes, omnibus modis asserere, fecisse id sine cuiusquam iniuria. His Romani Pontificis reuerentia ità annexa, vt separari non possit, neque propterea Regnorum finibus, vel Principum potestati contradici, si is tanquàm Ecclesiæ caput ab omnibus colatur. In concionibus damnasse contrarias religiones sine contumelia cultorum. In toto regno quinque esse collegia, omnia ære grauata alieno, quorum annui prouentus decem aureorum millia non excedant: has esse illas immensas opes, quibus omnium inuidiam mereantur. De cædibus Regum antiquam esse calumniam, multorum iam scriptis refutatam, ipsorum principum testimonijs, quorum vitæ insidias struxisse falsò arguerentur. Ex confessionibus præter peccata nihil rimari. Regni administrationem ijs relinquere, quorum id officium sit. Rogatos, suasisse, quæ nemini obfuerint. Odisse hæresim, non hæreticos; quibus fidem datam seruandam doceant, modò sit iusta ac licita promissio; nam quæ naturali atque diuino iuri contraria, nemini vnquàm præstanda.

Cæsar rerum omnium certior, postquam pænitentiæ, aut benignitati suæ nullum locum esse cognouit: primùm Imperij Septemuiros de tota re edocuit, deinde iussit arma parari. Mox *Henricum comitem Tampierium* cum decem millibus armatorum immittit in fines Bohemiæ; illi sublegat non multo post, maiori cum imperio *Carolum Longueuallium Comitem Bucquoij*. Adiuncta eidem ab *Alberto* Belgarum Principe duo equitum, & sex peditum millia, robur haud dubiè Cæsarei exercitus. Tardè adfuit *Tampierius*, postquàm Bohemorum exercitus adeo excreuerat, vt triginta equitum peditumque millia sub signis essent. *Ernestus Mansfeldius* à *Carolo Emanuele* II Duce Sabaudiæ in speciē exhauctoratus suā secum legionem ad partes Bohæmorum tra- xxv

Sal. An. 1618. duxerat, & tormentorum præfectus renuntiatus erat. Est qui asserat ære Sabaudico conductum militem, quia *Carolus* Bohemicam expeditionem sibi crederet expedire aduersùs Domum Austriacam. Habes effigiem *Caroli* cum charactere Gentilitio sub lemmate, *Iterum bona numina iungam*. Fuit *Mansfeldius* nothus *Mansfeldij* de Hispana Republica ob præclara facinora benemeriti aduersus Hollandos in Flandria gesta. Incapax paternæ hæreditatis, terram peragrauit, bello clarus, & linguarum peritus aduersùs Pannones Cæsari morem gessit. In castris Deum amisit, quia omisit. Hominibus quam fidem negauit, si Deo habuisset, religionem non abiurasset, quam nullam habuit. Accitus à *Carolo* Duce Sabaudiæ aduersùs Hispanos, vtilem nauauit operam. Hinc remissus in Cæsarem, Bohæmos rebelles adijt.

XXVI *Pilsa expugnata.* Primum facinus fuit expugnatio Pilsæ, quò paulò antè *Tampierius* validum immiserat præsidium, manebatque ciuium potior pars fida Cæsari. Hanc post duram, cruentamque obsidionem, eiecto regio præsidio, expugnauit; vrbem post Pragam in regno Bohemiæ præcipuam, accipiendis ex Germania auxilijs, & commeatu imprimis opportunam; Fuit semper Pilsa exemplum fidei, atque erga Reges obsequij. Anno 1433. ab Hussitis decem mensibus circumsessa, tandem eruptione facta, & profligato hoste seipsam liberauit. In victoria cum *Camelum* hosti ademissent, animal tunc primùm in Bohemia visum, obtinuere à *Sigismundo* Imperatore, vt effigiem belluæ in insigni ciuitatis deinceps præferrent.

Matthias porro dum arma parat, pacis non omisit consilia. Bohemorum motibus vicinæ solicitatæ prouinciæ, Silesia, Morauia, Lusatia & ipsæ pulcherrimo inuitatæ prætextu, dum vindicanda in libertatem religio asseritur, cum Bohemis conspirabant. Gemino exercitu imminentibus *Turriano* comite, & *Andrea Schlickio* in confinibus Viennæ promissa securitate, & libertate religionis, cui plerique nobiles studebant, eoque minimè aduersi Bohemis; Ordines Austriaci à Cæsare Viennam conuocati, vti in commune consulerent, nihil certi expediebant. Propterea *Matthias* per *Maximilianum* Bauariæ Ducem, *Ioannem Georgium* Electorem Saxoniæ, *Sigismundum* Regem Poloniæ non destitit ad pacem solicitare rebelles, Sed ad arma conuersis, & numero victoribus nulla erat, aut certè exigua pacis cura. An quòd ingentibus aliorum promissis stimulabantur, qui in omnes occasiones intenti, belli initium expectabant. Eorum causæ summus defensor erat *Fridericus Elector Palatinus*, qui Saxoniæ XXVII
Septemuiro, & Brandenburgico studiosè commendauit, vt comitijs prò Romanorum Rege cooptando, intercederent.

MATTHIÆ OBITVS. Ann. 1619.

Hisce fatigatus Imperator, dum omnem lapidem mouet, vt ad saniora consilia Bohemos reduceret, XI. Kal. April. hora circiter nona antemeridiana, mortem oppetijt, annos natus 62. Eius mortem prænuntiauit cometa, & cum Cæsaris morte bellorum procellas, quarum primordia parabantur. *Cometa prædicitur.* Hæc ab Oriente sub quartam noctis vigiliam minaci flamma consurgens, protensa in occasum longissima iuba, fulgebat: non continuato radiorum ardore, qualia per rimas in obscurum cubiculum illabentis Solis lumina intueri solemus; sed sparsim per interualla vibrati, vagæque faculæ candidabant: quæ ab imo syderis globo effusæ paulatim latiùs in comarum maximè modum sese in portentosam longitudinem explicabant. Celeriori Cometes, quàm cætera sydera, Cœli vertigine rapiebatur. Ab ortu si quidem in meridiem vix duas horas procurrens, albescente Autora, exiguam languens vanescebat in flammam. Dignissimum est obseruatu, ad dies ferè triginta durasse, cum totidem annos in Germania acerrimè sit depugnatum. Cæsaris mortem præcesserat obitus *Maximiliani* Archiducis, & *Annæ* Imperatricis, *Matthiæ* coniugis.

Matthiæ corpus in crypta sub sacello Cæsa- XXVIII
reo apud P.P. Cappucinos intra Vrbem Viennæ deponitur; Cuius

Inscriptio Sepulchralis

D. O. M. S.

Monumentum Augustissimi & Inuictissimi Cæsaris Matthiæ, Regis Hungariæ, & Bohemiæ, & Archiducis Austriæ, qui beato fine vitam & imperium conclusit XX. Martij. An. 1619.

Matthiæ Symbola.

Concordi lumine maior. Item: *Amat victoria curas*: Aliud, *Firmatum cœlitus omen*, vt supra *num. 3. p. 131.*

CA-

CAPVT TERTIVM.

Inuictissimi Imperatoris *Matthiæ* zelus in Turcas, quos ferro potiùs placare duxit quàm auro, titulum nobis excitat exarandum, qui est,

Pax Armata.

1 *Bellum unde dictum? origo*. 2. *definitio*. 3. *hydra*. 4. *eius imago*. 5. *ipsi simile*, 15. *ad pacem ordinatur*. 17. *belli signum diuinitùs nullum datur*. 19. *bellum est necessitatis*, 20. *iustum quale*. 23. *Belli modus*.
4. 12. *Pax præferenda bello*. 6. 10. *sit armata*. 7. 10. *symbola pacis*. 11. *etiam in pace alendi sunt milites*. 14. *per bellũ pax*. 16. *pax diuina*.
18. *lex pacis in brutis*. 13. *pax est voluntatis*.
8 *Musicæ origo*.
9 *fides inter æmulos infida*.
11 *Rex subeat armatus*. 14. *eius prouidentia*, 22. *inermis*,
16 *caduceatorum immunitas*.
21 *Ninus primus libidine regnauit*.
22 *Apum Rex qualis?*

I *Bellũ unde dictũ.* BElle ij qui à *bellua* dixere bellum. Feras natura armasse videtur cornibus, robore, celeritate, non hominem; quia *temerè in acie versari, & manu cum hoste confligere, immane quidem & belluarum simile est*, Cicero *Offic*. 1.

Quis fuit horrendos primus qui protulit enses?
Quàm ferus, & verè ferreus ille fuit.
Tunc cædes hominum generi, tunc prælia nata,
Tunc breuiter diræ mortis aperta via est.
At nihil ille miser meruit, nos ad mala nostra
Vertimus, in sæuas quod dedit ille feras.
Diuitis hoc vitium est auri: nec bella fuerunt,
Faginus astabat cum scyphus ante dapes.
Non arces, non vallus erat, somnumque petebat
Securus varias dux gregis inter oues
Quis furor est, atram bellis arcescere mortem?
Imminet, & tacito clam venit illa pede.

Tibull. *lib*. 1. *Eleg*. 10.

II *quid sit?* Bellum definirem ego *Vim illatam homini, naturæ, arti, Deo*. Nimrodum recogita venatorem hominem; Is non contentus homines veluti feras loris inclusisse, aduersùs naturam & artem turrim cogitat sic altam, vt Cęlum scanderet. Hanc quia natura non sustinet; ars quoque repudiat. Tandem quasi eos peccare puderet, nisi in Cœlo peccarent

Neue foret terris securior arduus Æther.
Affectasse ferunt regnum cæleste Gigantes,
Altaq; congestos struxisse ad sydera montes.

Ouid. 1. *Met*.

III *Belli imago.* Bellum per *Hydram* pingi posset, monstrum quinquaginta capitum: ex quibus vno exciso, duo alia statim repullulabant. Premat vnguibus Naturã, Artem, Religionem; Bellum namque cuncta profanat. Iustè an geratur? affirmant cum ad iuris consecutionem suscipitur, & susceptum geritur intra iuris ac fidei modum. Camillus iustè non minùs quàm fortiter bella gerenda dicebat. Africanus populum Romanum & suscipere iustè bella, & finire. *Sunt & Belli, sicut & pacis iura*. Maximi momenti bellum cum sit, ex quo vel ipsa pereat Innocentia: ideo inter alternantes sententias vergendum ad pacem IV *sit iustũ.*

Silius Italicus.... *cautè speculator mente futuri* *bello præferatur pax.*
Nec lætus dubijs paruisque lacessere Martem.

Artaxerses in epistola scripta centum & viginti ducibus Prouinciarum sibi subditis, inter cætera ait prouidendum esse paci omnium prouinciarum. Et Tullius *Offic*. 1. Regibus suscipienda bella, vt in pace sine iniuria viuatur. Pax sit honesta, tunc vna innumeris potior habetur triumphis. Bellum quod pacem quærit, homini placet, nec Deo displicet.

Nulla diu sine hoste fælicitas,
Nulla diu sine bello pax.

Igni bellum comparant: quia illius est cuncta vorare. Quandoque tamen obruitur, & abundantia extinguitur ad similitudinem humani corporis, quod mortem offendit in ipsa vitæ alimonia. Sic arma bellum nutriunt, quandoque extinguunt, & in pace demergunt, si exuberet. Viri boni est initia belli inuitum suscipere, extrema non libenter persequi: Mars namque communis est. Propterea vt in naui fit: iactura aliqua redimitur maior calamitas. Pacem extorquebis honestam, si Palladem habeas armatam. Æqua erunt fædera si exarentur *sub clypeo. Qui vult pacem præparet bellũ*; fuit Matthiæ Imperatoris arcanum aduersùs Turcas stilo ferreo pacem exarantis, manumq; nonnisi armatám porrigentis etiam cum fædera renouaret. Ambidexteram optabat manum Gallorum Rex Clodoueus, quarum alteram sed armatam V *igni assimilatur.* VI *Pax sit armata.* VII *armata symbola.*

obijceret hosti: alteram & inermem pacis daret sequestri. Pacificus erat thronus Salomonis, vnde & agnatis iura dabat, sed vndique excubabant leones; & vigiles stabant custodes, qui gladio acincti stipabant pacem, ne Rege aufugeret inscio; vel hostes catenarent inuitam.

Hae tibi erunt artes, pacisque imponere morem
Parcere subiectis, & debellare superbos.

Græci eadem manu caduceum ferebant & hastam, ne legem accipere ab hoste viderentur inuiti. Harmoniam pacis dirigit rumor belli.
VIII *Musicæ origo.* Musicam excogitauit Iubal, auras demulsit plectro, cum aures Tubal obtudit malleo. Ille tibiæ repertor, hic gladij. Choragum excitauit faber: hic corda, ille cordas feriturus. Per malleorum inæqualia pondera dulcis pestis quæ aures afficit, & animum inficit, ad mortales irrepsit. Ita pax, quæ cælestis harmoniæ imago est, ferro scribitur, & plumbi lamina in silice sculpitur. Pax, quæ calamo exaratur non capulo, non est pax, sed bellum maturum. Cum in
IX *Fides inter amulos infida.* victores, victosque nunquàm solida fides conualeat, ait Tacitus 2. *Histor.*, vindictam deponat, non arma. *Bellum ostendite, pacem habebitis; videant vos paratos ad vim, ius ipsi remittent*, aiebat apud Liuium Manlius Capitolinus. Et Thucidides *lib. 1. Pax magis bello confirmatur, otium verò semper belli metum, & periculum coniunctum habet.* Pacem Alciatus per
X Elephantem pinxit, qui currus Cæsareos ad pia templa vehit: quia non alijs quam belligeris humeris pax dulcis inniti potest.

Pacis armata symbola. *Turrigeris humeris, dentis quoque barrus eburnè*
Qui superare ferox Martia bella solet.
Suppositit nunc colla iugo: stimulisque subactus
Cæsareos currus ad pia templa vehit.
Vel fera cognoscit concordes vndique gentes,
Proiectisque armis munia pacis obit.

In altero galeam pinxit, intra quam apes suauissimos mellis fauos veluti in aluearío conficiunt.

En galea intrepidus quam miles gesserat: & quæ
Sæpiùs hostili sparsa cruore fuit,
Parta pace apibus tenuis concessit in vsum
Alueoli: atque fauos grataque mella gerit.
Arma procul iaceant, fas sit tunc sumere bellum;
Quando aliter pacis non potes arte frui.

In galea melificant apes, quia penarum metu tuta viuit inter improbos innocentia. *Ex bello Pax*, ait Alciatus.

Pacē orare manu; præfigere puppibus arma. Virg.

In sinu Martis dormientem soleo pingere pacem, cum pacis quæritur hieroglyphicum. *Fallis enim* (aiebat Epaminondas dissuadenti Meneclidi Thebanis bellum, & suadenti vt pacem bello præferrent) *ciues tuos, quòd eos à bello auocas, otij enim nomine seruitutem imponis. Nam paratur pax bello, & qui ea diutina volunt frui, bello exercitati esse debent. Quare si Principes Græciæ esse vultis, castris est vobis vtendum, non palæstra.* Cornelius Nepos *in Epaminonda*. Quatuor legiones perpetuò alendas Athenienfibus suadebat Demosthenes belli, pacisque tempore: ne repentè eos hostis obrueret. *Orat.* 4. Quadraginta millia equorum currilium, & duodecim millia equestrium etiam impune nutriebat Salomon 3. Reg. 4. XI *militem & in pace alere.*

Non cubet rector quam armatus, & hunc in pacis symbolum erigere potes, morem æmulatus Persarum, qui gladio acincti etiam in alta pace ambulabant, nec vnquàm pharetram ab humeris deponebant. *Herodot.* 1. *Strabo lib.* 5. Ferebant & Parthi acinctos gladios etiam inter epulas. Romani etiam dum pace fruerentur, non vt nudam Dianam, sed vt armatam Palladem Pacem muniebant: dum occuparentur bello, pacis studia nequaquàm negligebant. *Rex armatus cubet.*
Pyrrhus Rex prudens, quo meliorem Iuppiter Romanis dare non poterat, si maluissent sub Rege viuere, non sub lege; cum primo iam prælio fæliciter pugnasset, ad pacem conuertit animum: & qui hostis venerat, victorque euaserat, in amicitiam recipi à Romanis voluit. Sed non obtinuit. Ænixè agente Cynea eius legato, vt victi arma deponerent: inuentus cæcus in vrbe fuit, qui lectica in Senatum latus, se calidissimis consilijs opposuit, & Pirrhi vafram quietem luculenta magis oratione quàm pugna destruxit. Feliciter orauit Romanus, vt infeliciter Rex pone pugnaret, bis exutus castris, bis saucius; & in Græciam suam fugiens, vere docuit pace stabiliri victoriam, & bello pacem. XII *pax bello præfertur.* XIII *pax non semper bello præferenda.*
Quoties igitur Romani arma ponerent, mentem retinebant armatam, & ad limina pacem machinis reuocabant mauortijs. Improsperum creditur antiquitatis symbolum, in quo Pax incendio destruit arma. Dei est conterere gladium, confringere scutum, arcum comburere igne *psal.* 46. quia dominus exercituum non indiget gladio vt protegat pacem. Homo vero cuius maiestas non minùs legibus fulcitur quā armis (*Imperatoriam maiestatem non solum armis decorari, sed & legibus armari oportet*, ait Iustin. *in proh Instit.*) XIV *per bellū pax.*

Dex-

Dextera gerat gladiū, pacē manus altera mōſtret. Forti viro optabilius eſt honeſtè mori, quàm turpiter viuere. Quàm turpiùs cum ignominia ſeruire; quàm cadere cum dignitate. Non minoris ſtultitiæ eſt quærere bellum, quàm otio pacis illectos libertatem perdere. Æquè reprehenditur qui fugit pericula, & qui ſuſtinet. Non eſt differenda vltio, cum non differtur iniuria. Florente pace, belli ſuſcipe curam. Prouidus nauta timet in ipſa malacia naufragium.

xiv Regis prouidētia.

Qui in ipſo rerum diſcrimine trepidare noluerit, ante diſcrimen ſe exerceat. Veſpaſianus apud Ioſephum; idcirco ſe ſuos armis exercere etiam dicebat tempore pacis, ne in bello Romani cum hoſtibus numero conferantur. Prudens rector tanquàm aduersùs præſens periculum neruos colligit, armamentaria implet, vrbes munit, tyrones inſtruit, veteranos alit: vt ſi bellum ingruat, fortunæ iram non timeat, & hoſtis deludat induſtriam, veluti ex belli officina non impacatus occurrens.

xv bellū ad pacē ordinatur.

Suſcipienda ſunt bella, vt in pace viuamus, ait Cicero 1. *Offic.* & Caſſiodorus *Var. 7. ep. 3. Vos autem Romani magno ſtudio Gothos diligere debetis, qui & in pace numeroſos vobis populos faciunt & vniuerſam Rempublicam per bella defendunt.* Idem Retiæ duci, *Quia non paruam rem tibi reſpicis fuiſſe commiſſam, quando tranquillitas regni noſtri tua creditur ſollicitudine cuſtodiri. Ita tamen vt milites tibi commiſſi viuant cum prouincialibus iure ciuili, nec inſoleſcat animus, qui ſe ſentit armatum: quia clypeus ille exercitus noſtri quietem debet præſtare Romanis. Quod ideo conſtat appoſitos, vt intus vita felicior ſecura liberalitate carpatur: ep.* 4.

xvi Pax diuina.

Bellum qualibet lege damnatum natura non abhorret, quamuis odioſum & inimicum, ſi dirigatur ad pacem. Caduceatores à Deo miſſi dicuntur (ait Dion. Chryſoſtom. *orat.* 38.) quia pacem nunciant: & ideo nudi legatione funguntur ad armatos, neque illorum quenquam iniuria licet afficere, vt qui Deorum ſint miniſtri quicumque amicitiæ nuncij ſunt.

Caduceatorū immunitas.

Exercitus ſi congrediantur ad prælium, & Deorum repentè appareant prodigia, aut terræ fiat concuſſio, ſtatim homines auertuntur, atque alteri diſceduni ab alteris, tanquam dijs prohibentibus in pugnam congredi. Belli autem ſignum diuinitùs dari, nullum eſt deprehenſum aduersùs pacem, quam daturus hominibus Deus de Cœlo deſcendit.

xvii Belli ſignū diuinitus nullum dari.

xviii lex pacis in brutis.

Imo auſim dicere & à brutis animantibus, vt ab auibus, ceruis, columbis, aquibus: immo & ab inſociabilibus, ſoliuagis, & quibuſdam etiam immaniſſimis beluis cuſtodiri videmus, quæ coniugia copulant, nidos congerunt, oua conuouent, pullos aluat, & quaſi cum ſua matre familias ſocietatem domeſticam, quanta poſſunt pace, conſeruant. *Pacē voluntas habeat* (ait Aug. ep. 207.) *bellum neceſſitas, non enim pax quæritur, vt bellum geratur, ſed bellum geritur, vt pax adquiratur. Eſto ego etiam bellando pacificus, vt eos quos expugnas, vt pacis vnitatem vincendo perducas.*

xix pax voluntaria bellū neceſſariū.

Hieronymus verba illa 1. *Paral.* 12. *Omnes iſti bellatores expedit, ad pugnandum corde perfecto*, conſiderans; de pace interpretatus verba *in corde perfecto*, ita diſſerit: *Filij Iſrael proceſſerunt ad pugnandum mente pacifica, inter ipſos quoque gladios, & effuſionem ſanguinis, & cadauera proſtratorum, non ſuam ſed pacis victoriam cogitantes.*

xx bellū iuſtū quale.

Bellum natura violentum, ex fine pacificum quatuor requirii conditiones, ne declinet à iuſto. *Auctoritas in principe*, qui ſuperiorem non recognoſcat in terris, vt Dauid qui iure canere poterat, *Domine tibi ſoli peccaui.* Audi Auguſtinum *lib. 22. contra Fauſtum c. 35. Ordo ille naturalis mortalium paci accomodatus hoc expoſcit, vt ſuſcipiendi belli auctoritas, atque conſilium penès principem ſit. Exequendi autem iuſſa bellica miniſterium milites debeant paci, ſalutique communi.* Iuſta autem belli cauſa eſt *iniuriæ vindicta*, vt idem Auguſtinus docet *q. 10. in Ioſue. Iuſta bella definiri ſolent, quæ vlciſcuntur iniurias, ſi qua gens vel ciuitas, quæ bello petenda eſt vel vindicare neglexerit quod à ſuis improbè factum eſt, vel reddere quod per iniuriam ablatum eſt.* Bella quæ fiunt libidine imperij, latrocinia ſunt, vt pirata ille Magnum redarguit Alexandrum *Quia id ego exiguo nauigio facio, latro vocor, tu autem quia magna claſſe imperator.* Imperij fines tueatur magis, quàm proferat princeps: vt prò lege ipſi populo ſit principis arbitrium.

xxi Ninus qui primus ex libidine pugnauit.

Primus omnium Ninus Aſſyriorum Rex veterem & quaſi auitum gentibus morem noua imperij cupiditate mutauit. Hic primus intulit bella finitimis, & rudes adhuc ad reſiſtendum populos vſque Lybiæ perdomuit; *Iuſtinus.* Huiuſmodi autem inferre bella finitimis, & inde in cætera procedere, ac populos ſibi non moleſtos ſola regni cupiditate conterere & ſubdere, quid aliud quàm grande latrocinium nominandum eſt? Hinc tertia pacis conditio eſt *votum Iuſtitiæ*; Nam legitima bellandi poteſtas à iuſtis etiam proueniens cauſis,

fis, si cupiditati seruiant, & famam aucupentur inanem, bellum erit iniquum, & villicationis rationem reddere tenetur ei, qui Regi gladium dedit in bonorum laudem, & malefactorum

XXII *Rex inermis. Rex apū qualis,* vindictam. Inermem Principem natura voluit vt regibus daret exemplum, non omnia percurrenda gladio, sed & prætereunda calamo. *Natura* (ait Seneca) *commenta est regem: quod & ex alijs animalibus licet cognoscere, & ex apibus: quarum regi amplissimum cubile est, medioque ac tutissimo loco. Preterea onere vacat, exactor alienorum operum; & amisso Rege totum dilabitur examen: nec vnquàm plus vnum patiuntur, melioremque pugna quærunt. Preterea insignis regi forma est, dissimilisque cæteris, tum magnitudine, tum nitore: hoc tamen maxime distinguitur. Iracundissimæ, ac pro corporis captu pugnacissimæ sunt apes, & aculeos in vulnere relinquunt: Rex ipse sine aculeo est. Noluit illum natura nec sæuum esse, nec vltionem magno constaturam petere: telumque detraxit, & iram eius inermem reliquit. Exemplar hoc magnis regibus ingens est. Est enim illi mos, exercere se in paruis, & ingentium rerum documenta minima agere. Pudeat ab exiguis animalibus non trahere mores. Vtinam quidem eadem homini lex esset: & ira cum telo suo frangeretur: nec sæpius liceret nocère quàm semel, nec alienis viribus exercere odia; facile enim lassaretur furor, si per se sibi satisfaceret, & si mortis periculo vim suam effunderet.* Eadem apud Augustinum habes *lib. 22. contra Faustum. c. 74. Nocendi cupiditas, vlciscendi crudelitas, impacatus, atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si quæ similia, hæc sunt, quæ in bello iure culpantur.* Hinc oritur quarta XXIII *Belli modus.*

conditio in bello necessaria, *Bellum in nocuos* vt pereat, quem perire etiam pereuntis interfit. Nemo culpam luat alienam. Auctorem suum delicta teneant, Innocens nemo pereat, nisi nocenti adhæreat, Bellum priùs experire calamo, postea gladio. *Cum duo sint decertandi genera, vnum per disceptationem, alterum per vim, cumque illud sit proprium hominis, hoc belluarum, confugiendum est ad posterius* (ait Cicero 1. Offic.) *si vti non licet superiore.*

LIBER XLIX.

CAPVT PRIMVM.

FERDINANDVS II. PIVS

OCCIDENTIS IMPERATOR XLIX.

1 *Ferdinandi II. Imper. fiducia in Deum*. 4. *hieroglyphicum*. 5 *natalia*. 6. *educatio*. 7. *scientia*. 8. *peregrinatio*. 9. *votum in hæreticos*. 10. *tribus annis tres coronas accipit*. 11. *Deipara iubente, eligitur Imperator*. 12. *adulatores odit*. 14. *victo Palatino, Pragam recuperat*. 15. *Ecclesiam Deiparæ erigit*. 16. *Gaborrem vincit*. 17. *ritum Catholicum remittit in Palatinatum*. 18. *bellum in rusticos*. 19. *Danos vincit*. 21. *hostes fugat vsque ad mare Balthicum*. 22. *Deum semper consulebat*. 23. 26. *mors*. 27. *religio, pia dicta*. 28. *laudatur ab hostibus*. 29. *iubet celebrari festum Immaculatæ conceptionis*. 30. *ei Turcæ parentant*.

13 *Fridericus Palatinus vsurpat coronam Bohemiæ*.

13 *Bethleē Gabor vsurpat diadema Hungariæ*.

23 *Mantua diripitur*.

24 *Gustauus Adolphus Rex Sueciæ in Cæsarem mouet. victoriæ*. 25. *mors*.

1 Diuinæ Fiduciæ en sacrum exemplum. Coniurat in *Ferdinandum II.* Orbis vniuersus Maligno fœdere Catholici coeunt, & Acatholici. Galli, Sueci, Daci, Hollandi, Germani ipsi pium conspirantes in Cœsarem, imperium inter se partiti, opima occupauerant spolia. In eos illud vsurpare poterat Ferdinandus *diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem*. Agrimensore Diabolo (vt in symbolo habes) qui vt imperet, diuidit, regna sortiuntur & toto ferè occupato imperio, nouum designabant imperatorem, viuente Cœsare. Terra, Æthera, Pontus cum viderentur in *Ferdinandum* pugnare, ipse diuina suffultus fiducia, & de superno securus auxilio, Saluatorem accurrit ad Christum, qui protinùs in suppetias descendens victoriarum cumulo vanas ostēdit spes hominū, & mēdaces.

ALLVSIO AD HIEROGLYPHICVM.

I.

Diuidat imperium Regis Germania *cuncta*,
Et supremæ Ducis Suecia *sceptra regat*,
Cæsaris in regnum coniuret denique Mundus,
Imperet & Pluto quos velit esse Duces.
Non pauet insidias Cæsar, nec Dæmonis iram:
In Christum fisus Numina celsa rogat.
Mirum! Vix palmas ad sidera summa tetendit,
Oranti vt dederit vota secunda Deus.
Iris namque Polo visa est descendere, pacis
Cæsareo vt regno fœdera sancta daret.
Disce Orbis Princeps in Numina fidere Cœli,
Nam qui confidit prospera cuncta videt.

Ponginus.



Arnol. van westerhout delineavit. Cor. van Merlen sculpsit.

FERDINANDVS II.

Sal. Ann. 1578

OCCIDENTIS IMPERATOR XLIX.

E L O G I V M.

Auſtria prodigio grauida,
parturit tandem *Ferdinandum II.* V.
Regem ſimul Cæſarem, & Apoſtolum;
Matthiæ patrui adoptionē filius
Magiſtra vſus *Maria* Sereniſſima matre; VI. *educatio.*
ſtare didicit *iuxta Crucem*,
Pia *Guillelmi Bauari* enutritus in aula;
dubium fecit;
Pietatem ex inſtitutione traxerit, an ex vtero?
Per cathedram conſcendens ad ſolium VII. *ſcientia.*
Philoſophari Principem docuit:
& imperare à Muſis edidicit:
Ne vulgari Sophia lateret ſub pallio;
ſed paludata ſplenderet in purpura.
Literarij priùs ponè Romani Rector Imperij
Diuinus Plato
Rempublicam ſuam firmauit Iuſtitia, & pietate;
Dei vel Hominis Idea fuerit?
1600. Lauretanā habes in mappa: VIII. *peregrinatio.*
Homo plantauit, Deipara rigauit, Deus incrementum dedit.
Seculum quod naſcebatur, vt cuderet ſi non aureum, ſaltem pium
Scipione, & penula in mundum deſcendens energumenum,
cicurari aggreditur cinere, & cilicio,
Lauretanam Virginem pedes peregrinus inuiſens,
Domeſticam habere debuit,
quæ lactenti admouerat vbera.
Iurauit bellum in domo pacis, ſed in hæreticos; IX. *Votum aduersùs hæreticos.*
Et in Troiam perfidiæ armauit Græciam fidelem,
Stipendia pactus cum *Caſtrorum acie ordinata*,
Mariæ nomen in teſſeram intexuit militarem,
Faſcium numero, non faſtu ſeggregans Faſtos
Trieteride coronatur
Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ X. *triū annorū ſpatio coronas accipit.*
Rex, Imperator, Apoſtolus.
Felicia Regna;
quæ vel Reges habent Apoſtolos;
vel Regios Apoſtolos.
Fallitur qui ſortem damnat;
Non minùs Cœſarem ſortimur, quàm Apoſtolum;
At ne ſit tibi *ſors peccatorum peſſima;* XI. *Deipara iubente Moguntinus eligit Ferdinandum in Imperatorem.*
Deiparam ſuſpice, quùm è Cœlo ſpectabilis
Moguntino imperat, imperium *Ferdinando tradere*.
Imperatorem credens eſſe *oculum Dei*
Adulatores poſthabuit; Sciens, XII. *adulatores odio habet.*
Oculum numquàm ſine detrimento palpari.
Inito cum Deo fœdere,
Vt ille *Ferdinandi* perderet hoſtes, Hic Dei;

Sal. Ann.

XIII. Fridericus Palatinus vsurpat coronam Bohemiæ; Gabor diadema Hungariæ.

Hoc Ioue extirpari metuère Gigantes,
Montes montibus, Pelion Ossæ addidere Phlegræi
Vt è Cœlo Deum, *Ferdinandum* è solio deturbarent. 1619.
Arma tractantibus
Impia quia in Deum, perfida quia in Cœsarem
Friderico Palatino, & *Bethlenio Daco*
veluti suæ impietatis Atlantibus militem Erebus suggerebat;
quia cum Hæresi regnare Cœsar nollet;
Cum Cœsare Hæresis non posset.
Togam tamen non posuit, nec sago induit,
Ne cogeretur, vel in hostes ferreus esse.

XIV. Victo Palatino, Praga recuperatur.

Praga flagitij metropolis plaga percussa, 1620.
hostes litauit hostias Cœlo exigenti
vt victimarum more cæderentur, vel cederent.
Eadem die, ea hora, qua Ecclesia canit,
Reddite quæ Cæsaris Cæsari, quæ Dei Deo.
Bohemia amisso *Friderico*, inuenit in *Ferdinando* Deum.

XV. Ecclesiam Deiparæ erigit.

Cessit Imperatori victoria, Cœlorum Imperatrici triumphus.
Ex hostium manubijs tholo ad Tyberim, Capitolio ad Albim
Deiparæ erecto; nil sibi retinuit præter Constantiam.

XVI. Gaborrem vincit.

Bohæmiæ appendix Pannonia fuit 1621.
Vbi post breuem fabulam Rex personatus in *Gaborrem* euanuit.
Sordebat Victoria,

XVII.

Nisi de Regibus post Pseudo Reges triumpharet.
Gallia, Dannia, Suecia, Britannia
in vno deuictæ *Mansfeldio* 1622.
Palatinatum cessete Cæsari, & Deo:
Catholico reuocato ritu dudum proscripto.

XVIII. Bellum rusticum.

Insana cupiditas vel Deo subsannat, vt regnet,
breue tamen regnum aduersùs Deum.
In Austriam proserpserat Hydra Bohemica;
& rusticos excitauerat in paganos.
Sed Herculem experta pium
tot capita perdidit, quot erexit.
Ferdinandus tot victorias numerauit, quot hostes.
Domiti Britanni, inclinati Dani,
Concussa Borussia, triumphata Pomerania,
Fugati Gothi, fusi Thraces.
Victus *Fridericus*, superatus *Mansfeldius*
Et quidquid cum socia Africa ab ipso Bosphoro
traxit furor in arma, confusum cecidit,
Ferdinando orante, *Maximiliano* pugnante.
Fide non minùs armatus quàm perfidia,
Hostes suis catenauit piaculis.

XIX. Danos vincit vento Austro fauente.

In Danorum damnum coniurato Cœlo: 1623.
fumantes vrsos fumi nebula Aquila strauit,
& Austri pro Austrijs pugnantes
Eodem felicitatis Horoscopo,

XX.

Qua die dederunt imperium, etiam seruarunt.
Dormire poterat Ferdinandus, quia Deus vigilaret;
ne deessent fulmina Cæsari.

XXI. Vsque ad mare Balthicum fugat hostes.

A mari vsquè ad mare cum regnum protulisset pietatis,

Vna

Sal. Ann. Vna arte, vna arce, vrbes defendit & orbes.
Crux illi ara, & arrha victoriæ,
obrui haud poterat,

XXII *Deum semper consulebat.*

quia vel naufragus teneret in malo malaciam.
Fortunæ Dominus constanter prosperam, aduersam fortis
Hostis sui, amicus hostis
Durus in genium, ingenio placidus,
Semper victor, ira semel aliena deuictus,
1629 parcere voluit, cum non potuit.

XXIII *eo inscio, Mantua diripitur à milite Cæsareo.*

Seuerum *Imperatoris* nomen cum Austriaca dissimulasset pietate,
Omnium se patrem præstitit.
Mantua sola agnouit iudicem.
Tanti funeris nullo fœnore,
Mantuano sanguine Austria pietas ferè demersit,
1630 *Quasi Germaniæ non satis esset Hercinia,*

XXIV *bellum cum Gustauo Rege Sueciæ.*

Noua è Suecia emersere monstra.
Armorum sonitum toto Germania Cœlo
Audijt, insolitis tremuerunt motibus Alpes.
In Germaniam ipsa cum *Gustauo* coniurauit Germania

Gustaui victoria

Cæsariano cæso milite
à Rheno, & Danubio, vsque ad Rheticas Alpes
Pugnator, victor, & triumphator,
Ducentis ferè vrbibus Austriaco ereptis imperio,
Italia, Europa, Orbis, Cœlum ipsum
Vnius tremuit incursu,
Fatum ipsum non audebat in Suecos
nisi in auxilium nouo Deus adesset prodigio.
1631 Oportunus adfuit coniuratis socio miraculis
Fatale cum esset Sueco vincere,
nequijt cadere sine victoria.

XXV *Gustaui mors.*

Incertum adhuc an priùs vinceret, vel caderet?
Fauit *Gustauo* fortuna, *Ferdinando* virtus.
Ea ne Regem desereret, percussorem celauit;
Ne vilis homo gloriaretur, occidisse Regem tam grandem,
Quem sustulerat *Dextera Domini.*
Hinc sæcula discant
Indomitum nil esse pio, tutumuè nocenti.
Prostratæ superstitionis trophæa
1637 Ceu vellet ipsemet *Ferdinandus* nuntiare Superis,

XXVI *Mors Ferdinandi II.*

Non longè Cœlum petijt
Postquàm in solio pietatem locauit.
Religio illi tanta,

XXVII *religio.*

Vt baptismo fluminis iungeret martyrium flaminis,
Manum cum fatigasset facis pondere,
quam Deo homini in publicum gesserat prodeunti;
Desistere monitus, silere monuit,
Quia manus altera superesset, qua Deo seruiret.

pia dicta Ferdinandi.

Nec opus manibus,
Vbi pro nobis pugnat, qui totus est manus.
Et si pugnare desistat?
Dulce mihi mendicare prò Christo.
Minor vel maior sim; ni sine te,

Sal. Ann.

Exalta me, humilia me: glorificabo te.
Hac Principis innocentia nil perduellibus nocentius fuit;
Dubiumque reliquit
Cui plus tribuerit Deo, vel imperio?
XXVIII *Gustauus laudat Ferdinandum.* Plus eum subditi dilexerint, vel hostes prædicauerint?
Gustauus in tanta Fortuna
Vnam(dicebat)*timère, Ferdinandi virtutem.*
Bethleniij verba. *Bethlenius* in tanto rerum successu
arduum credidit in Ferdinandum pugnare
quem nec aduersa deijcerent, nec prospera extollerent.
verba Mustazani Barbarorum Principis in laudem Ferdinandi. Tantam pietatem Turcarum ipsa laudauit impietas
Ferdinandus Sanctus est
Deus cum illo est, prò illo pugnat.
Subscribe viator,
Non aliter viueret pietas, si ex hominibus nasceretur.
Aulam cum fecisset Piam,
Stetit Septemtrio septem *Ferdinandi* virtutibus.
Ita aras sanctis, sanctimonialibus claustra
Deo templa, Sacerdoti cœnobia:
XXIX Ipsi Deiparæ
Imaculatæ Conceptionis plausum conciliauit Germanum.
Cum ita vixisset, piè morienti
XXX *Mortuo Ferdinando Turca parentant.* Orcus ipse gradum fecit ad Superos
Et impius parentauit pio
quo debuit, cum non posset.

CATENA HISTORICA CAP. II.

1 *Ferdinandi II. Imp. natalia: peregrinatio. 2. 66. coniuges liberi. 3. Imperiũ suscipit. 4. ab hæreticis vndiq; impetitus. 228. 6. mira in Deo fiducia. 9. Cælo iubente Imperator creatus. 20. inducias paciscitur cum Gaborre. 21. eius legatio ad Principes. 23. Fridericum Palatinũ monet Bohemia discedere. 23. pax cum Turcis. 25. Mulhusij conuentum habet. 44. victoria in Bohemos. 56. pœnam sumit de perduellibus. 75. Heidelberga potitur. 76. protestantes Bohemia deturbat. Saxonem ad comitia vocat. 77. Maximilianum Bauarum eligit* Electorem S.R.I. 83. *tentat placare Saxonẽ. 93. inducias cũ Transyluano. 98. hæreditatem suam ercisci mãdat. 103. collegia instituit in Pannonia. 103. curat filiũ coronari Regem Hungariæ. 110. Cælo iuuante de Danis triumphat. 118. offert veniam Palatino, sed frustra. 119. Mulhusij conuentum agit. 120. Ordinem Ecclesiasticum in comitia Bohemia restituit. 121. Vrbes Anseaticas ad fœdus inuitat. 128. de Dano triumphat, cum eo pacem init. 129. mandat bona catholicis restitui. 131. Leopoldum VVilhelmum filium nominat Archiep. Magdeburgensem. 132. coniuratur in eum. 135. iubet militem in Mantuam descendere. 138. detestatur Mantuanam direptionem. 139. parcit duci Mantuano. 140. confirmat restitutionem bonorum faciendam catholicis. 144. laudatur à Gaborre moriente. 147. decernit occurrere Suecorũ Regi. 154. ei scribit. 175. Italos in Suecos solicitat. 176. illuditur ab hæreticis. 211. Deo gratias agit victo Sueco. 214. pax cum Saxone. 222. de pace agit. 227. mors. 229. religio. 230. clementia. 231. continentia. constantia. 233. forma corporis. 233. Byzantij parentatur.*

1 *Caroli filij Ferdinandi* I. *Imper. symbolum.*

1 *Maximiliani Ernesti Austrij symbolum.*

5 *Leopoldi V. Austrij effigies, symbolum.*

5 *Carolus Caroli filius Austrius. symbolum.*

2 *Maria Bauara vxoris Ferdin. II. Imper. mors. peregrinatio.*

2. 66. *Eleonora Mantua vxor Ferdin. II. Imper.* 148. *coronatur.*

5 *Henricus Matthæus Turrianus Viennam obsidet. 43. eius filius capitur à Cæsareis. 85. Turcas conducit.*

7 *Ca-*

7 Carolus Longuevallius comes Bucquoij vincit Mansfeldium. 34. vulnerati ludicra vox. 37. pugnam dissuadet Bavaro in Bohemos. 50. Moraviam in deditionem cogit. 59. Mors.

7 Ernestus Mansfeldius victus. 19. frustra tentat Crempsium. 53. strenuè defendit Palatini causam. 54. proscribitur. 61. Vangiones invadit. 62. vitæ discrimen. 63. penè interceptus dolo fugit. 66. movet in Tillium. victor, & victus. 70. Landgravium capit. 73. ad Batavos se confert. pugnat in Cordubam. 63. eius astus, inventor tormenti campestris ex corio. 81. stipendia accipit à Batavis. 105. Servestam occupat. 107. mors: ei Turcæ salvum conductum à Mahumeto rogant.

9 Io: Sweickarto Moguntino Archiep. Deipara imperat Ferdinandum Austriacum eligere in Imperatorem.

10 Fridericus Elector Palatinus eligitur Rex Bohemiæ. 13. Pragæ inauguratur: symbolum. 20. Sanctorum imagines deturbat. 41. eius vexillum cum lemmate. 42. victus Dominica, Reddite quæ Cæsaris &c. 45. inducias petit: fugit. 46. pœnam luit violatæ Sanctorum imaginis. 55 proscribitur. 66. iterum larvatus irrumpit, & Mansfeldio iungitur. 73. arma deponit 75. eius patria occupata à Cæsare bibliotheca dono mittitur ad Papam. 187. mors. 188. deceptus fabulis Astrologorum.

10 Christianus princeps Anhaltinus conspirat in Cæsarem Ferdin. II. 40. capitur à Cæsareis. eius filius. 13. effigies.

11 Carolus dux Sabaudiæ invitatur ad coronam Bohemiæ.

12 Elisabeth filia Iacobi Angliæ Regis urget maritum, subire coronam Bohemiæ. 13. inauguratur. 20. odio habet imagines sacras.

12 Io: Frider. VVirtemb. contra Ferdinandum II. stat in partibus Friderici Palatini.

12 Mauritius Landgr. Hassiæ stat in Cæsarem.

12 Ioachimus Ernestus Marchio Anspachius in partibus Palatini contra Cæsarem. effigies.

12 Georgius Frider. Baden. in partibus Palatini contra Cæsarem. effigies.

12 Maximil. Dux Bavariæ arguit Fridericum Palatinum. 17. Dux fœderis Catholici in Fridericum Palatinum. 44. victoria insigni profligat Bohemos. 46. Pragam in deditionem accipit. 48. Deipara victoriam sacrat. 49. ei gratias agunt Papa, & Cæsar. 79. fit Elector Palatinus. 178. Sueco occurrit ad Lycum. 191. Suecos Bavaria pellit. 192. vincit Hornium. 221. nuptiæ cum Maria Anna Austriaca.

14 Gabriel Gabor conspirat in Ferdinandum II. Hungariam pervadit. 15. Renuntiatur Rex Hungariæ. 51. Posonij coronatur: vita. 85. Goettingam obsidet. 144. mors. Moraviam populatur 60.

14 Rudolphus Tieffenbachius fugatur. 38. pugna in Bohemos.

14 Georgius Humanaius Ragotzium vincit.

19 Henricus VVallius comes Dampierius Edēburgum occupat. 52. effigies: movet in Gaborrem. occiditur. hostis ei parentavit.

20 Andreas Schlichius populum Bohemiæ Friderico Palatino reconciliat furentem. 43. capitur. 56. capite damnatur.

21 Henricus Iulius Lauenburgicus.

21 Hieronymus Helverius.

22 Iacobi Regis Britanniæ legatio ad Cæsarem pro Palatino 61. nova legatio. 86. urget Palatini restitutionem. 87. decernit bellum in Cæsarem. 88. fœdus cum Gallo, & Veneto. 89. naufragium. 99. mors. 52. effigies.

24 Paulus V. Papa auxilia mittit Ferdinando II. Cæsari in Protestantes.

25 Io: Georgius Elector Saxoniæ Cæsarem iuvat adversùs Palatinum. 26. Lusatia committitur ei ordinanda. 29. Lusatiam occupat. 50. Silesiam in deditionem accipit. 76. intercedit apud Cæsarem pro protestantibus Bohemiæ. 95. acquiescit Palatini depositioni. 160. cum Sueco conspirat. 161. Cæsarem admonet. 167. iurat fœdus cum Suecis 170.

27 Ambrosij Spinolæ gesta adversus Bohemos. 55. 104. Bredam accipit. 136. mors.

27 Henricus Orangius Bohemis rebellibus suppetias fert. regreditur.

28 Ernestus Ludov. Lauenburgicus à rusticis occisus.

30 Ioannes Tillius vicarius Ducis Bavari in Bohemos. 66. victor & victus. 69. Durlacensem vincit. 71. Mansfeldium carpit. 72. vincit Brunsuicensem. 75. Heidelbergam capit. 81. Comes creatur. 82. in Cattos movet. 101. Nienburgum frustra obsidet. Calenbergam occupat: Danos cædit. 110. vincit Regem Daniæ. 123. Stadium occupat. 148. Dux expeditionis in Suecos. 158. Neobrandeburgum recuperat 163. Magdeburgum expugnat: pietas. 166. Sueco Regi pugnam offert. 167. Lipsiam occupat. 168. vincitur à Sueco aliena culpa. 169 effigies: vulnus accipit. 177. Bambergam recuperat. 178. mors.

31. Ma-

133 Gon-

133 *Gõzales Cordubensis suadet Hispanis Mãtuam occupare. in Casalem mouet. effigies.*

132 *Carolus Emanuel Dux Sabaudiæ mantuæ prensat principatum.* 133. *mouet in Casalem.* 136. *victus. moritur.* 11. *inuitatur ad coronam Bohemiæ. effigies.*

136 *Armandus Cardinalis Richelæus Pinarolum cum Gallis occupat.*

135 *Ranbaldi Collalti effigies.*

135 *Io: Aldringerij effigies.* 193. *Hornium fugat.* 204. *mors.*

137 *Matthias Galaßius Mantuam capit.* 173. *vicarius VVallensteinij.* 182. 184. *effigies. gesta in Franconia.* 200. *Fridlandum eludit.* 201. *Cæsari proditionem aperit. Summa præfectura donatur.* 219. *victoria.*

137 *Io: Franciscus Marchio Gonzaga proditionis suspectus.*

126 *Gustauus Rex Sueciæ auxilia mittit. Stralensundanis in Cæsarem.* 144. 146. *cur arma in Cæsarem tulerit* 145. *fœdus cum Germaniæ Protestantibus.* 146. *delecta Suecia in flagellum Dei.* 147. *ad Electores scribit Imperij. eis irascitur obnegatum titulum Regium.* 149. *Rugiam occupat.* 150. *pium dictum. preces fundit, cum primum in terram descendit.* 151. *Pomerania potitur.* 152. *Sturgadum occupat.* 153. *vitæ discrimen.* 154. *acutum responsum dat Cæsari.* 155. *Magdeburgenses in societatem pertrahit.* 156. *fœdus cum Gallo, & Anglo.* 158. *Francofurtum expugnat.* 159. *Landspergam in deditionem accipit.* 164. *cum Electore Brandeburgico simultas. cogit cum eo fœdus coire.* 165. *audit Moscouitarum legatum.* 168. *pugnam Tillio offert. omen victoriæ.* 170. *Moguntiam capit.* 173. *Francofurtum in deditionem accipit.* 174. *Romanorum ambit imperium. nummi. leges dicit Coloniensibus iniquas.* 179. *Augustam occupat.* 180. *Bauariam populatur. Monachium expugnat.* 184. *vulneratur. occiditur.* 186. *incertum cuius manu ceciderit.* 184. *effigies, symbola & n.* 170

144 *Georgius Ragotzius Transiluaniæ principatum vsurpat.*

149 *Caroli Auriæ religio, pietas.*

151 *Torquati de Comitibus incuria in Suecos.* 153. *Regi Sueco insidias struit.*

152 *Gustauus Hornus Suecis auxilia fert.* 177. *Bambergam occupat.* 187. *gesta in Halsatia. effigies.* 204. *gesta in Suecia.* 210. *captiuus.*

155 *Magdeburgenses in Cæsarem cum Sueco conspirant.* 163. *ciuitas à Cæsareis direpta. incendio absumitur.* 164. *omen incendij.*

156 *Theodorus Falckenbergius Suecorum tribunus Magdeburgũ ingreditur.* 163. *occiditur.*

156 *Carolus Dux Lauenburgicus à Cæsarianis captus.*

156 *Sauellius Dominum cum infamia cedit.*

160 *Lipsiense fœdus.*

162 *Adolphus Dux Holsatiæ in expugnatione Magdeburg.* 168. *occiditur.*

167 *Furstembergius Sueciam, Franconiam Cæsari reconciliari cogit.*

170 *Io: Elector Saxoniæ Lipsiam recuperat. victoriæ.* 189 *arma sociare recusat cum Vinmariensi.* 205. *in Lusatiam irrumpit.*

170 *Balthasar Marradius Budouiciũ defendit.*

175 *Estræus Gallorum Præfectus Treuirensem ditionem occupat.*

176 *Christianus VVilhelmus Marchio Branderburg. Romanam religionem profitetur.*

181 *Ferdinandus Caraffa occiditur in prælio.*

181 *Io: Bapt. Chieza in prælio occisus.*

181 *Leonardus Torstensonius captiuus Cæsaris effigies.*

182 *Bernardus Dux Vinmariensis Rainam expugnat.* 189. *Suecorum præfectus.* 190. *Lipsiam expugnat.* 192. *Ratisbonam.* 194. *gesta in Franconia, Sueuia.* 211. *victus fugit.* 220. *Cæsareos vincit.* 187. *effigies, symbola.*

184 *Franciscus Albertus Dux Saxoniæ pugnat in Turcas.* 202. *à Cæsareis captus.*

185 *Octauij Picolominei fortiter pugnantis in Suecos. effigies.*

187 *Guilielmi Baudisij gesta in Mõtẽsi ducatu.*

188 *Sigismundi III. Regis Poloniæ mors, effigies.*

188 *Vladislai IV. Regis Poloniæ effigies.*

189 *Axelius Oxensternius rerum arbiter in Suecia. effigies.*

189 *Christiana Suecorum regina.*

191 *Carolus Dux Lotharingiæ mouet in Suecos.* 219. *à Gallis victus.* 224. *Gallos vincit.* 209. *suppetias Cæsari adducit. effigies.*

193 *Fertæ Ducis obitus.*

194 *Christianus Dux Palatinus Heidelbergam recuperat.* 189. *effigies.*

194 *Io: à VVerda Suecos vincit.* 210. 219. *victus à Gallis, postea vincit.* 189. *effigies.*

194 *Georgius Luneburgicus Cæsareos vincit.* 189. *effigies.*

195 *Ludouicus XIII. Rex Gallorum mouet in Lotharingum.* 215. *fœdus renouat cum Suecis in Cæsarem.* 217. *plures exercitus mittit aduersus Austrios.* 218. *frustra obsidet Louanium.*

nium.225.Hispanos fugat.215.effigies,symb.
205 *Godefridus Gelhenius Suecos vincit in VVestphalia.*
205 *Caspar Crupius.*
205 *Meleander Hassorum præfectus.*
207 *Io:Georgius Arnhemius Saxonum ductor in Silesiam irrumpit.*
207 *Io:Bānerij gesta.223.226.Saxones vincit.*
208 *Fidei exemplum memorabile.*
209 *Gulielmus Lamboius vincit Suecos.224*
209 *Rudolphus Colloredus Suecos vincit.*
209 *Ferdinandus Austriacus Hispaniarum infans,Cardinalis, Belgij præfectus 210. victoria in Suecos.225.Parisios vsq;populatur.*
209 *Othonis Ludou.Rheni comitis gesta.effigies.*
215 *VVilhelmus Hassiæ Landgrauius pertinax in Cæsarem.223 gesta.*
215 *Gaston Aurelianensis in fratrem Regem molitur.symbola.*
216 *Philippi Christophori Electoris Treuir. cum Gallis fœdus, effigies,*
217 *Captiuus Cæsaris.*
217 *Thomas princeps Sabaudus Hispanorum præfectus à Gallis victus.209. effigies.*
217 *Iacobi Forçai, symbola.*
217 *Caroli Crequij symbola.*
217 *Henrici Ducis Rohannensis symbola.*
217 *Gaspari Castillionæi symbola.*
218 *Octauius Piccolomineus Louanium defendit. effigies.*
223 *Melchior Hatzueldius Saxoni suppetias fert.*
223 *Gertzij gesta.*
224 *Ludouicus Condæus Princeps Dolā obsidet.*
225 *Maria Hispana cōiunx Ferdin.III.Imper.*
211 *Georgij Hassiæ effigies.sequester pacis inter Cæsarem,& Saxonem.*
211 *Eberhardi VVirtemberg.effigies.*

1 EX *Carolo* filio *Ferdinandi I.*Imper.& *Maria* filia *Alberti* Ducis Bauariæ nascitur *Ferdinandus VI.*Archidux Austriæ, in numero Cæsarum *secundus* huius nominis, Anno 1578.Die IX.Iulij Grezij in Stiria.

Carolo fuere liberi,

Ferdinandus V. natus Iudenburgi XXV. Iulij Anno 1572.ibidem obijt.Sepultus in Cænobio Seccouiensi.

Anna Austriaca regina Poloniæ, Grezij nata 16.Aug Anno 1573.Nupsit Sigismundo III. Succorum & Polonorum Regi Anno 1592. Obijt vtriusque coronæ conciliatrix.

Maria Christierna VI. Grezij nata X Nouemb.Ann.1574. nupta *Sigismundo Bathoreo* Principi Transsyluaniæ.

Catharina Renea nata Grezij Ann. 1576. Die V Ian.

Elisabetha XII. Austriaca nata Grezij Ann. 1577.Die XIII Mar.obijt XXIX Ian.An.1580.

Ferdinandus VI. Imperator, de quo dicturi sumus.

Carolus V. Austriacus natus Græzij XVII Iun.An.1579.obijt XVII Maij 1580.

Gregoria Maximiliana Austriaca Græzij nata,XXII Mar.Ann.1581.

Leonora V. Austriaca nata Græzij XXV Septemb.An.1584. Nupsit *Philippo* III. *Austriaco* Hispaniarum Regi Valentiæ Ann.1599. Obijt maximo omnium luctu Hispaniæ desiderium, mater pauperum,in puerperio *Alphonsi Caroli filij*,XIII.Octob.An.1611.

Leopoldus V.

Maria Magdalena I. nata 1587. nupta 1608. *Cosmo Mediceo* filio *Ferdinandi*, magno Duci Hetruriæ IV.

EDVCATIO FERDINANDI II. *MORES, CONIVGES.*

EPhebus *Ferdinandus* II. in aula Bauarica apud *VVilhelmum* cognomento *Pium*, basilicæ religionis elementa traduxit. Ab hac ad Ingolstadiensem Academiam traductus ita feliciter sapuit, vt omnium Scientiarum Enciclopediam breui gyro concluserit. Vnde illius nobilissimi Athenæi Rector, virtutum, artiumque bonarum pretio, & ambitu coronatus, priùs literariæ Reipublicæ, quàm Romani imperij meruit solium obtinere. Iuncta postea sibi in vxorē *Maria Anna* Bauariæ Ducis *VVilhelmi* filia, sorore *Maximiliani* Septemuiri (Anno 1600.IX Kal. Maij,) raro summæ pietatis non exemplo, tantùm sed prodigio, humili indutus habitu in Scipionem viatoriū mutato sceptro,& in penulam purpura, pedes cum regia coniuge *Maria Anna*, pietatis potestatisque consorte ad Deiparam Lauretanam peregrinationem inijt. Crebrum fuit eis pro viatico ieiunium, & qualia futurum deinde decebant imperatorem in populos pauperum eleemosinarum congiaria. Vixit *Maria Anna* vsque ad Annum 1616. Ex hac suscepit I*ohannem Carolum* natum Anno 1605.die I Nouemb. II. *Ferdinan-* 11

peregrinatio Lauretana.

Sal. An. 1619. *dinandum Ernestum* natum, 1608. Die Margarethæ Sacro. III. *Mariam Annam* natam Anno 1610. die XIII. Ian. IV. *Ceciliam Reneam* An. 1611. die XVI. Iulij. V. *Leopoldum VVilhel-*



mum natum Anno 1615. die VI. Ian. Vxorem, & duas priores proles ante susceptum imperiũ amisit. Dein sexto viduitatis anno *Eleonoram* Mantuæ Ducem secundis nuptijs duxit; vt habes ex nummo connubiali, cuius in fronte stant *Ferdinandus*, & *Eleonora*.

IMPERII OCCVPATIO. Ann. 1619.

III MAtthiæ obitus cum pijs mærorem, rebus Imperij lugubrem faciem, magnamque consiliorum mutationem attulisset: Pragæ pacis intercidère vota. Acatholici ex interregno occasionem nacti, magnas spes fortunæ in maius attollendæ conceperunt. Catholicorum potissima cura erat, prospicere, ne ex mora successionis, res communis succumberet. Interim *Ferdinandus* inter has flagrantissimas turbas, regnorum suscipit administrationem. Primum eius diploma, quo stabilitis regni priuilegijs, Magistratibus à *Matthia* constitutis sed per Proceres abdicatis potestatem prorogabat, de belli continuatione interpretati, quòd & acriùs
IV simul à *Bucquoio*, & *Tampierio* comitibus vrgerentur, incolas capere arma iussère, multo audaciùs bellum prosecuturi. Cum eis conspirabant Silesij, Moraui, Hungari, qui eiectis Patribus Societatis Iesu eamdem defectionem meditabantur. Adhæc exhausta continuis funeribus Domus Austriaca contra tot motus parum valitura videbatur, longinquo, imo & distracto Hispanorum auxilio. Spem firmabat Interregnum, cuius vicariam administrationem de more gerebant *Saxo*, & *Palatinus* Electores. Hic Euangelicæ vnionis armis, validus clam fauebat Bohemis. His roboratus *Turrianus* in Morauia Zuambram, Lipuitium, Olomutium aliasque nullo resistente ciuitates suæ potestatis facit. Inde in Austriam inferiorem,

Sal. An. 1619.

V *Turrianus Viēnam obsidet.*

irrumpit, & occupata Labauia ad Viennæ suburbia copias ducit. Ibi stabat Rex *Ferdinandus*, & Austriaci proceres religionis dissidentes discordia, non pauci cum *Turriano* conspirabant. Maiori vnquam discrimine visa est nutare domus Austriaca. Ab homine desertus *Ferdinandus*, solita Austriacorum innata pietate, ad Deum confugit.

VI *Spes Ferdinandi in Deo.*

Memorant eo tempore à camerario obseruatum Regem in conclaui suo ante Christi è Cruce pendentis effigiem humi pronum, deiectumque iacère. Mox aduenienti confessario suo, adfirmasse, *breui affore opem diuinam*. Nec spes fefellit. Nam interim *Bucquoius* quotidiano militum ex Pannonia, Belgio, Italiaque affluxu validior

VII *Bucquoij victoria.*

Ernestum Mansfeldium, Bohemorum ductorem, ad Nadlitiam acri certamine profligat, subsidiarias Hohenloi cohortes frustra implorantem. Victori Theinium, VVitingauia, Fromberga, Rosenberga, aliaque loca munita dedere manus, qui spolijs onustus, ingemiscentibus Bohemis, Budeceisam ouans ingreditur. Ea causa *Turriano* in Bohemiam celeriter reuertendi fuit. Huius aduentu recreati Bohemi, prædatorias Valonum, & Heiducorum copias, quibus nec viuis nec mortuis parcere ingeniū est, si lucrum affulgeat, passim carpūt. At *Bucquoius* XVII bellatorum exercitu fortis, Gretsam, Veitrachum, aliaque oppida deditione cæpit: *Tampierio* aduersum Morauos misso. Sic adulta iam æstate, depulsoque Vienna *Turriano*, Francofurtum proficiscitur *Ferdinandus*. Vbi *Iohannes Sueickartus* Moguntinus Septemuir, comitia creando Cæsari indixerat.

VIII *Comitia Francofurti.*

Bohemis, qui iam leges agitarent nouas, in quas Rex suus iuraret, nihil accidere poterat aduersius, quàm *Ferdinandum*, cui regnum ipsi abrogatum ibant, vt Regem Bohemiæ comitijs interesse, & talem à Septemuiris recognosci. Igitur per legatos, ei suffragij ius non esse, qui Bohemiam minimè possideat, contendunt.

obiectio Bohemorum.

Facesserat etiam *Palatinus* negotium, monens ne electio præcipitaretur, componenda ante dissidia, tum rectiùs eligi, cui pacatum traderetur imperium. Hisce perendinationibus, moras interregni quærebat longiores turbandis rebus peridoneas. Nihil tamen ea Palatini, aut

IX *Ferdinādus creatur Imperator.*

Bohemorum ratio reliquos Septemuiros morata est, quin ad statutam diem conuenirent, vt labanti imperio virum imponerent, qui sapientia, & auctoritate rebus penè desperatis succurreret. Stabant in comitijs *Sueickartus* Moguntinus, *Lotharius* Treuirensis, *Ferdinandus* Coloniensis, tum ipse Rex Bohemiæ, Hungariæque *Ferdinandus*: reliqui tres misère legatos. *Io: Georgius* Saxo *VVolgangum Mansfeldium*; Palatinus *Ioannem Albertum Almensem* comitem; *Io: Sigismundus* Brandenburgicus *Adamum Gansium Baronem de Purlitz*. Ab his XXVIII Augusti (dicunt alij in peruigilio Natæ Virginis) omnium consensu electus *Ferdinandus*; proponente Moguntino (cui Deipara è Cœlo spectabilis, vt constanter eligeret *Ferdinandum*, imperauerat) & mense ineunte sequenti sub augustissimo Missæ sacrificio, Imperialibus de more ornatur insignibus.

Huius rei nuntio perculsi Bohemi, Marcomanis, & Quadis in societatem adscitis, coacto Pragæ procerum conuentū; post decreta ad bellum pertinentia, abrogato *Ferdinando Austriaco, regno, Federicum Electorem Palatinum* sex & viginti annos natum omnium ordinum consensu, ac plausu, Regem creant: satagente in primis *Christiano principe Anhaltino* superiorum Vangionum præfecto, qui huius rei sedulus internuncius cum purpuratis Bohemis arcanis colloquijs transegerat. Pro Daniæ quoq; Rege, Saxoniæ, Vindeliciæque ducibus quidam candidati præhensarunt; sed cum plurima obstarent eorum electioni; in vnum *Palatinum* vnanimes consensere. Legatos etiam miserant ad *Carolum* Allobrogum Ducem, venale diadema proponentes pretio quingentorum millium aureorum, quater mille peditum, mille equitum, quos suis stipendijs lectos mitteret auxilio, aleretque ad triennium.

X *Palatinus Rex Bohemiæ.*

XI *nominati ad coronā Bohemiæ.*

In Palatinum conuenere proniores loci vicinate adducti, & regia affinitate, nam ei *Elisabeth* filia *Iacobi* Regis Britanniæ coniunx erat. Ancipitem, & in dubia agentem vicit vxor natura tumida, & regij tituli ambitiosa. Religio plurimos conciliauit fautores: *Io: Fridericum* VVirtembergicum; *Mauritium* Lantgrauium Hassiæ; *Christianum* Principem Anhaltinum; *Ioachimum Ernestum* Marchionem Anspachium; *Georgium Fridericum* Badensem, Marchionem Durlachensem, cæterosq; ferè protestantes & Austriaci nominis hostes, non tam proprijs viribus, quàm Catholicorum fortes incuria. Aulici namque Cæsarei Rempublicam negligentes vel clam coibant cum hostibus, vel militum stipendia fraudabant; Perfidi specie pacis aulica rimantes arcana cursitare permitte- XII

mitte-

Sal. An. 1619. mittebantur vbique; & quid Gallus meditaretur, vel Allobrox; qui obſeruaret, non erat. Milites bellum ciuile potiùs in ruſticos quàm in hoſtem gerentes, oneroſus domi incubabat. *Ferdinandus* nondùm Imperator electus, ſpectare poterat, non accurrere. Duces vt plurimum diſſentientes, ſolumodò conueniebant in luxu, & crapulæ indulgentes, in tabernis vitam agebant. Hiſce Palatinus ſecurus, coronā ſuſcepit oblatā, Germanos de ſua coronatione admonēs præcipuè *Maximilian.* Bauariæ ducē; Is, vt erat mirè cādido, liberoq; ingenio, acri Palatinum ambitionis nota præſtrinxit; quòd alienum ſceptrum deferentibus ſeditioſis accepiſſet. *Conſideraret quàm leuia eſſent, quæ in Ferdinandum tentabat. Nullum diem Regibus fore ſecurum, ſi id in Dominos impunè liceat. Si quid* Ferdinandus *peccaſſet; adirent Imperij* Palatinũ Bavarus arguit.



principes rebelles, in cauſa propria haud vſurparent iudicium. Nihil recuſare Ferdinandum, *quò minùs res æquis iudicibus componatur. Suum proſpiceret diſcrimen; nam & ab ignauis facilè arma ſumi; non tamen deponi, quàm victoris arbitrio. Aliena cum inuaderet, ad ſua reſpiceret, ne vtraque perderet.*

Hæc plurimum turbarunt principem, vt quo

Sal. An. 1619. quo die Heidelberga excessit, confluente vt fit multitudine nouum honorem gratantium, visus fuerit illacrymari non sine omine eorum qui comitabantur, quasi dulcem amplius patriam reuisurus non esset, nam semel dumtaxat, idque perbreui tempore Heidelbergam reuisit.

Ex aduerso regnandi illectus cupidine, auida stimulante iuuenta, se inani aucupandæ gloriæ præcipitem dedit. Socer *Iacobus* Britanniæ Rex Genero, filiæ, & nepotibus non defuturus. Amici Vnionis Principes: Batauorum studia, Protestantium impulsus, spes oculta ab externis. Honestus in spetiem titulus, quia non peteret regnum, sed postularetur.

XIII *Fridericus inauguratur.* Pragam itaque profectus cum vxore, & liberis nouo ritu inauguratur acclamante populo, *viuat Rex Federicus*, à duobus prædicantibus Lutheranis regio diademate redimitus. Cōgiarium populo datum, proiecta in plebem *numisma Federici.* missilia, quorũ nota *erant quinque Imperialem cidarim rumpentes manus*. Postridie eadẽ regia pōpa vxor eius Bohemiæ regina inauguratur.

Coronatione peracta, ad solicitanda externorum se conuertit auxilia. Propinquum & præsens adferebat Transsyluaniæ princeps *Gabriel Bethlenius* (patrio idiomate *Bethleben Gabor* dictus) qui cum Bohemis conspirans,

XIV *Bethlenij Gaborris conspiratio cum Bohemis.* inani fiducia sperabat, vt Turcarum auxilijs eo regno potiretur. Postquàm Palatinum renuntiatum Regem intelligit, lustrato apud Claudiopolim milite, magnis itineribus in Hungariam superiorem irrumpit. Receptaque ibidem ad se Hungarorum rebellium firma manu, *Redegum Ferentium*, & *Sethsium Georgium* tribunos cum XVIII millibus transmittere Tibiscum, & occupare Cassouiam iubet. Vrbi præerat *Andreas Doczius* per Hungariam superiorem præfectus rerum militarium, nihil hostile metuens, & paulò ante Principis literis de pace abundè confirmatus; cum repentè adsunt Transsyluani, circumueniunt elusos, oppidum tradi postulant, Perterriti Cassouienses oppidum dedunt. *Doczius* in Transsyluaniam missus, moritur. Irruptio hæc ingenti terrore, Cæsarianos perculit. Fit magna fuga; in sacra præcipuè sæuitum. Nec deerant qui Transsyluanorum progressibus lætarentur, studio religionis, cuius libertatem sub Caluiniano principe exemplo Bohemorum quærebant. Ita Hungaria turbinis instar decursa, patentibus vbique portis, seu metu, seu amore *Gaborri* subditur. Ad Comorram, & Iaurinum hæsit victoris impetus. Tunc diuiso exercitu, partem in Morauiam mitit, & cum *Turriano* coniungit. Partem ipse ad Posonium obtinendum ducit; quò cum tres veteranorum cohortes *Bucquoius* subsidio misisset cum tormentis aliquot; Has cum in suburbio imbribus, & itinere fessas consedisse *Gabbor* intelligit, nocte intempesta immissis Hungaris aggressus, pene ad internecionem delet, *Rudolpho Tieffenbacho* tribuno vix elapso. Clades hæc deditionem maturauit. Iamque intercepto Visceto, atque arce Eberstorfia, Viennæ vsque mœnia excurrit. Cum subita *Ragotsij* clades in vlteriorem Hungariam retraxit. *Georgius* Comes *Humanaius* ex Hungariæ Dynastis fidus Austriacis, primo *Bethlenij* aduentu, cum parua manu in Poloniam secesserat; ibique valido collecto exercitu, redit in patriam. Occurrit *Ragotsius*, quem cum parte copiarum *Bethlenius* Cassouiæ reliquerat, *Hungari victi.* pugnatur, pellitur *Humanaius*; nec propterea animum despondet, redit haud multo post re- XV centibus copijs auctus. Fit iterum acris pugna, quæ in biduum extracta, cum neutri loco cederent, tandem Poloni simulata fuga, postquàm Hungaros, Transsyluanosque omissis ordinibus, quasi parta victoria transcurrere ad prædas conspiciunt, illico regressi, incompositos, atque impeditos adorti facilè fundunt. Cœsi pedites ferè omnes. *Ragotsius* vix fuga euasit. Hac clade reuocatus *Bethlenius*, omissa Vienna *Redeium Ferentium* cum parte militum coercendo *Humanaio* dimittit, ipse cum reliquis Posonium contendit; indictoque conuentu, cogit Proceres *Ferdinandum* abdicare, & se Hungariæ principem renuntiare.

Interea *Ferdinandus* Cæsar Francofurto discedens, superatis hostium insidijs, Viennam incolumis appulit. Principes verò *Conspirantium* primò Rotemburgi ad Tubaram, dein Norimbergæ congregati præsente ipso *Friderico*, qui se prò Rege Bohemiæ ferebat, apertè minabantur, *non posituros arma, nisi primùm Cæsar, dein Bauarus arma posuissent; & intermitterentur delectus, qui à Catholicis principibus ad sui præsidium parabantur. Dicasterium Spirense, & Aulicum Cæsaris in formam à se præscriptam redigeretur. Bona post transactionem Passauiensem à Protestantibus possessa, possessoribus relinquerentur. Quæ omnia intra bimestre spatium fieri volebant.* In eo tamen conuentu XVI *inclinatio ciuitatũ liberarum.* liberæ ciuitates rebus Bohemicis se immiscere no-

Sal. An. 1619. noluerunt, ne bellum in se verterent alienum: quamuis Palatinus conatus esset, iniurias acceptas commemorando ab amicitia Imperatoris auertere.

XVII Comitia Herbipol. Catholici cognitis tam crebris Protestantium consilijs, veriti ne opprimerentur incauti, & ipsi Herbipoli conuenere, de communi salute dicturi sententiam. In hæc fermè omnes consentiunt; vt pro se ipsis, Imperatoria Maiestate, exercitus compararetur. *Maximilianus* Dux Bauaria. *Vindeliciæ Regulus* Catholicarum partium, & sociorum omnium Dux à Cæsare antea dictus, iussit extemplò militem scribi. *Conspirantes* auditis Catholicorum bellicis apparatibus, priusquàm Noriberga discederent, per legatum *Rheinhastum* comitem apud *Maximilianum* queruntur grauibus, atque minacibus postulata Hæreticorum. postulatis, quorum summa erat, *Bohemiæ Regem, Imperij Septemuiros, Principes, comites, atque Ciuitates Correspondentes audiuisse, quod peregrinos exercitus in Germaniam paret immittere, atque externos Principes patrijs negotijs, & Germanicis implicet rebus. Quorsum tanti bellici apparatus? Quo impetum datura tanta gliscentis belli moles? Si Ecclesiastici his insanis conatibus sperant suis ceruicibus iniecturos iugum; falli sanè eos; nec passuros se pessum à suis hostibus dari, armisque fortiter propulsaturos iniuriam.*

XVIII responsio Catholicorum. Adhæc Dux Maximilianus Catholicorum nomine respondit: *Constare satis omnibus populis; vtri prius excitis tumultibus, ceperint arma; se toties ipsorum violentia, iniurijsque lacessitos iusta arma coactos induere; ne se impunè iniquo peterent bello. Eò malorum sæpè ventum esse, vt Catholici impulsi fuerint statiua in suis ditionibus illorum militibus dare. Vicos, pagos, huc, illucque volitantium hæreticorum agminum, discurrentiumque turmarum insolentia maxima incommoda, ac dispendia tulisse. Insuper ab ijs ipsis, qui à Catholicis in Germaniam induci exteros principes, & reges expostulant; Dacos, & Pannonios in excidium patriæ excitos ad arma, omnia incursibus, rapinis, ac cædibus infesta fecisse; atque ipsis Austriæ regiæ portis, explicatis in aciem ordinibus, intulisse terrorem. Amænissimum circa Viennam agrum, & Vindeliciæ campos Dacicæ feritatis adhuc ostentare vestigia; ipsos iactabundos identidem minitatos; venisse tandem diem, qua à templis, ac phanis Ecclesiastici pulsi, opimis sacerdotijs euerterentur: immo impudenter cantiunculis, & elogijs typis impressis Daci applausisse victorijs. Palam esse alicubi ob res in Catholicos ab illo barbaro feliciter, & crudeliter gestas, musicis modis, & numeris, lætissimisque vocibus cecinisse, TE DEVM LAVDAMVS, A Catholicis vero nulla fuisse exteri principis in tanto rerum suarum discrimine implorata; neque barbara arma in Germaniæ ruinam vocata. Regem Hispaniarum sanè vtpotè ex Serenissimo Austriaco sanguine propagatum, sua arma rebellibus intentare, suasque vires cum Germanis Catholicis sociaturum; ad coercendam Protestantium insolentiam, tuendasque hæreditarias Austriacæ gentis prouincias, auitaque regna, tota potentia Ferdinando Imperatori laboranti præsto futurum. Catholicos nulli graues imminere; armatos tantum pro communi salute excubituros; nisi fortè iniurijs ad capessendum bellum ab hæreticis prouocentur.*

Interim *Bucquoius* cum Edemburgum Pannoniæ vrbem frustra occupare tentasset; feliciori euentu *Tampicrius* sub auroram perfractis portis, dirutis valuis, captam diripit. Dum *Mansfeldius* tentato Crempsio sexdecim passuũ millia Viẽna distante, re per exploratores cognita, magna suorũ cæde repellitur. XIX

Pragam per eos dies Palatinus reuersus, ab impietate auspicatus imperium, indicto sacris imaginibus bello, omnes diuorum simulachra ex *Caluini* doctrina detraxit. Quin etiam ex vniuersis ciuitatis locis demolitus imagines, Christi è cruce pendentis effigiem affabrè procusam, & Deiparæ Virginis eiusdem artificis exsculptam manu, quæ in ponte prope vrbem veterem constitutæ erant, auferri præcepit. Plebs verò quanquàm hæresi Lutherana polluta, consternata ad pontem ruit, à Regis iniuria illas imagines defensura, feroci iterans querimonia, *Quid ab illis peccatum? vt cum iam ducentos annos in maximis, ac grauissimis religionis tumultibus sacrosanctæ ad illam diem steterint; nunc ab nouo Rege vltrò temerè violarentur? Non passuram se vsque dum spiritum traheret, quicquam iniquius in illas ab Regis apparitoribus agi.* Quare comes *Andreas Sthlichtus* veritus, ne ex hoc populi furentis tumultu, res Bohemica in discrimen adduceretur, trepidus Regem adit, de populi furore pro imaginibus admonet. Purgat *Palatinus* factum, *quod se inscio voluerint simulachra, è ponte diripere; Populi votis obtemperet.* Hæc Regis verba ad populum Comite referente, subsedit seditio: sed malo omine; quia nil vehementius populos concitet, XX bellũ Palatini in Sacras imagines

quàm

Sal An. 1620. quàm concussa religio. Manarant in vulgus impiæ vxoris voces, *se nunquàm per illum pontem transituram, donec Christi, & Virginis matris simulacra in illo consisterent*: cum tamen paucis post diebus per illum fugere à malè parto regno, diuina vrgente Nemesi cum pudore compulsa fuerit, stantibus adhuc in sede sua imaginibus.

Anno 1620. Strepebant vndique bellorum apparatus anno ineunte vigesimo huius seculi: cum Cæsar ne multitudine hostium obrueretur, pactis cum *Bethlenio* semestribus inducijs, vt vires *legatio Cæsaris ad Principes.* omnes in bellum Bohemicum conferret, *Henricum Iulium* ex Ducibus Lauenburgicis, & *Hieronymum Heluerium* ad Electores Principesque Imperij legat, & *Christianum IV.* Daniæ Regem, alios in Angliam, & Galliam; euulgato simul libello docet, quàm iniustè à perduellibus se deturbato, *Fridericus Palatinus*, cæteris omnibus repudiantibus, alienam non dubitarit vsurpare coronam. Rogare itaque, ne quis tam perniciosis Bohemorum consilijs faueret: quin sibi potiùs adessent, vt si non pace, quòd optaret, armis certe & iusta vi in auitas ditiones reponeretur.

XXII Angli legatio ad Cæsarem. Ad hæc Legato Britannico suadenti *vt relictus in regno Palatinus Cæsari aliundè satis faceret*, respondit breuiter Ferdinandus: *Sibi aliter satisfieri non posse, nisi regno quamprimùm cederetur; si id Palatinus detrectaret, vi cogendum; & sperare se in iusta causa propitium Deũ.* Dein Palatinum monuit edicto, vt ante Kal. Iun. sub pœna perduellionis Bohemia cederet. Idem mandatum dat ad omnes seditionis participes, *ne qua in re, ope aut consilio post hac Palatinum iuuent; si qui contra fecerint, persecuturum se eos lege Maiestatis, & prò hostibus patriæ habiturum.*

XXIII Pax à Turcis. Iisdem diebus venit à Turcarum Rege legatus ad *Ferdinandum*, qui Regis nomine pollicetur, *se nunquàm violaturum pacis leges, immò staturum fœderi, quod sub belli Pannonici finem cum Cæsare percussisset; nec rebellibus concessurum, vt milites è suis regnis abducerent: quamquàm id Bohemi flagitarent.* Legatus magno cum honore exceptus, amplissimisque donatus muneribus ad Regem dimittitur.

XXIV auxilia à Papa. Vulgara iam belli ab hæreticis imminentis fama, *Paulus V.* Pontifex, habito sacro Purpuratorum senatu, refert *totam hæreticam Germaniam non modo Cæsarem bello lacessere, sed etiam Cœlo impia arma inferre: vltimum rei Catholicæ impendere discrimen; ni irruenti malo, pari animorum ardore properè occurratur.* Quare Patrum consensu statutum est, non solùm ad propiriandum Numen, (sine cuius ope inanis est omnis mortalium cura) à toto Catholico Orbe ad Diuorum aras, publicis supplicationibus litaretur; sed etiam in sacrum bellum valida *Ferdinando* pecuniarum, & militum mitterentur auxilia. Idcirco duæ annuæ Decumarum pensiones Ecclesiasticis imperatæ; quæ maturè Cæsari, Vindeliciæque Duci ad conducendum militem soluerentur. Consilium optimum, sed parum sanctè ab aulicis seruatum.

Eodem tempore Mulhusij in Thuringia conuenere Electores Moguntinus, Colonien sis, & Saxo per se: Treuirensis, & Bauarus per legatos. Deliberatum ibi, rem Cæsaris omnibus modis iuuare, nequicquam *Mauritio Hassiæ Landgrauio* deterrente *Ioannem* Saxoniæ Electorem; *ne Catholicorum* (vt ipse aiebat) *blanditijs seductus, eorum partibus accederet, quibus vincentibus, & ipse demùm præda fieret; cum id vnum intenderent, vt distractis inter se Protestantium viribus, singulos aggrederentur, in coniunctos nihil ausuri.*

A Cæsare porrò Saxo Augustanæ confessionis noua accepta securitate, Catholicis accessit. Peracto conuentu, Saxoni Lusatia ad officium reducenda committitur, quæ Saxoniæ contermina, & Bohemiæ innexa, nouis pariter rebus studebat. *Maximilianus* verò Dux Bauariæ, eductis ad Donauuerdam Catholicorum copijs, Fœderatis castra opponit. His *Ioachimus Ernestus* Marchio *Onolsbacensis* vice præerat Palatini. Ne manus consererent, intercessit Gallorum legatus, cuius interuentu induciæ compositæ. Vlmæ tractatus compositus est, conuentumque *ne vna pars alteram læderet; prouincijs & ditionibus cuiusque intactis; iter, & commeatus sine maleficio & iniuria transeuntibus liber permitteretur.* Ita Vindelicus ab ea parte securus in Austriam discessit.

Non propterea metu vacauit *Onolsbacensis*, adueniente Marchione *Ambrosio Spinola* plurimis per Belgium victorijs inclito duce. Is primo aduentu Oppenheimium, Crucenacum, Bauheracum magna suis nominis gloria occupauerat. Neque in aciem prodire audebat *Onolsbacensis*, etsi tentaret, varijs artibus eludebatur, tanta *Spinolæ* dexteritate, ac fortuna, vt *Onolsbacensis* suspicione perfidiæ apud socios laboraret. Suspicionem geminauit *Henrici*

Oran-

Sal. An. 1620. Orangij discessus, qui à fratre *Mauritio* paulò ante cum firma equirum manu, & Anglis aliquot peditibus Vnioni subsidio missus, postquàm dominari *Spinolam*, & Bohemorum causam inclinari videt, tædio rerum cum Bauaris reuertitur.

XXVIII Bauarus verò instructo viginti quinque millium exercitu, in Austriam superiorem mouens, conuocatos Linrzium Ordines, cogit dimisso milite ab armis discedere, & se fidei Cæsaris permittere. (*pacatur Austria.*) Paulo ante *Ernestum Ludouicum* ex Ducibus Lauenburgicis Viennam pergentem, vt Cæsari militaret, Rustici interfecerant furentes hac sola causa, quod inter epulas gestientes, & temerè gloriantes monuisset, *aduenturos nouos hospites, qui in lacrymas gaudium verterent.* Adeo vel verbo irritare armatam multitudinem periculosum est. Bauarus pacata Austria, ne se absĕre, iterum turbaretur, milites quos ad sui defensionem conscripseranr Ordines, sibi adiungit, & in Bohemiam tendit. (*Bauarus mouet in Bohemiā.*) Priusquàm tamen arma experiretur, datis ad Palatinum, & Bohemos literis, rogat, *vim omitterent, regnum Cæsari vero regi redderent. Adhuc esse locum gratiæ, viderent in quæ discrimina se liberos, fortunam conijeerent. Sin perstiterent, arma sua expectarent.* Respondère Bohemi, & Palatinus, *sese Regem præter Palatinum non agnoscere; Ille etiam se electum, vocatumque Ordinum consensu, non sponte, nullo ambitu, sed diuino vocante Numine, cui repugnare sine summo scelere, nec debeat, nec possit. A Bauaro nil aduersi timere, quem non offenderint. Quod si vim intentaret, se iniuriam propulsuros, quòd ferrent se pro patria, pro libertate, pro religione pugnare.* Bohemi & Palatinus nouo se arctiori colligauerant vinculo, & in defensionem excitaranr: *Friderici* filio concordibus suffragijs in successorem declarato. Concordiæ itaque spe

XXIX sublata, cum & Saxo Lusatiam inuasisset, capta prouinciæ metropoli Buditsina; Bauarus in Bohemiam irrumpit, Buduam occupat; *Bucquoius* Bragadirium expugnat, dein coniunctis viribus Pislecam intercipiunt, nullo iam loco consistere ausis Bohemis. (*Lusatiā occupat Saxo.*) Horum castris *Anhaltinus* præerat; Neque *Palatinus* intellecto periculo abesse sustinuit. (*Victoria Bauari.*) *Elisabetha* coniuge Pragæ cum paruis liberis relicta, Steninum filio maiore remisso, vt si quid in tanto discrimine accideret, noua spes partibus superesset, in curam obtulit Electoris Brandenburgici. Tantis fatigatus periculis, cogitauit à Bauaro colloquium poscere. Respondit is, *Sibi actionem non esse, quàm si Palatinus Bohemia cederet, se pacis offerre sequestrem. Id si detrectet, frustra peti colloquium.*

Inde cum *Bucquoio* consultum, quomodo bello finem imponerent; nam instante hyeme, & commeatuum penuria, ni aleam belli subirent, cunctarionibus eluso Cæsareo milite, irritam fore anni expeditionem. Vrgente itaque Bauaro, Pragam petunt vt belli caput; progredientibus ad latera Bohemis. Vltimo Octobris Raconirium venere. Ibi sub tertiam pomeri dianam, animaduertit hostem haud procul Senomaro è sylua prodeuntem, vna equitum ala velle occupare cliuum, ex quo Pragense iter impediret. Id ne fieret, *Tillium* vicarium exercitus misit cum legionibus. Hic prima velitatio, & Cæsarianis propitia. Postera die, minori prœlio certarum, sed tanto hostium pauore, vt octodecim Bauari ducentos quinquaginta Bohemos fugarint. Tertio Kal. Nouemb. velitatio grauis, & longa, in qua cæso vexilli fero *Friderici* signum prætorianum Bauari reportarunt; hoste è sylua pulso, atque colle, quem insederant non leui suorum clade; paucis Cæsarianis desideratis, inter quos *Aquauiua* Neapolitanæ legionis tribunus: & *Theuffeltus* Austriacus Chiliarca, qui venerunt in hostium manus. (XXX *Ad Raconitium castra.*) Duabus horis post conflictum venere Cæsariani, qui & ipsi præstitere grande operæ pretium: quando sera iam nocte hostem à valle palustri submouerunt, quam ad castra munienda, submissis ter mille alarijs occupabat. Prope hostem munita castra, in quibus dexteram Bauari, Cæsariani læuam tenuere. Pridie Kal. Nouemb. minoribus tormentis sese petentes, plurimi occubuere; In his Comes *Marcus Philippus Fuggerus* iuuenis fortissimus. (XXXI *Fuggeri mors.*) Ex eo die pugnam detrectauit hostis. *Maximilianus* vt in prælium adduceret, vicina loca statuit oppugnare. Templum in subiecta valle erat satis firmum, cuius in præsidio erant ducenti hostes. Multum intererat, cum locum expugnari, eo quòd hostium castra tutaretur, & nostros aquarione prohiberet. Tribus legionibus datum negotium. Fortiter primùm restitere Bohemi, sed tandem deficiente auxilio, deuicti, ferè ad vnum concisi. (*Bohemi pugnā detrectant.*) Gestum id spectantibus Bohemis, quibus minor fuit suorum cædes, quàm iustæ pugnæ periculum.

Postridie eius diei, *Bucquoius* aduersam Hungarorum stationem conatus opprimere,

quo

Sal. An. 1620. quo minùs veniret ad manus, obſeptæ viarum anguſtiæ obſtiterunt. Idem nocte tentatum; ſed cum Hungari ſenſiſſent, dirupto aggere vicini lacus, tanta aquarum vi iter inundarunt, vt Cæſariani pectore tenùs immerſi, ægrè fuerint eluctati. Habuerunt Hungari intereà ſpatij aſſatim, quo mutata ſtatione, ponè vicinum collem ſeſe in tutum reciperent; vbi minimè Cæſareis poterant fatigati tormentis. Tum Palatinus cantato claſſico, eductoque in aciem exercitu Bauarum animoſè prouocauit ad pugnã. *efferunt pugnam.* Verùm hic non ab hoſtis *arbitrio ſua pendere conſilia*, reſpondit; *ſe probè ſcire, quid ſibi prò Cæſaris commodo eſſet agendum*. Bauarus itaque ſublatis ſignis, profectionem in Non. Nouembris indixit, annona per ſingulas cohortes, turmaſque viritim diſtributa. Præmiſſus cum exigua peditum, equitumque manu *VVallenſteinius* Launam ciuitatem, volentem lubentem recepit.

XXXIII *Caſtra mutãtur. Launa recipitur. Bucquoius vulneratur.* Eadem die *Bucquoius* dum in caſtris non procul ab hoſte mandata diſtribuit, baliſtæ minoris glande miſſili ſecundum genitalia perſtrictus citra vitæ diſcrimen, ad adſtantes animo erecto, voce ludicra, exclamaſſe dicitur, *Per quæ quis peccauit, per hæc & punitur*.

XXXIV In profectione poſtremum agmen curauit *Floreinuilleus* tanta fortitudine, reique militaris peritia, vt citra ſuorum periculum hoſtem à longe coercuerit. Poſtridie Non. Nouemb. poſt triginta currus commeatus hoſti ereptos; Straſſoniza oppidum ſuperato à Cæſarianis muro, & defenſoribus in vincula coniectis, expugnatur.

XXXV Hoſtis comperto *Maximiliani* diſceſſu, incertum adhuc quorſum tenderet, Nonis Nouemb. ſeſe continuit in caſtris. Verum vbi per exploratores accepit, Pragam recta mouere, die poſtero ſeſe ad eam tutandum quanta poteſt feſtinatione accingit. *Turrianus* Comes cum XII peditum millibus, & aliquanto equitatu, eò iuſſus eſt accurrere. Eum *Anhaltinus* itinere perdificili cum reliquis copijs ſubſequitur; à noſtris inobſeruatus, obſcura tegente nebula, & denſa ſyluarum.

XXXVI Maximilianus Straſſonizæ impedimentis relictis, quò expeditior hoſtem perſequeretur, mouet cum parte copiarum; reliquis certum locum ad conueniendum indicit. Illuc VII Nouemb., Cæſarianis præcurrit. Nec longè erat hoſtis. *velitatio cũ hoſte.* Ad ſequentis diei crepuſculum priores Bauari equitatus turmæ ad manus cum hoſte venerunt. In pugnantium ſubſidium miſſo *Anholto* ſupremo Vigilum Magiſtro, cũ ducentis alarijs, ſtetit Boicus in acie, *Bucquoij* aduentum præſtolaturus. *Tillius* hoſtium ordines è propinquo arbitratus, paululum ad pagi cuiuſdam vicini latus progreſſus, obſeruat planiciem explicandæ aciei oppidò commodam. Eò ſtatim ductæ Boicæ phalanges. Paludoſus alueus, cui incumbebat ponticulus, Bauaros ab hoſte dirimebat. Illum Bohemi munierant, tum vt Bauaros tranſitu prohiberent; tum muniendis caſtris aliquid otij compararent. Sed è ſua ſtatione ab *Anholto* depulſi, tranſmiſſuris nihil deinceps obſtitere: palus modicè areſacta, non legionibus duntaxat, ſed etiam alarijs mollem præbebat traiectum. *Anholtus* itaque longiùs prouectus in hoſtem, iam vicinum euadebat in collem, cum *Maximilianus* iubet *Floreinuilleum* cum ſua legione ſubſequi, hinc reliqua caſtra; dum hoſtes varijs ſententijs diſtraherentur, an Belli aleam expediret ſubire? quod maximo damno, dum interim Cæſariani innocui tranſiere: mora tamen aliqua iniecta, *Bucquoio* non maturè cum poſtremo agmine properante. Moram hanc ægerrimè tulit Bauarus, quod opprimendi hoſtis extra munimenta, quæ necdum poſuerat, interim occaſio efflueret. Nam circumducendæ caſtris coronæ hoſtis acrem dabat operam, creſcebatque in momenta munitio, atque periculum, ne abſoluto opere hoſtis tectus, auctuſque nouo è Praga aliquot millium ſubſidio, ſuo more prælium eluderet.

Sed neque ſatis inter *Maximilianum*, atque *Bucquoium* conueniebat, eſſetne è veſtigio inuadendus intra ſua mænia hoſtis, an potiùs eo relicto, Praga ex diuerſo montis latere, recto itinere petenda. XXXVII *de pugna conſilia.* Hoc *Bucquoio* videbatur tutius, *Tillio* inceſtius; cum *Fratre Dominico Aragenio à Ieſu Maria*, è Carmelitana illa *Exulceatorum* religioſa familia quæ fundatorem & principem *Eliam* habet (Hunc tanquàm inſigni vitæ, morumque probitate clariſſimum ſecum ab arcanis conſcientiæ ſuæ, & directorem duxerat *Maximilianus* in caſtra) certam à Deo exhibente victoriam, Bauarus veluti impellente Numine, & *Carmelita* verbis excitatus, imò ſecurus, poſt aprehenſam *Carmelitæ* dextram, quaſi arram in pignus promiſſionis, ruptis omnibus moris, Superos confidens futuros commilitones in pugna, protinùs conclamauit ad arma, & veluti Ioſues bucina glangente ſacerdotali, in Dei hoſtes irrumpens, intonuit: *dimicemus in nomine Domini*. *Cæſariani à fratre Carmelita diſcalceato ad pugnam excitati.* Inſuper ad po-

Sal. An. poſcendum Diuæ Virginis patrocinium, iuſſit
1620. eo die non alia iret teſſera militaris, quàm eius
XXXVIII venerabile nomen *Sancta Maria*, cuius effi-
teſſera militaris gies prætorianum erat *Maximiliani* vexillum.
Cæſarianorum. Igitur poſtquam placitum hoſtem aggredi in
ipſo Monte, ſupremum in milites imperium
pro Bauaro *Ioannes Tillius*, prò *Bucquoio* ad-
huc ægro ex vulnere *Rudolphus Tieffenbachius*
pugnæ locus. accipiunt. Ad montem *Albanum* pugnatum
eſt. Mons humilis, ac clemens, aſcenſu non ad-
modum arduo, ſed ſolo vbique ſcrupeo, hinc
inde confragroſo, quod foueæ, ac verrucæ aſpe-
rant. In ſupercilio eſt ſuburbana Regia, cui ad-
iacet ſaltus eleganter obreptus. *Stellatum* nun-
cupant à ſtellata figura. Montis longitudo ad
milliare Germanicum exporrigitur, planicie
Pragam verſus modicè decliui. In hac ſtabat
Bohemorum acies, loco quidem ſublimi, &
Catholicis imminente copijs, ſed ab obiecto
montis latere minimè tuti. Ternæ fulminatri-
ces baliſtæ, ſingulis aggeribus impoſitæ caſtro-
rum frontem in vtroque cornu firmabant. Ob-
ſtabat etiam nonnihil lorica opere ſubitario a-
liquantum effecta: & ſubeuntibus in ſublime
montis accliuitas erat periniqua, Bohemis au-
tem percomoda.

XXXIX forma aciei Bohemicæ. Aciei Bohemicæ forma tenſum arcum cum
duplici neruo parallelo referebat; poſt princi-
pia habebat Hungarorum turmas. Alam dex-
tram curabat *Streiffius* cum ſex equitum tur-
mis: ſiniſtram *Stubnauius*. In longum alterna-
bant ordinem rectilineum peditum quinque
cohortes, totidemque equitum turmæ: his à ter-
go ſimili forma ſuccedebant pedites, & equites
pari numero ſub imperio *Turriani*, *Schlickij*,
Hollachij, *Hohenloi*. In ſaltu mœnibus clauſo
erat legio *Anhaltini*, *Io: Erneſti Saxonis VVeyn-
marij*, & cohors Prætoriana. Conſtabat pedita-
tus XXXVII cohortibus. Equitatus turmis
hoſtium numerus. LIV. ſub iuniore *Anhaltino*, *Hollachio*, *Styru-
mio*, *Stubenuollio*, *Streiffio*, *Hoffkirchio*. *Iſelſtei-
nio*, *Borſeda*, & alijs. Pugnatorum numerus ad
XXV. millia.

XL pugna. Copiarũ numerus ex Cæſarianis, & Bauaris
XX millia non implebat. Paulò poſt meridiem
ſigno pugnę dato *Dominicus Aragonius Carme-
lita* plenus fidei, primã progreſſus in aciem, &
Chriſti Crucifixi effigiẽ manu geſtãs, tantũ in
milite excitauit ardorẽ, vt poſt horrendam tor-
mẽtorum eiaculationem, tanto impetu in hoſtẽ
excurrerit, quòd *Maximilianus* parta victo-
ria, eius vnicum diceret auctorem *Aragonium*.

Per horam mediam Marte ancipiti pugnatum;
deinde Cæſariana acies, ex Tieffenbackiana
& Preineriana legione, cæpit fluctuare. Im-
preſſionem faciebat Princeps *Anhaltinus* iu-
nior. Tunc miſſus continuò *Cratzius* cum
Lichtenſteiniana & Bauriana legionibus aciem
reſtituit, mox iuuenem principem aggreſſus,
eius aciem diſſipat, ipſumque *Anhaltinum* poſt dubia
accepta vulnera in terram ex equo inter per-
euntium corpora effundit, eumque *Guillel-
mus Verdugus* capit. Hæc ſtrages fuit victoriæ
principium. Hungari namquè ea certaminis
conuerſione attoniti, fugam arripuere per
montis decliuia ruentes in Moldauiam pro-
fluentem, cuius gurgitibus hauſti magno nu-
mero. Eorum exemplo Bohemicæ legiones tur-
batæ, primum circumſpicere, confusè agere,
deinde ſpreto ducum imperio, fugam arripe-
re. Iunior Turrianus tempeſtiuè cum ſuo equi-
tatu ſe prælio ſubduxit. Catholici contra ſtan- XLI Victoria
res adhuc hoſtium ordines campo dimouere, Cæſaria-
propugnacula inuadere, inſtare fugientibus, na.
toto campo dominari. Grandis ſtrages ad ſtel-
latum viridarium edita eſt. Ibi *Laurentius Me-
diceus* Dux tormentis viridario per vicinis po-
titus in eodemq; loco Prætorianũ *Friderici* ve-
xillum, in quo expreſſa cæleſtis ſphæra cũ hoc
elogio; *diuerti neſcia* occupauit. Ita vnius horæ XLII ſymbolũ
ſpatio maximus exercitus fuſus, fugatuſq; malè Friderici.
captæ rebellionis pęnas luit; inſigni ſane ad me-
moriam die, quo per vniuerſum Chriſtianum
Orbem in Euangelio legebatur, *Reddite quæ* XLIII
ſunt Cæſaris Cæſari, quæ ſunt Dei, Deo. Vt quod pugnæ
Palatinus & Bohemi neglexerant; ea dies abun- dies.
dè præſtaret, prouincijs omnibus mox ad fi-
dem Cæſaris reuerſis. Cecidere ex Bohemis,
Hungariſque nouem millia ferro, vel aqua.
Capti *Anhaltinus*, & *Turrianus* Ducum ipſo-
rum filij, item *Styrumius*, *Rheingrauius Schlic-
kius* comites, & Dux *Vinarienſis*. Tribuni,
Centuriones, gregarij milites permulti. Signa
ſupra centum, quæ Romæ adhuc è tholo pen-
dent in ſacra Deiparæ Virginis æde ad Ther-
mas Herculeas cum impijs emblematum titu-
lis, qui inſanum hæreticorum furorem in Ca-
tholicos abundè teſtantur. Capta tormenta
maiora decem. Belli apparatus magnus nume-
rus. A Cæſarianis paulo ſupra ducentos deſide-
rati, inter quos comes *Rechbergenſis*, & Baro
Peterſemius. Saucij ferè plures extitere, in qui-
bus *Godefridus Papenheimius*.

Inter ſarcinas, quæ victor Bauarus occupa-

Sal. An. 1620. xlv *Friderici fuga.* uit, omnes authenticæ Principis *Anhaltini* tabulæ interceptæ sunt: ex quibus cognosci licuit, quandiu super re de *Palatino* Bohemiæ rege creando, & coniuratione in *Ferdinandum* ineunda, inter Palatinum, & conscios actum fuerit.

Discrimini *Palatinus* non adfuit, qui ad vrbis excubabat custodiam. Ex tormentorum boatu ratus copias confligere, contracta subito peditum legione, & aliquot equitum turmis, totaque Praga ad arma concitata, pugnantibus accurrebat laturus auxilia. Cum ex vrbe egredienti *Anhaltinus* occurrit æstuans, sudoreque perfusus, Regique feralis nuntius. *Saluti tuæ* (inquit) *consule ô Rex, penes Cæsareos victoria est: nostræ consumptæ sũt copiæ, in eas ad satietatem grassatur Bauarus*. Palatinus tristissimo nuntio perculsus, equo repentè conuerso, rediit in regiam; indeque nulla mora cum liberis, & vxore in vrbem veterem, conuasatis, quæ eo tumultu poterant asportari, festinauit; vtpote præterfluentis amnis obiectu ab hostium impressione tutiorem: atque hinc misso ad Bauarum nuntio; viginti quatuor horarum inducias suppliciter postulauit. Octo duntaxat horæ concessæ ea lege, vt *Fridericus* regno Bohemię, annexisque repudiatis prouincijs ad Cæsaris rediret obsequium. Sed cum suæ fortunæ vadum nondùm impleβet, malè feriatorum consilio, maluit sese infidis rerum euentis committere. Albescente itaque Cœlo, cum iam VVallones vrbi muro perfosso imminerent, vnà cum *Elisabetha* coniuge, liberis, familia, atque *Turriano* seniore, *Hokenloo*, alijsque Bohemiæ Dynastis, quanta potuit celeritate Vratislauiam, Silesiæ ciuitatem contendit. Regiæ possessionis breui gaudio velut in scena perfunctus. Periscelidem adamantibus intextam, Anglici Ordinis insigne quod *Friderico* exciderat properanti, *Verdugus* inter primos Cęsariani exercitus ductores, *Maximiliano* velut opimum spolium obtulit.

xlvi *Praga dedita.* Pragæ deditio fugam *Palatini* consequitur, nemini iam auso resistere, postquàm tanti exercitus vires vno lapsu prociderant. Adacti in verba Cæsaris ciues, Ordines tradidère literas, renuntiarunt fœderibus, *Ferdinando* in Regem *dies memorabilis pugnæ.* solo, & sanctè salutato. Hinc Clerus restitutus, purgata templa, restituta altaria, magno Catholicorum gaudio; & Cœlitum gloria, quorum manu parta victoria. Nam præterquàm pugnæ dies fuerit *Omnium Sanctorum cultui per Ecclesiam Catholicam octauus, ac propè anniuersarius* illius, quo anno superiore *Palatinus* Ecclesiam Pragæ primariam omni sacrarum imaginum cultu spoliari iussit, euersis altaribus, *sublatis reliquijs*, simulachris discerptis, sacrorumque vsu denique remoto, quem excitandæ fidelium pietati nascentis Ecclesiæ sanctimonia ad nos longo vsu traduxit; Violati *Victoria diuinitùs data.* xlvii Numinis Ira sese vindicem voluit agnosci, immisso duabus ante prælium horis in Bohemorum castra tanto terrore, *vt non homines modò, sed & iumenta insolitus horror perculerit*. Durauit tremor ad ipsum prælij momentum, & fugientibus Hungaris alas addidit, quorum fuga reliquos traxit.

Rebus Pragæ ex animi sententia confectis, Monachium *Maximilianus* reuertitur; Ibi VII Kal. Decemb. sub Vesperam lætissimè exceptus, rectà ad Basilicam B. Virginis contendens, laudes persoluit, posito in ara principe, Virginis in Cœlum assumptæ simulachro cum hac epigraphe *Maximil. vota persoluit.* xlviii

D. O. M.
Magnæ Dei matri
Augustæ, Æternæque Virgini
Opt. Max.
Bauariæ Patronæ
Singulari Principum tutelæ
Auxiliatrici, Victrici
Maximilianus Boiorum Dux
è victa Bohemia redux, memor
gratusque posuit.
Anno post C. N. CIↃ. IↃC. XX.

Praga antequàm discederet, prò summo obsequio speciali epistola certiorem fecit *Paulum V.* Pontificem Max. Vnaque *Ferdinandum* Imperatorem literis sua manu exaratis. Cui vicissim Imperator VII. Kal. Decemb. sua manu respondit, quibus fraterno gaudio grates egit immortales. xlix *literæ Cæsaris.*

Reliquerat Bauarus Pragæ *Maximilianum principem Lichtensteinium, & Ioannem Tillium* cum copijs, qui reuertentes iam vltro reliquas Bohemiæ vrbes in fidem reciperent. Morauiam *Bucquoius* in dedionem coegerat, frustra nitente *Turriano* confirmare perculsos. Eadem victoria deditionem Silesiæ maturauit. Hanc, recepta paulò ante Lusatia, periturus Saxoniæ Elector, priusquã vim experiretur, conditionibus in fidem Cęsaris recepit; tolerabili pecuniæ summa indicta, quam Cæsari in belli sumptus refunderet, apud quem prò supplicibus depre-

Sal. An. deprecator ipse dein Saxo accessit.

1621. II *Gabor Rex Hungariæ. Ann. 1621.* Dacus supererat, qui de restituenda Hungariæ corona, Hungari verò de recuperanda Cæsaris gratia cogitabant. Integris adhuc *Palatini* rebus, *Iacobi* Anglorum Regis auxilio tumidi infidus *Bethlenius*, indicto Neosolium Ordinum conuentu, omnium fere suffragio Rex Hungariæ fuerat renunciatus. Mense dein Augusto, dimissis Cæsareis, Gallicis, Polonicis, Turcarumque legatis, qui comitijs interfuerant, cum soli prouinciarum fæderati oratores remansissent, in frequenti ordinum, legatorúque corona, Regium titulum accepit. Inauguratio Posonium dilata est, vbi regni diadema de *natalia virtus Gaborris.* more asseruatur. Adhuc apicem fortuna, vel militaris virtus *Gaborrem* erexerat. Natus erat in Transsyluania, in aula *Bathorei* educatus; bis & quadragies prælijs interfuit. Cæterû priuatus adhuc ea aliquando inopia fuit, vt rebus omnibus in militiam assumptis, à mercatore Cassouiensi ne centum quidem aureos mutuò accipere potuerit. Ope dein Turcarum deiecto *Bathoreo*, humana diuina posthabuit, vt post adeptum Transsyluaniæ principatum, ad maiora conscenderet. A Bohemis in societatem adscitus, Pannoniam inuasit, vbi se principem, Regem postea voluit.

III *Tampierius Posonium tentat.* In hunc reuocatum è Bohemia *Tampierium* cum decem millibus immisit Cæsar; qui post minutas velitationes, Posonium adortus, nauigijs imposito milite, Vienna soluit, nihil turbatus infelici omine, cum tria nauigia apparatu bellico onusta mergerentur. Posonium cum appulisset, munimentum cæpit, quod ante suburbium est, mox ipsum suburbium, deiectoque ponte ad arcem properat, vt loci situm recognosceret. Animaduersus à præsidiarijs, agnitusque, omnium simul iaculationibus petitus prosternitur. Casu Ducis consternati milites, exanimi ducis corpore hostibus relicto, re infecta discedunt. Hic finis *Henrici VVallij* comitis *Tampierij* peritissimi ducis, & ad omne facinus fortis, & expediti, plerumque tamen incauti. Cadauer pretio redemptum insigni pompa funebri Viennæ conditum est. Virtuti eius hoc quoque *Bethlenius* dedit, vt Posonij præsente Gallico legato, magno cum decore parentaret.

IIII *Bellum reparat Palatinus.* Lubricam prouinciarum fidem *Palatinus* expertus, relicta Vratislauia in Marchionatum Brandenburgicum concessit modica spe belli reparandi. Scribit tamen *Bethlenio*, inceptis pergeret, se mox cum Angliæ, & Daniæ suppetijs, adfuturum cum viginti millibus. Relicto interim in Bohemia *Mansfeldio*, qui egregia fide causam *Palatini* curabat. Nam cæteris ferè *Mansfeldij gesta in Bohemia.* vrbibus ad obsequium Cæsaris redeuntibus, Pilsam, & Taborinum firmo adhuc obtinebat præsidio. Nec minus ei dolus profuit, quàm audacia. Collectis è fuga plurimis, dum spem Cæsarianis facit accepta pecuniæ summa, Bohemiam relinquendi, pactis dierum inducijs, vt ea de re transigerent, nihil interim omisit, quo bellum repararet. Finitis ergo inducijs, dum Cæsariani in hiberna concessissent, repentè Schlachenvvaldam, Tachavviam inuadit. Inde in Palatinatum superiorem progressus, euastatis vicinis locis, *Palatini* res aliquo modo restituit. Eius exemplo excitatus *Io: Georgius Marchio Iegerndorffensis* collecto milite, Silesiam, Morauiam infestam habuit, nihil territus edicto Cæsareo, quo vterque erat proscriptus, & in *Mansfeldij* caput centum florenorum millia promissa. Proscripti fuerant *Fridericus Elector Palatinus*, & *Christianus Anhaldinus*, *Georgius Fridericus* comes *Hoienloius* & vt rei læsæ maiestatis bonis omnibus, & dignitatibus deturbati. De reliquis perduellibus, *Carolo Lichtensteinio* Bohemiæ ProRegi cognitione remissa. IV *Palatini & sociorum proscriptio.*

Moguntiæ dein Aprili ineunte, sibi *Spinola Vnito-Protestantibus* reconciliatis *Friderico* Electore excluso, sperabat facili negotio Manheimium, Frankentalium, atque Heidelbergam (quæ adhuc à *VVerio* auxiliarium Anglorum ductore, *Friderici* nomine tenebantur, plerisque iam antè subactis) suæ potestatis facturus; dum Belgicæ induciæ cum Batauis, quæ ad finem properabant, ipsius operam in Belgio reposcerent. Ita dissolutum fœdus anno (postquam magno Imperij motu coaluerat) vndecimo, *Palatini* clade ad paucos iam Principes redactum. Cui non amplius vt aliena inuaderet, sed sua defenderet, cura erat. V

Dum hæc Moguntiæ aguntur, iudicium in perduelles cæptum Bohemos, eo maiore prouinciæ terrore, quo id crimen à paucioribus aberat. Citati absentes, cum non venirent damnati, eorum bonis Fisco adiudicatis. In *Directores* veluti factionum capita factum exordium: quorum omnium supplicijs præludit *Fridericus Tieffembachius*, qui post geminam in *Tam-* VI *supplicia de perduellibus*

Sal. An. 1621. *pierium* pugnam, valetudinis curandæ gratia ad Thermas Piperinas profectus, in vincula retrahitur, & Œniponte capite pœnam luit. Quadraginta cum Iudicum sententia Pragæ damnati essent, Cæsar multa mitigauit, quosdam morti exemit. Nouem *directores* capite puniti sunt, inter quos Ioachimus *Andreas Schlikius* Supremus regni iudex, *VVenceslaus à Budouuitz*, *Christophorus Harandus* præses Cameræ Regiæ, *Boguslaus Michalouitius* Burggrauius Græcensis eminuere. *Ioannes Iessenius*, Medicus & Collegij Carolini professor, priùs lingua, dein capite minutus, dein quatuor in partes sectus est, reliqui inferioris notæ ferro, aut laqueo finiere. Defunctos mors non exemit ab infamia. Interfectorum bona Fisco attributa.

lvii *Diuinæ voces in templo canentes.* Anniuersaria præteriti anni die, qua supplicium sumptum est audierant Acatholici in primario Pragæ templo, paulo ante mediam noctem quasi canentium Sacerdotum voces more Catholico; & Cœlitum voces creditæ sunt, & Patronorum Pragensium, vindictam oppressæ religionis, & debitam rebellibus pœnam à Deo postulantium.

lviii Interim cum *Bethlenius* regio titulo non abstineret, neque potestatem Ordinibus faceret, vt cum Cæsare transigerent, imo Tartaros & Turcas solicitaret in partes, vt in Cæsarem arma ferrent; Pannoniæ proceres *Bethlenio* inscio ad Cæsarem redire instituerunt. Ita *Setsius Georgius* valida cum manu in gratiam receptus alios attraxerat; & *Redeium Ferentium Bethlenij* legatum vi cæperat, qui non multo post mœrore contabuit, primus Hungarorum Dynastarum, qui ad *Bethlenium* confugerant.


lix *Bucquoij gesta.* Bucquoius etiam duorum & viginti millium exercitu, magnoque rei tormentariæ apparatu instructus Posonium aduolat, quod *Bethlenius*, priusquàm in Transsyluaniam secederet, valido præsidio munierat. Sed diffidentibus inter se Germanis, Hungarisque præsidiarijs, ob intestinas discordias, opinione celeriùs intercepit. Inde Tyrna, & Altenburgo, mox Schittenauia, & toto illo tractu pari felicitate potitus, Neosolij obsidionem, fatalem sibi tumulum aggressus est. Laborabant Transsyluani, vt Cæsarianos commeatu, & pabulatione prohibitos ab vrbis obsidione depellerent. Quotidie cum eis decertandum erat. Quadam die *Bucquoius* vrgente periculo, suis auxilio profectus, statim confosso equo, priusquàm alius admoueretur, ab hostibus circumuentus, *Cades.* multis vulneribus interficitur. Corpus ab ignorantibus hostibus in campo relictum Cæsariani retulerunt in castra, & Viennæ militari pompa, magno Cæsaris dolore sepelierunt. Hic exitus *Caroli Longueuallij* comitis *Bucquoij* huius seculi, Ducis, gloriosissimi nominis: meliori certè fato digni ob catholicorum libertatem strenuè pugnantis, & fidei erga Austriacos incorruptæ. Pater ei fuit *Maximilianus Vanxij* Dominus, ærario Regio per Belgium præpositus. Mortuo patre in Tornacēsi obsidione, munia ipsius & VVallonum turmam suscepit filius adhuc duodecennis; qui per militares gradus, virtute, fide, continentia in magni ducis nomen inclaruit. Plurimis victorijs inclytum non habes, in quo reprehendas, nisi fortè quòd se militem magis, quàm ducem fuisse meminerit.

Bucquoio mortuo, iterum è Transsyluania *Bethlenius* erupit; Cæsariano secedente milite, vacuam Hungariam nactus, post Tirnauiam expugnatam, in Morauiam inuitante *Segemdorffio* irrumpit: Vbi varijs locis expugnatis, hæsit tandem victoris impetus, obijciente Cæsare nouos tribunos *Esterhasium*, *VVallensteinium*, *Hannibalem Donauium*, & alios. Ab his leuiori prælio non semel carptus, ad pacis consilia animum adijciens, legatos ad Cæsarem misit, transactionem postulans: dum *Iegendorffius* maxima parte copiarum à Saxonicis, Cæsarianisque intercœpta, tota eijcitur Silesia, amissa ad extremum Glaza, quam *Turrianus* Iunior animo, quàm fortuna meliore diù fortiter, ad extremum frustra defenderat. lx *Bethlenij noua populatio.*

Prò *Palatino* apud Cæsarem *Christianus* Rex Daniæ intercedebat, addebat precibus minas, ni proscriptione abolita, restitueretur *Palatinus*. Idem agebat *Iacobus* Britanniæ Rex, eoque intentius, quo Generi, filiæ, & neporum exilium vicinius haberet. Iustas suas aiebat preces, quia ipse *Palatini* consilia non solum damnasset; sed etiam nullis illum alienum regnum vsurpantem auxilijs iuuasse, quæ ab Anglia illi valida transmittere potuisset. Petebat insuper, vt induciæ fierent vsque ad conuentum ab ipsius maiestate Ratisbonæ indictum duraturæ. Fidem suam interponebat prò *Mansfeldio*, *Iegendorffio*, quòd interim rem Imperij minimè essent turbaturi. His videbatur Cæsar inclinare; sed *Mansfeldij* in Vangiones repentinus ingressus omnem induciarum lxi *deprecatio pro Palatino.*

spem

Sal. An. 1621. spem prorsùs abrupit. Imperatore frementе; quòd dum clementiam poscerent, molirentur hostilia. Vocatum itaque ad se Anglorum legatum, nullo de rebus, quas prò Palatino



acturus venerat, dato responso, dimisit: addens priùs ab hostilibus abstinendum, quàm de inducijs paciscendis ageretur.

lxii Mansfeldius itaque è Bohemia in Palatinatum superiorem digressus, dimissum ab *Vnione* militem spe rapinæ pertraxit, & iustum breui exercitum collegit. Dein adueniente *Tillio* cum Herbipolitanis auxilijs, apud VVeidthusium munitis castris consedit, Herbipolensi & Bambergensi Episcop. extremam interminatus vastitatem, nisi missa *Tillio* auxilia quàm primùm reuocarent. Multa ibi intercederunt minuta prælia: in quibus globus è tormento excussus pedes *Mansfeldij* equitantis præteruolans, tantò vim terræ in Comitem excusserat, vt mox præceps datus, semianimi similis corrueret, adstantibus casum ac mortem Ducis horrentibus: Sed nihil præter trepidationem. Grauius quod sequitur discrimen. Neapolitanus quidam, *Mansfeldij* nece concepta, dum facinori occasionem præstolatur, repentè mutato proposito, sica proiecta, fatetur delictum, pandit auctores, pretiumque cuius spe sit corruptus. His perfunctum periculis *Mansfeldium* noua cura excepit, Bauaro aduentante exercitu cum XXVI millibus armatorum. A quibus mox circumuentus, cum deficiente commeatu, vel in Bauari potestatem concedendum esset, vel egressus ferro tentandus, ad fraudes conuertitur. Mittit ad Bauarum legatos, cum quibus conuentum, vti ipse accepta certa pecuniæ summa, copias dimitteret. Dantur vtrinque obsides, denique ne quid dubitaretur, tradit Bauaro munimenta castrorum apud VVeidhusium. His constitutis, nondum elapso quatuordecim dierum interuallo, quod monendo *Palatino* spatium acceperat, & numerata parte pecuniæ, quam pepigerat, ostendit Bauaro, velle se exercitum dimittere, id vti securius fiat, petere Tribunos suos locum à Cæsareis castris remotiorem, vt cuique quorsum velit, libera esset discedendi facultas. Quo impetrato, nihil opinantibus Cæsarianis, clam indicta profectione, cum omnibus copijs in Palatinatum inferiorem contendit. Receptisque Britannicis legionibus, quæ in Præsidium Palatinatus relictæ fuerant, transmisso apud Manhemium Rheno, Franckentalium obsidione liberat, qua *Gonsaluus Ferdinandus Corduba* à *Spinola* in Belgium reuersus, Hispanico exercitui præpositus fatigabat; qui inopinato *Mansfeldij* aduentu penè oppressus, omittere rem penè

Mansfeldij periculum. lxiii Mansfeldij astus.

Sal. An. 1621. penè ad exitum perductam non sine indignatione debuit. Inde in Franconiam, & Alsatiam irruens *Mansfeldius* grauibus exactionibus incubuit, vt ab vna Hagenoa centum millia Imperialium expresserit, demum inclinante anno, in hyberna concessit plenus gloria, quod hostem si non vinceret, Penna calliditate deluderet. Sanè hoc nouo præliandi genere *Mansfeldius* parem non habuit. Inclusus sæpè veluti inter fera molossos, euanuit cum voluit. Ipse primus, qui tormenta campestria ex corio conflaret, ex ære pone, vt sine Sarcinis enataret, calcando maria & nauigando terras. *Tillius* postquàm potiundi *Mansfeldij* spes nulla superat, dispositis in Palatinatu inferiori hybernis, frustra tentata Heidelberga, satis habuit, ab amicis prouincijs quantum liceret, arcere populationes.

lxiv Felicior cessit alea *Iacobo comiti Anholdio* aduersùs *Christianum Ducem Brunsuicensem*. Is à puero apud Batauos rudimentis militaribus imbutus, cum profligatum *Palatinum* videret, odio religionis, cæpit iuuare exulem tanta arrogantia, vt *Elisabethæ* coniugi *Friderici* ereptam è manibus chirothecam pileo suo accomodans, iuraret non demissurum se symbolum, priusquàm *Fridericum* Regem solio Pragensi restitueret. Collecta itaque per VVestphaliam, atque Saxoniam militum non spernenda manu, tanta licentia per amicas prouincias cæpit excurrere, vt socijs principibus grauis, vi ab eorum finibus arceretur. Occupato verò per dolum Amænoburgo, quod Moguntinæ ditionis est oppidum, dum in Franconiam ad *Mansfeldium* irrumpere tentat, obuium habet *Anholdium*, qui cõflato ex Hispanis, Herbipolensibus, Moguntinis, & Darmstadianis nõ spernendo exercitu, Brunsuicensem fundit, in VVestphaliã reijcit, postea Amænoburgũ cingit, & annũ claudit satis funestum ob mortem *Pauli III. P. P. Philippi III.* Regis Hispaniæ; *Alberti* Archiducis Austriæ, & Belgij Principis. obitus clarorum virorum.

PAX HVNGARICA ET EXAVCTORATIO PALATINI. Ann. 1622.

lxv HOstilia arma vbique Dacus circumferens, Marcomanos rapinis, & incursionibus affligebat; quanquàm sedulò cum ipso de pace Niselasburgi ageretur. Anno tamen ineunte vigesimo secundo, ijs legibus conuenere feciales; *Vt Pannonijs rebellionis culpa indulgeretur. Dacus titulo Regio cederet: intra duodeuiginti dies, sceptrum, diadema, cæteraque Pannonici regni insignia cum omnibus arcibus, Cæsari restitueret. Pro quibus vicissim ille Imperij principis titulum reciperet; & in vrbe Cassouia, quandiu viueret dominaretur, præter non mediocrem pecuniæ summam, quæ ei bellicæ impensæ nomine solueretur. De rebus religionis in alio conuentu sermo haberetur.*

lxvi Non multo post Cæsar *Eleonoram* Mantuæ Ducem in matrimonium accepit; profectus obuiam Sponsæ Oenipontem, ibidem nuptias celebrauit. *Palatinus* cognitis *Mansfeldij*, & *Brunsuicensis* successibus, per Galliam in Palatinatum mutato habitu reuertitur. Duos habuit itineris comites. Vnum ex dynastis Bohemicis *Michalouitium*, alterum mercatorem quendam Argentinensem; nec sine periculo agnitus à muliere cauponaria, quæ ex picturæ similitudine faciem agnouerat. Dein in Alsatia cum in publico diuersorio in duodecim gregarios milites Archiducis *Leopoldi* incidisset; incognitus coactus fuit se plaudere conuiciantí, & in salutem hostium propinare. Landauiam appulsus, laruam deposuit, summa *Mãsfeldij* gratulatione acceptus, spem concordiæ abrupit, quam Hispani agitabant, vt in suas partes *Mansfeldium* pertraherent. Bello itaque recrudescente, Rheno transmisso, aduersùs Tillium mouet *Mansfeldius*, qui prope Visilochum cum Bauaris considebat, Heidelbergæ intentus. *Tillius* cognito hostium aduentu, non diù cunctatus, in eos inuehitur, quos ad lacessendum *Mansfeldius* præmiserat. His facilè reiectis, reliquum exercitum horum fuga perculsum aggreditur tanto militum ardore, vt *Mansfeldius* perturbatis suorum ordinibus, locum dare cogeretur victoribus. Duarum horarum itinere victor *Tillius* fugentes exegerat, ad pagum vsque Mingelshemium, cum desperatio circumuentos erexit, angustia loci fugam prohibente. *Mansfeldius* itaque incenso celeriter pago, vt fumo conspectum adimente, non animaduerterent *Tilliani*, quid ageretur, sistit fugam suorum, ordinesque restituit, hortatus prò tempore ne occasione abusi, dispersum & vagantem aggrederentur hostem, victoriæ securi. Conuerso itaque in *Tillianos* agmine, qui iam vicisse credebant, inopinata aggressione perculsi, vertuntur in fugam. Adeo contrarijs momentis variat fortuna præliorum: Dum victis desperatio audaciam excitat. Victoribus con-

nuptiæ Eleonoræ cum Cæsare.

Palatini aduentus.

lxvii Mansfeldius dum intentus Tillium, non cit.

lxviii Mansfeldius Tillium vincit.

Sal. An. 1622. confidentia metum. Maior tamen ignominia quàm damnum, Amissa pauca signa. *Tillius* non longè à periculo, equo suffosso, reliquum exercitum ignominia irritatum Vvimpsenam reducit. Interea *Mansfeldius* Sinshemio, Eppinga deditione; Ladenburgo per vim potitus, non modicam spem fecerat *Palatino*, cuius reditum tam felici auspicio celebrauerat. Noua tamen clades in lacrymas lætitiam vertit.


lxix *Georgius Fridericus* Marchio *Durlacensis* translato in filium ditionum iure, vt expeditius bello vacaret, quod in suppetias *Palatini* iam diù meditatus, magnum militum numerum conscripserat, vt solus vel consortis impatiens, vel virium confidentia, *Tillium* crederet superare. Erant illi octo peditum legiones, & viginti octo equitum turmæ: tormenta maiora decem, currus mille & octingenti omni apparatu militari, & annona instructissimi. In Campo Heilbrunnæ consederat, cum ecce repentè *Tillius* prioris delendæ ignominiæ cupidus, qui assumpto *Corduba* cum legionibus Hispanicis *Durlacensem* inuadit. Cæpta est pugna summo mane, neque ante vesperam finita, cum summa vtrinque contentione certarent. Cæterum Durlacensem aciem improuisa res subito perculit; nam igne in pyrium puluerem illato, tanto impetu hostiles pilæ agitatæ fuere, vt hostilis dispersus exercitus non ampliùs instaurari potuerit. Ita perturbata acie, nullam requiem concedente *Tillio* perterritis, donec in fugam acti omnes campo excederint. Opima fuit præda; Cecidere ex illustribus *Magnus* Dux Vvirtenburgicus. *Durlacensis* ad *Mansfeldium* perfugit. Is euastato Spirensi Episcopatu, *Landgrauij Darmstadiensis* ditionem cum *Palatino* inuadit, captumque *Landgrauium* ipsum *Ludouicum Mãhemium* in custodiam mittit. Non propterea *Tillium* euitauit, qui audito *Landgrauij* periculo statim accurrens, si Principem eripere non potuit, extremum agmen tamen graui clade affecit, magna prædæ parte hostibus extorta, quæ eo opulentior erat, quòd *Mansfeldiani* prò stipendijs populationis licentiam consequerentur.

Tillius vincit Durlacensem.

lxx *Landgrauiũ vincit Mãsfeldius.*

Non minora gerebat in Vvestphalia *Brunsuicensis* deuastatis Paderbonensi, & Monasteriensi Episcopatibus, Padeborna ipsa potitus, magnam vbique pecuniam corraserat, ne ab Ecclesiæ quidem thesauris manus abstinens. Erat in templo primario statua Diui Liborij Patroni Basilicæ, ex auro solido magni ponde-

lxxi *Brunsuicensis gesta in Vvestphalia.*



ris; magna præterea copia instrumenti argentei, aureique prò vsu sacrorum, quæ ille omnia per summam iniuriam erepta in nummos conflauit, nouo & arroganti symbolo insignitos. nimut. Ab vna manus è nubibus protensa euaginatum ensem vibrabat, vtque cuius esset, agnosceretur, nomen suum adscripserat, *Fridericus*. Ab altera parte non absimile lemma addiderat; *Amicus Dei, hostis Clericorum*. Breui tamen sensit, in quem pugnaret; omnia deinceps infausta expertus, eodem hoc anno amissa manu, qua tam impudenter sacro ordini minabatur. Dum ita-

Sal. An. 1622. itaque Palatinatum versùs, iter intendit, in victorem *Tillium* incurrit propè Hocchstium oppidum, vbi per pontem Rheno impositum lxxiii Brunsuicensis clades. transire conabatur, vt se *Mansfeldio* coniungeret. Inito prælio, fugatur, amissis suorum ad minimum quatuor millibus, quorum tamen maior pars fracto ponte aquis interijt; inter quos *Io: Casimirus Louenstenius*, & *Elberstenius* comites. Ipse cum *Styrumio* comite, & parte equitatus ad *Mansfeldium* euasit. Impedimenta, currus, tormenta *Tillius* omnia occupauit. *Palatinus* duplici clade perculsus *Durlacensi*, & *Brunsuicensi*; simul Angliæ & Daniæ lxxiv militem soluit Palatinus. Regum literis permotus arma deponere spe pacis, quæ Bruxellis agebatur, militem exauctorauit apud Tabernas Alsatiæ, data facultate *Mansfeldio*, & *Brunsuicensi*, postquàm eis gratias egisset, cum copijs liberè recedendi, quò vellent. Ipse dein Sedanum, & paulò post per Galliam mutato habitu in Hollandiam reuertitur ad *Mauritium Arausionensem*, vnum ex fœderatis. *Mansfeldius* & *Brunsuicensis* ex Alsatia in Lotharingiam digressi, modò reditum in Germaniam minabantur, mox in Galliam obuersi quasi laborantibus ibi Hugonotis auxilio futuri. Tentauit Gallus *Mansfeldium* deludere, & in speciem oblato stipendio exarmare. Sed *Mansfeldij* calliditatem non agnouerat Gallus. Fallere credens nouo *Mansfeldij* dolo deceptus, obsides restituit, & viam aperuit, vt ad Belgas se reciperet. Celeri tamen gradu se in Brabantiam recipientem, eadem celeritate *Gonsaluus Corduba* cum Hispanicis & Burgundicis copijs apud Floreacum haud pro- pugna Corduba cũ Mãsfeldio. cul Namurco assecutus, sistere fugam, & committere aciem coegit. Pugnatum vtrinquè acriter Augusto mense, & æquo fere Marte discessum. Ad Hollandica cum peruenissent castra *Mansfeldiani*, cognito eorum aduentu *Spinula*, qui Bredam premebat, obsidionem soluit. Dux *Brunsuicensis* sinistrum brachium in pugna amiserat; quod globulo sclopeti saucius, vulneris curationem omiserat, vel ex mora, vel Numine vindicante, carne putrescente in gangrænam iam non esset vitæ spes, nisi brachium tolleretur. Pertulit sectionem fortiter, lxxiv Brunsuicensis Brachiũ amittit. & planè militari pompa inter occinentes vndique tubas, vt auocatus hoc strepitu animus magnitudinem cruciatus aut minùs perciperet, aut faciliùs dissimularet. De altitudine verò animi corporis imbecillitas nil detraxit: nam audito aduenisse Bredam, vbi curandi causa decumbebat, tubicinem Hispanicum, perduci ad se hominem iubet, & varia collocutos, *Vade* (inquit) *refer Spinolæ, amisisse me brachium, sed superesse adhuc alterum, quo in hostes propediem vtar*.

Tillius Palatinatum hoste vacuum nactus, dum *Leopoldus* Archidux Haganoam, Spiram, Vuormatiam, & reliqua Alsatiæ recuperat, Heidelbergam adoritur Electorum & Palatinatus caput ad Nicrum amnem, repositam. lxxv Heidelberga capitur. Præerat ei *Neruius* cum legione Britannica, constabat hæc mille & quingentis. Oppidani, & aggrestes, cum eò bona sua asportassent, militem æmulabantur pro stipendio pugnantem; sed illi pro aris, & focis. Mense Augusto vrbe vndique circumuenta cæpit *Tillius* muros verberare tormẽtis; propugnacula expugnare, donec ad mœnia accederet, & post acrem aggressionem vrbem capit; militum, ciuium magna parte in arcem confugiente, qui se non multo post temperatis conditionibus tradidere. Multum ibi prædæ captum, non è priuatis modò ædibus, sed è pretiosa Principum supellectile, atque thesauro. Direpta Bibliotheca omni librorum genere inter Germanicas celeberrima, cuius dein pars Romam missa. Victoriam Manhemij deditio consequitur. Validissimum id ad Rheni, & Nicri confluentes propugnaculum *Fridericus IV.* Elector Palatinus hoc ineunte sæculo communiuerat. Vbi triennium ferè Io: Papa XXII. à Concilio Constantiensi exauctoratus delituit. Ingrauescente hyeme, victorijs onustus *Tillius* in hyberna militem disposuit.

COMITIA RATISBONENSIA. Ann. 1623.

Rebus in Palatinatu feliciter fluentibus, ad componendam Bohemiam se Cæsar conuertit. Protestantes cum singularem mo- lxxvi tuum agnosceret causam, qui *Rudolphini* priuilegij robore adhuc in regno degebant, iussit secedere; ea ratione quòd si Acatholici Principes nullum patiantur sacerdotem catholicum in suis prouincijs, cur & Cæsari non licebit? qui iure victoriæ, vitæ, necisque Dominus eorum erat? Eiecti itaque Prædicantes ad Electorem Saxoniæ confugerunt de Cæsare optimè meritum, quòd solus ex Protestantibus Cæsari auxilio fuisset, vt regna recuperaret auita. Suscepit libenter patrocinium Elector, datis ad Cæsarem

Sal. An. 1622. sarem literis, & periculis memoratis quæ in gratiam Maiestatis Cæsareæ pertulerat: rogans, vt salua religionis libertate, patriam repetere possent; ne meritò à suæ religionis socijs reprehenderetur, apud quos grandem inuidiam incurrerat, quia iam ipsi prædixissent, Victoriæ fructum fore Augustanæ Confessionis excidium. Adiungit tandem, nisi his compositis, futuris Ratisbonæ comitijs adesse non posse, quæ in Calcem Anni Cæsar indixerat. Imperator verò ne sibi infensum redderet benemeritum principem, denuò ipsum inuitauit ad comitia per se celebranda: Addens multa de Bohemica reformatione facile agi posse, si præsens adesset. Saxonem porrò, quo minùs veniret, arcana alia detinebat. Non latebat *Ferdinandum* velle Electoralem dignitatem à *Palatino* in *Bauarum* transferre; cui facile assentire haud posset metu Protestantium, si, se præsente, pateretur in principem Catholicum, transferri Septemuiratum. Vel quòd supra Cæsaris potestatem crederet priuationem illam, quæ ad Septemuiros omnes pertineret.

Septimo huius anni die apertis Ratisbonæ à Cæsare comitijs adfuere per legatos *Saxo*, *Brandenburgicus* & *Treuirensis*. Per se *Moguntinus*, & *Coloniensis* Septemuiri. *Salisburgensis* item Archiepiscop. *Herbipolensis* Antistes, Dux *Neoburgicus*, *Ludouicus fidelis Hassiæ Landgrauius*; aliorumque Imperij Principum, atque Ordinum frequentes oratores. In Cæsaris comitatu fuere *Henricus Iulius*, *Franciscus Albertus* Saxoniæ Duces, *Christianus Iunior Princeps Anhaltinus*. Plurimi præcipuæ notæ Comites, & Barones.

Causa olim perturbatorum comitiorũ. Primo consessu *Ferdinandus* actis pro more gratijs de aduentu procerum atq; frequentia, per *Vlmium* Imperij procancellarium, finem conuentus proposuit. Quapropter causas consiliorum olim perturbatorum voluit ante omnia explicari. Fuisse videlicet, qui aduersùs prisci moris instituta, suffragiorum auctoritatem voluissent eleuare, vocando in dubium eorum ius, si quando numero superarent aliter sentientium opiniones; fuisse item, qui Spirensis tribunalis Senatusque Aulæ Cæsareæ iurisdictionem eludere, iuris ordinem euertere, tentassent. Natas inde discordias, odia, perniciosa fœdera, tandem Bohemiæ rebellionem. Quorum aliqua à *Friderici Palatini* molitionibus prognata, adoleuisse in graues Imperij & Prouinciarum perturbationes. Nemini clam esse, quibus ille modis arma induerit, regnum inuaserit alienum, quæ cum Turcis fœdera perculserit, quàm susque deque habuerit Principum monita, Cæsaris edicta; cui ni Deus adfuisset, Romanum haud superesset imperium. Adhibitam ergo proscriptionis seueritatem, lxxvii *pæna proscriptionis.* quæ Reipublicæ hostem declaratum exuit auitis possessionibus, & dignitate, ignique & aqua interdicit. Superesse iam vt Septemuiratus, & principatus Palatinus comissi noxa Imperio delatus, tanquàm vacuus benemerito principi tribuatur, & in eum veluti in vacantem possessionem substituatur. Ad hunc Cæsarem, maturo habito consilio destinasse *Maximilianum Bauariæ Ducem*, qui ad salutem Imperij, tot tantasque periculosas susceperat expeditiones, proprio vitæ discrimine, & grandibus impensis, quæ aliquot myriades argẽti excederẽt.

lxxviii Propensam Cæsaris voluntatem erga *Maximilianum* magnopere probabat *Ludouicus XIII.* Gallorum Rex, commendabatque per Baugium Oratorem suum.

Postulabat deinde vti de restituenda Germaniæ pace, de tuenda Hungaria, de ærario restaurando, si fortè rursùs à Bethlemio, aut ipso Turcarum Imperatore appeteretur; de reprimendis Hollandorum conatibus, qui prouinciam Burgundicam, atque ipsum Imperium, tot seditionibus incompositum inuadere non verebantur. Postremo de moneta à falsarijs corrupta, in priorem valorem reducenda, in commune consulerent.

Septemuiri, auditis in Comitio agendarum capitibus, gratias egere prò paterno in Imperij salutem affectu. De Palatini Septemuiratus translatione non vna fuit omnium vox. Secularium Electorum legati libellum Cæsari obtulerunt, petentes, *vt suorum responsa principum expectarentur, antequam decretum emanaret. Quantum ad pacem, Cæsarem ludere, & verbis dissonare facta. Nam in Bohemia Euangelicis claudebantur templa, ritus tollebãtur Protestantium, & sacra publice facere prohibebantur. De hac iniuria questus Dux Saxoniæ, ita tamẽ ne auxilia sua Cæsari subtraxisset, cum imperium vndique rebellantium prœmerent arma. Quare Bohemis erratorum venia data euanescere, quorum conscientia tam atrociter torqueretur. Hæc omnia si Cæsar clementer tolleret, redderetque patria exules; ipsi omne genus exhiberent obsequij, vitam etiam impensuri ad nutum Cæsaris. De Electoris dignitate in Bauarum transferenda,* lxxix

Sal. An. 1622. *se scriptis iam per Germaniam vulgatis remittere, quibus nimis præpropera festinatione Palatinus probabatur damnatus. Magnam præterea Britanni Regis habendam esse rationem, qui Palatinum sibi generum adsciuisset, aliorumque principum, qui Cæsarem cum Palatino clementiùs acturum putabant; qui graui quidem crimine deliquisset: sed iuuenili, inconsultoque feruore in obliquum abreptus malò sanè consilio se fortunasque suas tam infeliciter elisisset. Iam culpa abundè dedisse pœnas, huc illucque diffugiens. Quod si Maiestas Cæsarea iam decreuisset Electoris titulo Palatinum euertere, agnatos eius ne tangeret, pro quibus principes omnes essent arma laturi, vt iniuriam ab innoxijs propulsarent. Bellorum aduerteret inconstantiam. Incommodis omnibus facile occurri posse, si iterum Palatinum in gratiam reciperet.*

Huic libello Cæsar scripto respondit, *Palatinum nulla posse excusatione purgari, qui Cæsaris, ac Electorum, cæterorumque monita per summã iniuriam contempsisset. Omnia constare literis, quibus ad obeundum vadimonium illi dies dicebatur tanto temporis damnando, vt si resipiscere voluisset, errata damnando, ditiones suas recipere potuisset. Angliæ, & Daniæ Regibus, alijsque Germaniæ principibus pro Palatino intercedentibus, hoc se libenti animo concessurum, si posita contumacia, supplex veniam poposcisset: quod hactenus refractarius est auersatus. De Bohemis iam literis significasse, mulctã nomine priuilegijs excidisse in pœnam perduellionis. Rogare tandem, vt paterentur Electorum numerum adimpleri Bauari suffectione, vt ea vitarentur incomoda, quæ ex vnius Electoris defectu accidere possent.*

Varia fuere hinc inde responsa. Cæsar tandem sequentibus contentionem absoluit. *Cum Palatinus capiti Cæsareo insidias struxerit, ac regnis, atque fortuna euertere tentauerit: Germaniam cædibus, & rapinis inaudita barbarie afflixerit in aliorum documentum, omni iure titulo, esse spoliandus veluti contumax, & perduellis. Se tamen velle pœnam clementia lenire: vt omnibus innotescat, se non Palatini ruinam, sed pænitentiam cupere. Quare tot Principum precibus flexus, se Palatino omnes prouincias, quibus iustis armis spoliauerat, vno dempto Electoratus titulo, redditurum; modò ille superba demissa ceruice, scelerum veniam precetur, ac dimisso milite, omni renunciet fœderi, quod contra Cæsarem percussisset. Et quamquàm dignitatem Palatino abrogaret, ius tamen filiis, ac descendentibus esset, iura sua & actiones persequi in comitijs imperialibus, vbi secundum iuris formam Electores litem decidere tenebuntur.*

Lata sententia, V. Kal. Martij præstitutus est dies, quo Elector Bauarus crearetur. Inaugurationis hic ritus fuit. Imperator cultu regio indutus, præferentibus, quibus ius erat insignia augustalia, præsente Septemuiro Moguntino, ac Coloniensi, legatis Treuirensibus, (aberant Brandeburgi & Saxonis, adstabant plurimi Principes, Episcopi, & Archiepiscopi post memoratas à Vice Cancellario abdicationis causas, Cæsar folio sublimis, Procancellario perorante edixit se *Maximilianum* Bauariæ ducem ob insignem erga communes hostes atque perduelles Cæsari, & imperio nauatam operam, in Collegium septemuirum cooptasse, quam dignitatem teste vniuerso imperio velle conferre. Operiebatur in proximo conclaui *Maximilianus*, ad quem Comes Io. Hohenzolleranus supremus aulæ Bauariæ præfectus post repetita compendio capita orationis habitæ à Procancellario, comitantibus *Egone Fustenbergico* comite præfecto castrorum Boiorum, & *Pappenheimio* imperij Mareschallo hæreditario, mentem Cæsari *Maximiliano* retulere. Egit gratias Maximilianus, seseque paratum solenni iuramento fidem suam Cæsari obstringere ostendit. Mox à Procancellario euocatus, Archiepiscopo salisburgensi, & *Alberto* duce Bauariæ germano *Maximiliani* fratre eius dexteram læuamque cingentibus, accessit ad solium augustale, ac in genua prouolutus sese Cæsari sistit. Ad hæc iterum Cęsaris voluntate à Procancellario vulgata, *Maximilianus* actis Cæsari demississimè gratijs, semptemuiralibus donatus insignibus, tactis manu Euangelijs, solenni forma septemuirale sacramentum recitauit, & ensem exosculatus Cæsareũ, habitis rursus gratijs, libato dein exporrectæ Cæsaris dextræ osculo, receptaque aulæ gratulatione in augustali triclinio primam lancem Imperatoriæ mensæ, quod Archidapiferi munus est, imposuit assediteque Cæsaris conuiua. Peracta solemnitate Imperator septemuiros Principesque imperij, qui aderant, *Albertum* item *Saxo-Lauenburgicum*, *Christianum Anhaltinum* epulo adhibuit: restituitque Anhaltinum iuniorem pristinæ gratiæ, exemplo singulari clementiæ. Tantam læti-

Sal. An. 1623. lætitiam conturbauit magni apparatus quos bello reuocando dux *Mansfeldius* in Frisia Orientali; *Christianus* verò dux *Brunsuicensis* in Osnabrugensi ditione fecisse nuntiabantur. Conduxerāt Batau i ad quatuor menses *Mansfeldij Halberstatiq*; copias: quibus elapsis, cum Hispani à Bergizomi obsidione recessissēt, idcirco superuacanei essent, eos exauthorarunt. Quamobrem Ratisbonam accersitus *Tillius*, vbi auctus Comitis dignitate, iussus est mense Martio iunctis legionibus Anholtinis, mouere in Cattorum fines, antequam *Mauritius Lādgrauius*, quem ferebant Cæsaris hostibus addictum, eosdem in ditione sua reciperet, vel conspiratione iuuaret.

lxxxii Ægrè accepit *Mauritius* Cattorum regulus Cæsarianorū aduentū, quasi immeritus belli onere præmeretur, sed cū eius non laterēt consilia, volens lubens recepit. Irato *Mauritio*, Prouinciales ad tuendos fines, correptis armis, vim aliquam opposuere *Tillio*, sed momento fusi, fugatiq; domum ad consuetos rediere labores.

lxxxiii Porrò cum Saxonis septemuiri animus non nihil videretur offensus, ad explorandum & mitigandum peropportunus visus est *Ludouicus Fidelis* tū ob sacrorum cum Saxone communem vsum, tum ob vtriusque necessitudinem, & animorum consensionem. Erat etiam, quod Principi *Ludouico* nuper Cæsar Marpurgensem successionem, post diuturnam cum *Mauritio Hasso* patruele controuersiam, lata sententia addixerat, cuius iudicij executionem tum Coloniensi, tum Saxoni demandarat. Sic gratus sperabatur *Ludouicus*, si specie petendi Cæsareæ sententiæ executionē quasi in re priuata, & velut aliud agendo, translati septemuiratus mentionem inserens, conaretur conciliare Saxonem. Cæsar ipse non defuit, Saxonem, & Brandenburgicum denuò ad comitia inuitando. Excusauit se vterque, quasi crederent præsentiam suam non modo futuram vsui, sed forsan grauem; quia aliter de Palatini exauctoratione sentirent. Sic fine comitijs imposito, Cæsar Pragam contendit.

lxxxiv Sub idem tempus *Franckentalia* fidissima *Palatino*, non modo *Tillio* sed & Hispanis fortiter obstiterat. Hinc iacebant totius viciniæ comertia, crescebatque in agro solitudo, quæ nec Hispanis proderat, nec reddebat rem *Palatini* meliorem. Consensu itaque actum, vt penès *Isabellam* Hispaniæ principem, & Belgij Gubernatricem lege depositi seruaretur; ea tamen conditione, vt si intra octodecim menses *Palatinus* in Cæsaris gratiam non rediret, Franckentalia cum vniuerso bellico instrumento Anglis redderetur, penès quos ad eum diem steterat Franckentaliæ defensio. Sic ciuitas, quam nulla vis subegerat, negotiationis industria cecidit in manus Hispanorum, apud quos perseuerauit ad annum huius sæculi XXXII.

Dum hæc in Hassia gerebat *Tillius*: Transsyluaniæ princeps *Bethlemius* Pannoniam inuasit, valida Turcarum, ac Tartarorum manu, quos à *Sultano* Comes *Turrianus* impetrarat. Prætextum rebellionis habebant, quod pecunia in conuentione Oedeburgensi *Bethlemio* promissa, non solueretur. Transito itaque Tibisco, subitanea irruptione cum sexaginta armatorum millibus irruens, Legionem Tieffenbachianam facile opprimit. Comitem *Schvvartzenburgicum* intra Goettingam oppidum obsidet; præstructis quatuor munimentis ad eam vrbis partem, qua exitus patebat; cætera quæ stagnum, paludesque & sylua cingebant valido præsidio obseruabat. In ijs angustijs *Schvvartzenburgicus* diuisa prudenter annona, hostium vim ad initium vsque hyemis fortiter sustinuit, donec Turcæ Tartariquè moræ, frigorisque impatientia non expectato iam *Bethlemij* imperio castra desererent, quibus rebus impulsus, & ipse demùm ad inducias pertractus est. Ita obsidio soluta, cum iam Cæsariani extrema annonæ & rerum omnium præmerentur inopia. *Bethlemius* tamen ne se pro victo gereret, has Cæsari conditiones præscribere est ausus, *vt duos in Silesia principatus Oppeliam, & Ratiboriam, quos illi Cæsar initio motuum atulerat, restitueret; vt Hungaria omni ab vrbibus Montanis ad Transsyluaniam vsque cederet, vt sumptus in hoc bellum expositos refunderet, & se pro Regem Hungariæ crearet.* lxxxv *Motus Hungarici.*

Vrgebat etiam *Palatini* restitutionem *Iacobus* Rex Angliæ, quam ad eum diem frustra tentauerat; tandem filij sui matrimonio cum sorore Hispaniarum Regis experiri constituit. Princeps idcirco visendæ futuræ coniugis gratia, occultus, in Hispaniam venerat, & Franchentaliam in Belgij Gubernatricis potēstate reposuit. Sed cum Hispani, Palatini restitutionem ad arbitrium Cæsaris reijcerent; Anglus Hispanicæ affinitatis spe omissa, quòd ad *Palatini* causam parum conduceret, matrimo- lxxxvi

Sal. An. 1624. nium filij in Galliam transtulit, generum [, & nepotes armis iuuandos ducens, vt suspicionis labem abstergeret, qua laborabat ex vulgato cum Hispana coniugio; quod in Romanam fi-
lxxxvii Comitia Anglicana. dem inclinaret; Post duras itaque in catholicos renouatas sanctiones comitia coegit, in quibus aduersus Palatinam proscriptionem plurima
Sal. An. 1624. dixit., commiserationem afflictissimi Regij Generi, inopis filiæ, exulantium nepotum Britannici sanguinis, cuius honor respiceret totius nationis decus. Satis lenitate peccatum. Præiuit in liberalia promissa Princeps Valliæ pollicitus decem armatorum millia. Scotia vouit totidem, Anglia plura sextuplo. Si dictis responderent facta, mox in acie stetissent octoginta selectissimorum virorum millia cum stipendijs, & apparatu. Decernitur super hæc classis valida, exarmantur toto regno Catholici *Mansfeldius*, & *Brunsuicensis* expeditionis dicuntur Archistrategi, causæ infelicis longè infelicissimi patroni. Nam omnia hæc velut stipula ante faciem venti, aduersi Numinis flatu dissipantur.

Rescissis cum Hispana nuptiarum pactis; cum *Henrietta Maria* filia *Henrici Magni*, Gallorum Regis Princeps Valliæ nuptias inijt. Hinc natum fœdus inter Gallos & Anglos, cui dedere nomen Allobrogum Regulus, Veneti, Heluetij, tum prò Tellinæ Vallis libertate, tum
lxxxviii Fœdus Anglorũ cum Gallis, Venetis &c. Palatinatus vindicatione. Sic Palatini causa Europæos passim dominatus accendebat. Sed rara fæderum fides, rarior constantia, & priuatorum rebus accomoda; Parum iuuit Palatino tanta concordia.

lxxxix Mansfeldij naufragium. Acceptis *Mansfeldius* à Iacobo Rege literis, extemplò magna Tribunorum comitante caterua, properauit ad Batauos. Flissingæ vela soluit Angliam versùs, sed vix prouectus in altum, cum nauarchi inertia nauis impacta incautes soluitur; penè effugiente *Mansfeldio*, amissa omni supellectili, & geminis auro signato fartis arculis; grandi iactura rerum, quas malis artibus acquisierat.

Alio nauigio, velut magnis rebus seruatus, exscendit in Angliã, perhonorificè à Rege acceptus, destinatusque ad spes maximas. Exercitui præfectus, ex Anglia soluit cum copijs, quas trecentis nauibus impositas, in Selandiam deportauit.

xc Christiani periculum. Maiori periculo agitatur *Christianus* Dux. Scripserat in Gallia bis mille pedites, & alarios, quos Caleti nauibus imposuerat, vt in Batauos transueherentur. Cum sublatis anchoris, reflante Borea fluctus ægressi terminos suos, naues omnes, quæ tempestiuè periculum non euaserunt, omnes demerserint.

Nec partibus suis defecerunt Catholici. Copias suas auxit Rex Hispaniæ viginti armatorum millibus, accepto à regnis hæreditarijs ingenti pecuniæ subsidio. Catholici Germaniæ principes pecuniam contulere. Cæsar veteranis legionibus iusta auxit supplementa. Cum Transsyluano pacem firmauit; ea conditione, *vt regni Hungarici administratione, titulo, sigillo abstineret. Captiui hinc inde sine lytro soluerentur. Turcas, Tartaros nullo modo, per se vel per alium in Cæsarem solicitaret. Cæsari omnia nupero tumultu ablata restitueret. Titulo Principis Transsyluaniæ, & S. R. Imperij quoad viueret, atque Ducis Oppeliensis, & Ratisboriensis.* xcii pax cum Daco.

Supererat Saxoniæ Septemuir, non adhuc ad Bauari fortunam compositus. Eum deliniendum sibi sumpsit *Io: Suuicardus* Moguntinus Septemuir. Plurimæ cum de ea re intercessissent literæ, colloquio diem dixère Flussingæ. Adfuere Moguntinus, & Saxo: *Maximilianus* nomine *Ludouicus fidelis*, & *Tillius*: Dux Saxo Coburgicus, gemini fratres *Birckenfeldici* principes; Hispaniarum Regis legati. Aiebat Moguntinus, xciv

Cæsari non esse vertendum vitio, quod vsus iure suo Septemuiratum ex delicto vacuum, consensu Electorum qui comitio aderant Ratisbonensi; Principi contulerit meritissimo. Id non factum in absentium iniuriam, sed ne collegium Septemuirale diutiùs vno orbaretur electore, neue in posterum imperij iura, aut Cæsarea Maiestas, per impunitatis exempla vilesceret. Palatini delicta initio praua, quamuis ab Electoribus censura notata in peius excreuisse. Regale Saxoniæ domus non peregrinum, neque vetustum, sed recens at domesticum in causa simili geminum exemplum. Sane nihil est, cur conueniat Palatinos potiori iure haberi Saxonibus. Misera quidem est Palatini fortuna sed voluntaria & sine penitentia. Nociua est elementi, & clementiæ iniuria, quando delinquens palam peccat, & perseuerat obesse. Hoc etiam interest inter Ducem Ioh. Fridericum, & Fridericum Com. Palatinum, quod huius factum sit enormius, duratione & multiplicatione patentius, publicoq; damno nocentius. Io: Fridericum nullas Cæsari prouincias, nullum regnum ademit: breues eius fuere conatus xcv

Sal. An. 1624. *conatus aliena solicitatus fraude, parum publico, multum sibi nocuit, culpam agnouit, & seriò fuit deprecatus. Ex aduerso Palatinus violauit supremum Orbis caput, regi diadema detraxit, rebelles excitauit consilio, gladio, pecunia, cruentis bellis Germaniam deformauit, quod in dies auget. Verum oppido quòd Septemuiratus Saxonicus non migrauit in domum alienam, & stirpem extraneam; sed etiam Palatini, & Bauari easdem prorsus habent ex vna stirpe genitores. Imo nupera translatio iuri consona videtur, quòd Septemuiratus à prima sui origine Bauaricus postliminio reuertitur ad pristinos possessores, à quibus fuerat per iniuriam auulsus aduersùs pacta conuenta in transactione Papiensi. Vitium reale, & personale quod scienter in hæredes translatum omnem impedit præscriptionem. Nec potuit Aurea Bulla, nulla extante causa, nulla adhibita iuris Bauarici cognitione auferre ius alienum.* Rupertus *Com. Palat. senior cum Ludouico Bauaro Imperatore transegit, & iuramento sanxit alternationem iuris Electiui, quã transigentes ea conditione firmarunt, vt quæ pars transactionem violaret, citra aliam iudicij formam à iure eligendi in totum excideret. Quòd Rupertus pactum violauit, est in confesso, vnde ius omne amisit eligendi. Rupertus senior successorem habuit Rupertum iuniorem filium Adolphi fratris, qui cum cæteris descendentibus mala fide laborauit.* Hæc & plura Moguntinus neruosa oratione exarauit. Illud tamen creditur expugnasse Saxonem quòd Palatina abdicatio iuuaret causam suam, quòd & ipse Septemuiratum possideret ex culpa primi possessoris vacuum, & eodem iure, quo in Bauarum ab Imperatore translatum. Acquieuit itaque, & ex eo xcvi
die *Maximilianum* titulo, & honore Electoris coluit. Ea sinceritas sic affecit Cæsarem, vt illico *Fridericum Altenburgicum, Guillielmum Vvinmariensem*, aliosque Saxoniæ Duces, condonata captiuitate, Saxoniæ Septemuiro remiserit.

FAMILIAM ERCISCVNT AVSTRIACI. Ann. 1624.

Protestãtes à Cæsare eiecti. DEmulcito Saxone; iussit Cæsar Protestantes omnes Austria, Bohemia, Morauia recedere. Acatholicorum sequutus exemplum, in quorũ ditionibus nõ permittũtur Catholici.

xcvii *M. Antonij de Dominis mors.* Sub idem tempus M. Antonius de Dominis Archiep. Spalatensis, qui nuper à Catholica religione defecerat, ex Anglia Romam reuersus, & in castro S. Angeli in custodiam datus, breui ex morbo decessit. Cadauer in campo Floræ exuritur; cineres in Tyberim abijciuntur.

xcviii Mox ad familiam ordinandam Cæsar conuersus, fratribus etiam consentientibus, *Io: Vlricum Ducem Cromancij* & *Io: Bapt. Baronem de Vvertenberg* delegit, qui hæreditatem erciscerẽt. Omnes *Maximiliani* Cæsaris filij sine hæredibus decesserant, & Austriacum patrimonium ad filios *Caroli* erat deuolutum, qui frater *Maximiliani* fuit, *Ferdinando I.* Cæsare genitus. *Caroli* tres adhuc superextabant liberi, *Ferdinandus II.* Cæsar, *Leopoldus*, & *Carolus* Archiduces. Comitatum itaque Tyrolensem, Landgrauiatum Alsatiæ, cum Brisgoia, & adiacentibus ditionibus in tres partes diuisere, ex quibus vna Cæsari, altera *Leopoldo*, tertia Carolo obtigit. Reliquam patrimonij partem, Stiriam, Carniolam, Bohemiam, Austriam Cæsar *Ferdinandus II.* ante varijs acceperat titulis. *Carolus* Sacro voto obstrictus, solo Marchionatu Burgouiæ, & paucis in Silesia dominijs præter annuam pensionem contentus, partem suam Cæsari remisit; quam dein Cæsar *Leopoldo* fratri, liberisque ipsius attribuit. Nec longè post moritur Archidux *Carolus*, Cæsaris *Caroli Austrij mors.* frater, in Hispaniam euocatus vt Lusitaniæ præesset. Anni verò insequentis initio obijt & *Iacobus VI.* Rex Britanniæ. Moriens *Palatini* xcix *Anno 1625.* restitutionem filio *Carolo* commendauit. Is post *Iacobi Regis Angliæ obitus.* celebratas cum *Henrica Maria* Galliæ Regis sorore nuptias, instructa classe centum & quinquaginta nauium, quibus decem millia peditum imposuerat, & aliquot equitum turmas, *Anglorũ expeditio* Lusitaniam peti iussit. Sed cum illa Pleymontho serius soluisset, Lusitaniam quidem tenuit, sed tentata Gadibus exscensione, à *Ferdinando Gisonio* cum valida Hispanorum manu, Angli repulsi, naues iterum conscenderunt, qui tempestatibus iactati, pauci patriam appulere.

c *Danica expeditio* Anglorum infelix expeditio fœderatos minimè morata est, quin Rex Daniæ *Christianus IV.* iuxta pacta moueret in Cæsarem. Is à Principibus Holsatiæ, & Saxoniæ inferioris *Dux Circuli* fuerat designatus, *Duce Luneburgico* contra instituta, ea dignitate abdicato, quòd ad pacis consilia, & Cæsaris obsequium magis inclinaret. Nihil contra Cæsarem præseferebat Danus moliri, sed meram Circuli defensionem spectare, quòd varijs militum excursionibus turbaretur, maximè *Tillij*, à quo, vt exercitum

suum

Sal. An. 1625.

ſuum ab innocentibus ſubditis deduceret, e-
nixè poſtulanti, per ludibrium reſponſum
fuerat, *Cæſarianum militem in aere viuere non
poſſe.* Sic in Cæſarem querebatur *Danus*. Cæ-
terum Cæſar nouam dignitatem miratus, mo-
nuit Regem, vt ſuſpectam, inſolitamque exter-
nis Regibus præfecturam, Duci Luneburgico,
qui eam multis iam annis egregiè adminiſtraſ-
ſet, reſtitueret. Se quomodò occurrerent immi-
nentibus malis, cum Principibus conſideratu-
rum. Exercitum dimitteret: ſe mox *Tillio* man-
daturum, vt è Saxonia recedat. Sin ea Rex fa-
cere detrectet, ad ſalutem imperij nouos im-
miſſurum milites. Iiſdem ferè verbis inter *Til-
lium*, & Regem eſt decertatum. Cum audito
Mansfeldij, & *Brunſuicenſis* aduentu, qui cum
duodecim millibus ex Belgio, Regi Daniæ in
auxilium properabant, oppoſito illis Comite
Anholdino cum octo millibus, ipſe Viſurgim
versùs contendit, vbi Rex ſtatiua poſuerat. Is
vbi *Tillium* appropinquare, atque Hoxteram,
& Holſmundam præſidijs firmare intellexit,
Hammeliam non ſine graui diſcrimine retro-
ceſſit. Eques ipſe dum militares excubias no-
ctu obiret, cum equo in vallum prolapſus, ſal-
uo enatante equo in aduerſam partem, ipſe ex-
animis relictus, totum biduum linguæ impos
ci iacuit. Porrò vbi vox redijt, nec dum ſatis con-
firmata valetudine, Verdam venit. *Tillius* oc-
cupatis, quæ Rex reliquerat, Menſe Auguſto,
Nicenburgum obſidet ditionis Luneburgicæ,
quod Rex valido firmarat præſidio. Infelix
fuit oppugnatio, nam valida Rege referente
auxilia, deſideratis *Tillius* pluſquam quatuor
millibus, obſidionem ſoluere coactus fuit.
Damnum tamen breui redemit; occupata
haud multo poſt Calenberga, & occiſa apud
Hannobriam Danorum magna parte, inter
quos plurimi nobiles; tum ipſe *Obetrautius* à
Duce Vinarienſi præfectus equitatui; *Frideri-
cus* Dux Saxoniæ Altenburgicus, qui Neoſta-
dij captus, atque à Cæſare manumiſſus, per cii
ſanctè iurauerat, nunquàm contra Cæſarem
arma laturus. Obijt in campo *Io: Michael O-
betrautius*, ſclopeti ictu confoſſus, qui paulò an-
te mortem rogatus, quonam pacto id ipſi ac-
cidiſſet infortunium, dixiſſe fertur: *In tali prato
huiuſmodi roſæ carpuntur.* Hæc ad Viſurgim;
dum *Albertus Vvallenſteinius* à Cæſare in
ſubſidium miſſus, ex Bohemiæ, Morauiæque
præſidijs viginti trium millium collectu exer-
citu, Magdeburgenſium, & Brunſuicenſium
fines irrumpere tentans, à Duce Brunſuicenſi
repellitur. Sed Tilliano adueniente auxilio, ſu-
peratis ſyluis, & locorum anguſtijs viam in in-
feriorem Saxoniam ferro aperuit, occupatoq;
Halberſtadio, deinde Halla, totam Magdebur-
genſem ditionem inuaſit. Huius cladis mœro-
rem aliquantum mitigauit, recepta ad Vi-
ſurgim ſine ſanguine Stolzenauia; coactis
præfectis à gregaria militia, deditionem fa-
cere.

Nicenburgum Tillius fruſtra obſidet.

Danorum clades.

Albertus Vvallenſteinius.

FERDINANDVS III. ELIGITVR REX HVNGARORVM. Ann. 1625.

ciii SVb Danici belli initium, *Ferdinandus III.*
Cæſaris maior natu filius, Rex Hungaro-
rum inauguratur. Varia bellorum pertulerat
incomoda Pannonia, in primis à *Bethlemio* Da-
corum principe, qui Turcarum ſpe, regnum
illud occupare ſperauerat. Hinc Monachos, Sa-
cerdotes adeò vexauerat, vt ab interitu non
procul eſſet religio. Eius curà Cæſar ſuſcepta,
auxilio & diligentia *Petri Paſmanni* Archiep.
Strigon. & Cardinalis, plura inſtituerat colle-
gia, in quibus catholici erudirentur, & ad ani-
marum curam educarentur. Hiſce beneficijs
demulciti proceres, vnà cum religione & amo-
rem erga Cæſarem inieře; paulatimque cupido
inceſſit gratificandi Cæſari, ſi filium eius in
Regem nominarent. Comitijs itaque Oeden-
burgum indictis, menſe Octobri venit Cæſar
cum coniuge & liberis, *Carolo Caraffa* Legato
Pontificio, cum Hiſpano, & Florentino comi-
rantibus. Legati quoque adfuere Bethlemij, qui
cum Cæſari à Principe ſuo amica omnia ſpo-
pondiſſent, petierunt vt Cæſar principi ſuo vo- civ
lenti ad nouas nuptias tranſire, ex principibus
imperij aliquam deligeret. Hinc multis ſuſpi-
cio, *Bethlemium* petita à Cæſare filia, ex domo
eius matrimonium quæſijſſe. Duxit tamen *Ca-
tharinam* ſororem Electoris Brandeburgici.

In comitijs cum frequentes Hungariæ pro-
ceres conueniſſent, per ſupremum Cancella-
rium exponit Cæſar, *in commune conſulerent
quo remedio Pannonia pax reſtitui poſſet. Vt
mandato Regis ſerio parerent, in refractarios
ſeuere animaduertant ij, quorum & munus, ex
cuius rei negligentia peccatum ſit. Deinde quia
more Turcico non pauci matrimonij ſanctita-
tem pluribus inductis vxoribus contaminant, id
ſeueriſſimis pœnis coerceatur. Vt ad munitiones
contra Caniſiam conſeruandas, & cohibendos*

pado-

Sal. An. 1625. *predones, & stipendia præsidiarijs numeranda, quoniam in eo sit salus Reipublicæ, paulò liberalius tributum persoluant*. Addita nonnulla de securitate itinerum, de vitanda familiaritate Turcarum, de Raba fluuio purgando, de puluere tormentario ex regno non auehendo, super quibus consulerent proceres, Cæsar postulabat. Interim dum hæc deliberatio suscipitur, & Cæsar paucorum querimonijs, qui militum licentiam, *Bethlenij* insidam vicinitatem, & Turcarum insolentiam arguebant, satisfaceret; Archiep. Strigoniensis, Episcopus Quinque Ecclesiensis, & Esthethasius de Cæsaris filio in patris locum sufficiendo, verba fecerunt: ad euitanda discrimina, quæ accidere solent, si Rex sine successore decederet; Catholici non aduersi dificultate tamen tenebantur negotij, quidam eorum sufficienti non instructi mandato. Acatholici palam repugnabant præcipuè legati *Bethlenij* contra iura regni & libertatem suffragij astruentes electionem noui Regis, viuo *Ferdinando*. Proponebant Polonorum exemplum, qui quartum rogati à Rege in electionem *Vladislai*, viuo rege, consentire noluerint. De Persona etiam insimulabant, adhuc per ætatem nesciri, qualem eligant. Optimum sperari posse, sed spem sæpe fefellisse. Obstabat etiam, quod legati Commitatuum penes quos suffragium erat, nullum haberent mandatum. Strigoniensis tamen cum socijs non desperabat, quin maiorem partem procerum ad se pertraheret. Ostentabat interegni futura discrimina, ijs solum vtilia, qui ex tumultibus commodum quærerent. Quid expectandum vt *Bethlenius* aspiret, vel Turca non solum Hungariæ, sed totius Christianitatis perniciei? Electo Rege, euanescunt studia atque factiones. De persona non dubitandum. In domo Cæsaris filium esse non tam ad Pannoniæ coronam, sed & ad maiora genitum. Poloniæ dissimile exemplum esse. Ibi ex omni natione cooptari reges. Hic proximiorem defuncti Regis agnatum, si idoneum; vel de domo Austriaca. *De potestate legatorum vanum esse argumentum, quia ad comitia missi sint, vt Reipublicæ saluti prospiciant*. His confirmati multorum animi, iam electionem propitiam sperabant. Venere interim legati Slauorum & Croatiæ, Dalmatiæ catholici ferè omnes, & tam non pares modò numero, sed etiam superarent, qui electionem malebant. Præmissa est tamen in experimentum electio ProRegis Hungariæ, quem magistratum gesserat *Stanislaus Tursus* haud multò ante defunctus. Cæsar quatuor de more duos Acatholicos, sed inter illos *Comitem Esterhasium* præcipue ordinibus commendauit. Ea dignitas cum plenis suffragijs ad mentem Cæsaris obuenisset, nemo iam dubitabat, quin & Regia succederet. Soli obstabant Transsyluani. Inter eos *vidua Budeani* Imperatricem aggredi ausa ostendit, quantum ipsi hac noua regis electione decederet, quæ defuncto Rege sola posset regni curam obire. Porro Augusta actis, *Budeanæ* gratijs, respondit: *Nolle se post Cæsarem viuere, multo minus regnare*. Cæsar itaque aduocatis extra ordinem in consilium *Carolo Caraffa* nuncio Apostolico, *Archiep. Strigoniensi, Cancellario Hungariæ, Legato Hispanico*, & *Esterhasio Palatino* de coronatione noui Regis, quæ electioni succedit, deliberare instituit. Alij statim peragendam censebant, quia externa illa pompa Hungarorum animos nouo Regi conciliare soleret. Tum pro matrimonio Infantis Hispanicæ, & insigniorem titulum in comitijs Imperialibus, vbi plus *coronati*, quàm *Electi* valebat. Tandem quia Austriaci titulum *Electi* non facile admittant, qui ius sibi hæreditarium in Pannonia attribuant. Alij coronationem differendam suadebant, ne in easdem conditiones, religionis detrimento iurare filius teneretur, in quas pater compulsus fuerat. Ærarij etiam præfecti ingentes coronationis sumptus causabantur, quòd pecunia deficeret etiam ad Regem alendum. Hac re nihil Cæsar motus ob solum religionis periculum, electionem decreuit, coronationem distulit. Re per Palatinum proposita, Electionem Ordines admisere ea conditione, vt *Electus* iuramento confirmaret omnia priuilegia tam sacra, quàm profana, quæ confirmaret, si *coronatus* esset. Ita compulsus Cæsar, ne procerum animos à se auerteret non tam Electionem, quàm coronationem permisit. Vigesima itaque sexta Nouembris concordibus omnium procerum suffragijs Ferdinandus Ernestus Archidux, Cæsaris filius Rex Hungariæ ac patris successor eligitur, & octaua Decembris (dies est conceptæ Dei matri sacer) coronatur Anno 1625.

Clauditur Annus morte *Mauritij Arausionensis* mœrore confecti ob amissam Bredam, quam *Spinola* post longam obsidionem in deditionem acceperat. De pace inde agi cœptum inter Cæsarem, & Danum. Sed cum is adeò ini- CIV Sal. An. 1626.

Sal. An. 1626. iniqua peteret, vt bellum malle, quàm pacem poscere videretur, conuentus dimittitur. Cesareis partibus accesserat Dux Lauemburgi, ab oppidibus suis Danorum eiecto præsidio. Quod Rex adeo ægrè tulit, vt illum patriæ hostem declararit. Deinde cum socijs confirmato fœdere *Vinmariensem* Ducem cum exercitu in Vestfaliam immisit, vt Osnaburgum, & Vadenburgum occuparet. Quibus ex voto peractis, in Monasterij episcopatum irrupit. Sed hæc vrbs octoginta ducatorum millibus suam nundinata salutem, prædam effugit. Erant in exercitu *Dani* sexaginta millia militum, præter auxiliares, quos submiserant socij. Diuisis copijs Vnam partem regebat *Christianus* Dux Brunsuicensis Episcopus Halberstadius, quem paulò ante *Vlrico* fratri natu maiori in regimine ducatus substituerat. Isque iussus Cæsareos distinere, vicinia infestare. Alteram exercitus partem *Mansfeldius* ducebat ad Albim contra *Vuallensteinium*, vtque in Silesiam ad recipienda auxilia Transsyluanica excurreret. Tertiam ducebat Rex ad Visurgim medius inter reliquas, aduersùs *Tillium*, vt laborantibus accurreret, & hinc inde, quid ageretur, inspiceret.

miles Danus

cv *Clades Mansfeldij.* Porrò *Mansfeldius* occupata Seruesta, ac tota Magdeburgensi ditione, ne in Silesiam irrumperet, obstabat pons ad Dessauiam, quem Albi impositum *Io: Aldringerius* iussu *Vuallensteinij* valido obtinebat præsidio. Inde vt deijceret Cæsarianos *Mansfeldius*, nouas instaurabat oppugnationes; donec occultè adueniente *Vuallensteinio* cum omnibus copijs; XXV Aprilis *Mansfeldius* summo impetu, nouoque conatu pontem oppugnat; *Vuallensteinius* cuius aduentus latebat *Mansfeldium*, explicata acie, munitionem quæ ponti præstructa erat, egressus, *Mansfeldium* memorabili clade profligat, peditatu ferè omni cæso, aut intercepto. Capta impedimenta omnia, machinæ maiores sex, signa pedestria XXXIV, & tria equitum. *Mansfeldius* cum equitatu se fuga subduxit. Victoriæ appendix recuperatio Seruestæ fuit. Inter captiuos illustriores fuere *Kniphausius*, & duo proceres Bohemi *Michalouitius*, & *Chudtowulsius*, qui alias Cæsareas partes deseruerant. cvi *Io: Ernestus Vinariensis.* *Mansfeldius* collectis fugientium reliquijs, in Silesiam profugus, *Ioanni Ernesto Duci Vinariensi* coniungitur, iamque exercitum ad viginti penè millium numerum refecerat, exulibus ex Morauia, & Bohemia ad eum confugientibus, vt iam *Vuallensteinio* par videretur. Sed nihil in victorem tentare ausus, ad Hungariæ fines duxit populabundus; insequente *Vuallensteinio*. Is cum *Mansfeldium* inter montana & syluestria degentem assequi non posset, Nouigradum deflectit, quod *Bethlenus* & Turcæ obsidione premebant. Porro tam *Vuallensteinij*, quam *Mansfeldij* castra fatigata dissidijs, quam maiora aggrederentur duces facinora, obstiterunt. Non multo post cvii *Mansfeldij mors.* *Mansfeldius* contracto morbo, ad thermas Hungaricas, dein Budam delatus, dum minimè remittente morbo, Venetias petit, in itinere apud Racauiam, ignobilem vicum, Zaram inter & Spalatum extinguitur. Budæ decumbenti miserat ei *Muphti* literas Turcicis exaratas characteribus, quibus postulabatur à *Mahometho*, ad modum *salui conductus*, vt *Mansfeldium* in Cœlum introduceret, quanquàm *Musulmanus* haud esset, ob insignia in gentem eius collata beneficia. *Mansfeldium* Dux Vinariensis in Silesiam secutus, proscriptionem morte anteuertit. *Vinariensis mors.* Decessit anno exeunte; cum iam ante mense Maio, *Christianus* Dux Brunsuicensis vitæ finem fecisset. *Brunsuicensis mors.* Ita fata in tres hostiū Cæsaris primarios conspirarūt. *Tillius* collecto milite, in Cattos redijt, vt ab *Halberstati* iniuria amplissimi Fuldensis Abbatis defenderet Sacerdotium, quod incendere minabatur. cviii Inde ad Mendenum promotis castris (vbi quatuor centuriæ ex legione *Rheinardi comitis Solmensis* inerant) vi expugnat. Miles vlciscendi cupidus damna, quæ in obsidione pertulerat, in vrbem abreptus ciues iuxta, ac milites trucidauit. Clades hæc Gottingensium animos fregit, vt pactis conditionibus ipsi se *Tillio* darent. Interim Rex Daniæ, Magdeburgensi ditione ferè tota occupata; cum Calenbergam obsideret, immisit *Tillius* comitem *Furstenbergium* cum parte equitatus in suppetias obsessis. cix *Dani victi.* Is Iulio exeunte, digressus, ad pagum Rossingum hostem obuium habet, qui pugnæ auidus, intermissa obsidione properabat. Longè inferior numero *Furstenbergius* erat, tamen disposita acie, classicum canit. Conferuntur signa, & dubio dum Marte pugnant: en Billæus cum sex cataphractorum Schonnenburgicorum manipulis, quorum auxilio excitati, tanta fortitudine incubuerunt in hostem, vt confusos ordines præcipitarint in fugam, Danorum cæsis quingentis, cum *Fretagio* chiliarca, & sex turmarum præfectis. Captus Comes *Holbergius* cum vexillis vno supra qua-

Sal. An. 1626. quadraginta. Versa hinc arma in Northemiū. Dum in eo obsidendo *Tillius* desudat, Daniæ Rex XV Kal Septembr. copias vniuersas in eum educit. Venere in mutuum conspectum solo Rhuno, qui exiguus amnis est, dirempti. Quominùs decertarent, obstitit legionum absentia, sine quibus *Tillius* noluit aleam subire. *Tillio* itaque recedente, Durdestadium ciuitatem Moguntinæ ditionis Danus contendit eo consilio, vt illo occupato, magna, quæ illuc conuecta fuerat, annona potiretur, haberetque à tergo, si vltra castra moueret, ex hoc loco præsidium. Id quanti esset, apprimè gnarus *Tillius*, quanta potest celeritate festinat, vt Dano spem præriperet. Rex verò ne rei summam vnius pugnæ periculo exponeret, in Brunsuiciam regreditur, *Tillio* insequente, & postremum agmen carpente. Tandem cum absque vltimo periculo vltra cedere non posset, VI. Kal. Sept. instructa acie, ad *Lutheram* (castrum est in Brunsuicia) pedem figit. Hic *Tillius* protinùs mouet in hostem. Concursum a-

cx *Rex Daniæ victus.* uido hinc inde Marte, & post acerrimam dimicationem, in Danos videbatur inclinare victoria, qui ad Tilliana tormenta, disiectis Cæsareis, penetrarant. Daniæ Rex ipse ducens cuneos, animabat suos, & augebat audaciam. Ter Ducis iuxta ac militis officio functus, impressionem fecit in Tillianorum veteranas quatuor legiones, tanto robore, vt ex ea parte acies declinaret. Sic tamen nutantem restituère ipsi fugaces, cum collectis animis, simul acceptæ ignominiæ dolore reuersi in prœlium, sic erexere cæteros, vt Dani vltra eorum impetum non ferentes, fuso equitatu, omnis fugeret peditatus. Pauci cum equitatu, & Rege per syluas, & callium occulta Vvolfenbeutelium euasere. Cecidere in acie ex Danis *Philippus* Landgrauius Hassiæ, *Mauritij* filius; & Generalis *Fuchsius* post Regē primus. Capta signa LXXXVII cum tormentis omnibus, apparatuque militari, & magno numero impedimentorum. Incidit ea victoria in mensis Augusti diē XXVIII anniuersarium Coronationis Cæsareæ. Rex inter fugiendum, pugno plangens identidem pectus dolentibus vocibus querebatur. *O quomodo nunc mei miseri pedites conciduntur.* Nam *Danorū clades.* ad decem millia à Cæsareis fuere obtruncati; & ex nonaginta equitum turmis, triginta duntaxat cum saucio Rege aufugère. Fama est, nocte concubia, sereno Cœlo, sanguineum gladium sublimem in aere pendentem *cæleste* mucrone contra Dani castra, capulo verò *omen* Crucis figuram exprimente ad Cæsareos verso, ab vtroque exercitu conspectum fuisse.

Tillius haud segniter victoria vsus, Steinbrucum, Verdam, Rodenburgum, Otterbergam, Hoiam, nullo resistente recuperat. *Fede-* cxiii *ricus* Dux Brunsuicensis cum se omnibus fortunis periclitari, si diutiùs Danorum partes sequeretur, prospiciens; sociali fœdere ab rupto, se Cæsari adiungit. Danus verò coactis sex armatorum millibus, ponte Albi traiecto graues ingeminans de Brunsuicensi querelas, quòd perfidè socijs desertis, infami transfugio adhæsisset Cæsareis; Horam arcem non sine suo, filijque periculo recuperat. Inde *Tillij* metu in hyberna recessit.

BELLVM RVSTICVM IN AVSTRIA. Ann. 1626.

cxii FRemebant vndique arma, & volitantia bellatorum agmina Germaniam pessundabant. Sed quasi parua hæc essent; Austriæ superioris rustici, abiectis ligonibus, & sarculis contra suos principes ad arma procurrunt. Obtinebat eam regionem *Maximilianus Dux Bauariæ* ex pacto, donec sumptus in bellum pro Cæsare expositos reciperet. Hoc rustici grauabantur; cum nouo insuper edicto eos Cæsar terruit, proscriptis omnibus acatholicis; qui latitantes in rusticorum tugurijs non deerant, edicti Cæsarei iniquitatem criminantes. *Rusticorum questus.* *Quod in eorum bona continuis exactionibus sæuiendo, nunc etiam animis & conscientiæ vim inferrent; quæ sola superarat pro solatio. Frustra auctorem naturæ Deum, præstantissimum humano generi obtulisse donum voluntatem; si ea ad Dei cultum minimè vti liceret. Fortunarum iacturam oppidò grauem esse; sed grauiorem conscientiæ violentiam, quam Turca ipsi vsque adhuc haud exercere sunt ausi; cum apud Turcas vnà & pacificè viuant Iudei, Marcomani, Christiani, Persæ, Pagani.*

Facta itaque coniuratione, multa colonorum millia, adscitis rei militaris peritis, qui ordines ducerent, confluxere; tacitè etiam conspirantibus nonnullis equestribus. Occupauere primùm Dachsbergam, Bastium municipia in-

Sal. An. 1626. indefensa. Sæuitum in Sacros homines. Rapta ex oppidis tela, balistæ. Plurimis telorũ loco clauę ferreis mucronibus radiatę, erãt quas *Stellas Matutinas* vocabant: multi magicis carminibus aduersùs vulnera durati. *Erberstorffius* qui prouinciæ præerat, credens nascentem tumultum, & imbellẽ turbam aliquot militum centurijs opprimere; vt venit in agrestium conspectum, pręter opinionẽ reperit, digestis in aciem ordinibus, pugnæ auidos. Locauerãt in insidijs rustici aliquot mille collectos auerso. Vnde cum Marte pugnaretur ancipiti, subsidiarij erumpentes coloni, victoriam vsurparunt. *Herberstorffius* magna accepta clade cum suis ægrè Linzium euasit. Ea victoria rustici redditi efferatiores, Vvelsium, Styram, Lampachum, Gemindam, ilicò inuaserunt; diripuere nobile, & opulentum Cremisanense cænobium. Re ad Cæsarem delata, credidit agrestes delinire clementia, addita rebellionis impunitate. Commissarios itaq; delegat. Sed his à rusticis obsidum loco detentis, è suis senos miserunt ad Cæsarem, qui excitati motus rationem redderent. Auditi cũ nihil religionis libertatem, & immunitatem à milite poscerẽt Bauarico; promissa est erratorum venia, si tumultus auctores darent; detrectauere & hoc; imò longius ferociores facti Emsium occupant; audentq; à Bohemis Crumlouiensibus annonam, à Lintzensibus *Herberstorffij* caput, ab Equestri ordine belli societatẽ minaciter postulare. Ad obsidionem tandem Lintzij, animum adijciunt. Inerant ordines patriæ ferè omnes, & *Herberstorffius* cum valido præsidio. Sexaginta ferè armatorum millia in castris rusticorum erant; CXII Lintzium obsident. haud, si disciplina affuisset. Post menia quassata tormẽtis, impressionem fecere, sed reiecti ducentos è suis amisere. Ea clade vecordes incendio suburbana corripuere. XII. postea Kal. Sextil. Ausi iterum subire menia, audaciam luerunt quingentis occisorum capitibus. Ea clade aliquantùm perculsi, velut inclinante fortuna posuere iras, non peruicaciam. Accessit eis altera à *Lebellio* Tribuno calamitas. Transmisso amne Anasso, rusticorum stationem, quæ prò ponte Anassino excubabat, oppressit, cæsis plurimis, & balistis abductis cum aliqua armenti copia. Resumptis tamen animis, Freistadio in Bohemiæ finibus potiti, maiore ferocia, Lintzium redeunt. Et cum stratis alicubi menibus, aditus pateret, incompositi irruunt. Impediebant se plerumque aggressores, dum sine ordine ruinas ascenderent. Perijt in strage Dux eorum *Fadingerius*; sed mox è sutrina nouus creatur *Achatius Vvillingerius* homo audax, & truculentus, eoq; grauior. Eius hortatu renouatur oppugnatio, sed magna clade recepta, cæpere agrestium animi, quorum omnis in impetu fortitudo est, languescere, & de victoria desperare. Multis quoque lentum illud, & sterile dimicãdi genus displicebat, assuetis iam ante rapto viuere. *Herberstorffius* etiam agrestium animos clementia, & beneficijs mitigabat; vnde plurimos captiuos, & saucios, post quàm vulnera eorum diligenter curasset, donis liberaliter cultos dimiserat, moniti ne in dominum seditiosis vocibus seducti temerè insurgerent. Horum exemplo permoti alij castra paulatim deserebant. Obsidione itaq; soluta *Vvillingerius* ad peiora reuersus est latrocinia. Donec aduenieñte Comite *Pappenheimio* cum sex millibus iunctis sibi *Preunero*, ac *Lobelio* tribunis, propè Efferdingan incompositos aggreditur, profligat, desideratis eorum supra duo millia: in quibus Dux ipse *Vvillingerus*. CXIV Pappenheimius vincit rusticos. Eadem tamen nocte traiecto Danubio ad reparandas vires pergentes, bellum haud dubie reparassent, ni statim insequutus fugientes, gemino iterum vicisset prælio, ferocissimis eorum interfectis. Reliquum vulgus vel rapinarum consuetudine, vel stimulante conscientia veniam desperantes, per Morauiam, Silesiam vagi, Hungarico, vel Danico se immiscuere bello: Haud sanè inuito Cæsare, qui vltra non quæsiuit, paucorum supplicio contentus.

Annus clauditur nuptijs Archiducis *Leopoldi* Cæsaris fratris. Is dimissis Episcopatibus Passauiensi, & Argentinensi, Pontifice dispensante Romano, *Claudiam Ferdinandi* Hetruriæ Ducis filiam, eandemq; Vrbini Ducis viduam in vxorem duxit, quo pluribus munimentis insisteret domus Austriaca. CXV Leopoldi nuptiæ cum Claudia.

NOVÆ DANORVM CLADES. Ann. 1627.

Veteres conabatur Rex Daniæ resarcire clades, sed *Vvallensteinio* vrgente, Germania exactus in Chersonesum suam redire compulsus est. Austria namque pacata, in Silesiam contenderat *Vvallensteinius*, vbi Duce *Baudisio* hærebãt adhuc copiæ, quas *Mansfeldius*,

Sol. An. 1627 *dius*, ac *Vinariensis* introduxerant. Troppauia itaq; in primis occupata, cum inuento Vado Ederam *Vvallensteinius* traiecisset, in eas angustias Danos compulit, vt mox dimissa Silesia, per fines Poloniæ in Marchiam erumpere, inde ad suos more fugientium peruadere tentarent. Sed à *Pechmanno*, quem cum septem millibus *Vvallensteinius* immiserat, intercepti haud procul Schauerino ad Netram Poloniæ oppidum, insigni clade profligantur; vix *Baudisius* cum paucis euasit. Victoriam pensauit cædes *Pechmanni*, pari forsam damno res Cæsaris fatigata, in obitu vnius Ducis, qui fortitudine, ingenio, atq; erga Cæsarem constantia primos tenuit dignitatis cancellos.

Tantis viribus Danus impar, in Holsatiam inde Iutlandiam se recepit, terga insequentibus *Tillio*, & *Vvallensteinio*. *Durlacensis* Marchio à comite *Schlickio* pari fortuna multatus, & ipse in clausas mari insulas profugerat. Tria cum superessent adhuc Dano oppida, quæ eius tenebantur præsidio, Nienburgum, Northeimium, & in Brunsuicensi Ducatu Vvolfenbeutelia: Nienburgum Hanoldinus ad deditionem coegit. Northemium *Furstenbergius*. Vvolfenbeuteliam *Papenheimius* obstructis aquarum alueis, inundatam vrbem domuit. CXVII

MVLHVSII CONVENTVS. Ann. 1627.

CXVIII Colmariæ conuentus. Ab omnibus prope desertus *Palatinus* (cum & *Brandenburgicus* Cæsaris probasset iudicium de Bauari electoratu) per Ducem Lotharingiæ, & Vvirtenbergicum Cæsari reconciliari tentauit. Conuentui itaq; habendo dictus mensis Iulius, locus Colmaria; Summa rerum fuit, *Cæsar Palatinum in gratiam reciperet, modò Electoratus Bauaro maneret. Palatinus supplex veniam peteret. Si quid cum filio suo in Bohemiæ regno prætenderet, cederet. Sumptus bellicos Cæsari resarciret. Catholicam religionem in Palatinatu permitteret. Ministros honorifica aleret alimonia*. Ex aduerso Palatinus pro Electoratu vrgebat; vel saltem vt inter eum & domum Bauaricam alternaretur. De venia non abnuebat, quam tamen per procuratorem peteret. De Regno Bohemiæ cedendo, inclinabat. De sumptibus redendis, inopiam suam excusabat. De Religione Catholica apertè negabat. Cæsar auditis postulatis, præcipue de religione, & sumptibus non reddendis, continuò consilium abrupit. Soluto conuentu, septemuiri nouum indixere

CXIX Mulhusij conuentus. Mulhusium, quæ Thuringiæ est vrbs ad mensem Octob. Adfuere Moguntinus, & Saxo; cæteri per legatos. Rex Daniæ, & Palatinus vti legatos mitterent, impetrare non potuerunt. Adfuit legatus Cæsaris, Regis Galliæ, Principum, & ciuitatum quę liberæ dicuntur. Verba fecit *Moguntinus*.

Quomodo pax per Germaniam reparari posset, & conseruari. Et nemo fuit, qui ad id vehementer non incumberet. Multi reducendam pacem religiosam, quæ anno 1555. constituta fuerat. Ita satisfieri Catholicorum querimonijs, qui non desisterent bona contra eam transactionem ablata repetere. Querebantur Constantiensis, & Vvormatiensis Episcopi, nec non Abbas Cæsariensis varia monasteria à Duce Vvittembergico, ac Marchione Anspacensi repetentes: tempus credebant suæ petitioni opportunum. Ea tamen postulatio cum Protestantes omnes respiceret; Saxo, & Brandemburgicus mitiora suadebant; quòd sic noui excitarentur tumultus. Propterea communi omnium decreto sancitum est. Vt Palatino supplici, ac Regnum Bohemiæ, & Electorato renuntianti, venia fieret; & ex ditionibus hæreditarijs aliqua daretur portio arbitrio Cæsaris. Cæsar querimonias publicas ex legibus imperij quamprimùm definiret, neq; permitteret cuiquam ab altero iniuriam fieri. Si Palatinus eas conditiones respueret, omnes Cæsaris, & Principum Imperij vires in eum conuerterentur; dumodo Cæsar caueret, ne miles fidos Imperio infestaret.

Hoc tempore Vienna Pragam profectus Cæsar, Imperatricem die Præsentationis B. Virginis sacro, Reginam Bohemiæ, *Ferdinandum* verò filium paucos post dies Regem Bohemiæ inaugurari curauit, ea conditione ne viuo Patre, Filius Regnum capesceret. In coronatione hoc solum diuersum; quòd *Ferdinando* Regi solus Archiepiscopus: Imperatrici verò cum Archiepiscopo Burggrauius, & Abbatissa S. Georgij, quæ Regni Princeps est, diadema imponerent. Ante coronationem celebrantur comitia, in quibus cura *Ferdinandi* Ordo Ecclesiasticus in pristinam dignitatem repositus; qui multos iam annos graui Ordinis contemptu nec ius suffragij, nec in comitijs locum habuerat. Coronatio Ferdin. III. CXX Ordini Ecclesiastico comitia restituta.

Sal. An. 1626

Naturæ debitum ſoluunt hoc anno *Carolus*
Liechtenſteinius Protex Bohemiæ. *Ludouicus*
CXXI *Furſtembergius*; & Dux Mantuæ *Vincentius*,
cuius mors nouo Italiam implicauit diſſi-
dio. Anno poſtea ineunte XXVIII. huius ſe-
culi tentauit Cæſar maritimas ciuitates, quas
à ſitu, quòd mari Germanico adiaceant, An-
ſeaticas, alij Vandalicas nuncupant ſibi arctio-
ri fœdere ſociare. Eæ numero ſex, Lubeca,
Hamburgum, Roſtochium, Vviſmaria, Stral-
ſunda, Luneburgum, præcipua Germaniæ
emporia, nauigatione, opibuſq; celebria, &
quando paribus animis conſpirant, non vul-
garis potentiæ. Adhunc diem neutri bellan-
tium parti ſe addixerant. Eas vt ſibi concilia-
ret Cæſar, initium fecit à Lubeca, ad quam
comitem *Schuuarſenzembergium* miſit eo
prætextu, *quòd merces ex Hiſpania in Germa-*
niam per ſolos ſubditos Romani Imperij poſſent
aſportari. Id quàm perutile Anſeaticis fore.
Propterea quid ipſa ſentirent? aperirent.

Anſeaticæ Vrbes inuitantur ad fœdus.

Daniæ Regem ea res non latuit. Facile ani-
CXXII maduertebat quorſum ea tenderent conſilia.
Videbat quanti futurum eſſet periculi, ſi tot,
ac potentes ciuitates Cæſari, cui iam Marchia
Brandeburgica, Pomerania, Ducatus Mega
Politanus, & portus aliquot maritimi erant ſu-
biecti, iungerentur. Omnibus itaq; viribus
Glukſtadium, & Crempam munijt, quò faci-
lius tutaretur Sundanum fretum, & opulen-
tum ex nauigatione vectigal. Comitia Regni
indixit, vt Ordines imminentis periculi certio-
res faceret. Ad ea miſere Batauí *Laurentium*
Realem, quòd non multo poſt vi tempeſtatis
actum, captiuum tenuere Cæſarei. Promi-
ſerat is Danis militem, pecuniam, ad tuenda
contra quoſcumque Sundæ oſtia. Suſpecta ta-
men erant auxilia; vnde Rex externa abhorre-
bat præſidia. Anſeatici cum & ipſi conuenìſ-
ſent, vt vicinorum Regum qui hoſtilem ani-
mum gerebant in Cæſarem, declinarent inui-
diam: imò cum eis ipſius Cæſaris ſuſpecta eſ-
ſet amicitia, quaſi ex potentioris conſortio,
periculo exponeretur eorum libertas, ſe excu-
ſarunt rogantes, vt eis liceret, intra antiquos
limites viuere priſtinæ negotiationis conten-
tis.

Danus obſtat.

Interim *Tillius* curato vulnere, quòd apud
CXXIII Pinnenbergam Comitis *Schauuenburgici* ar-
ceni ſuperiore æſtate acceperat, *Stadium* ob-
ſederat. In oppidum *Carolus Morganius* tribu-
nus Anglicanus dimiſſo à ſe equitatu, confuge-
rat, & obſidentibus perquàm fuerat infeſtus,
donec hyeme ingruente Tilliani milites in hi-
berna ſeceſſerunt. Vere poſtea ineunte, iuſſit
arctari obſidionẽ *Tillius*, ex interceptis literis
comperto ciuitatis ſtatu. Daniæ Rex, cuius
plurimum intererat, Stadam ſeruari, mani-
pulatim, quo minùs obſeruaretur, contraxit
auxilia, quę clam nauibus impoſita obſeſſis in-
ferret. Sed cum inſpecta Linea circumualla-
tionis Bauaricæ, ſe penetrare deſperaſſent, nul-
lo operæ pretio redierunt ad Regem. Obſeſſi
iam ſubſidium deſperantes honeſtis conditio-
nibus deditionem fecere.

Stadum Tillius occupat.

Ad alteram Albis partem *Glukſtadium*, &
Crempena diuiſis exercitibus premebãtur. Illud
diu eluſis Cæſarianis, & magna clade mulctatis
libertatem, & fauſti nominis auſpicium reti-
nuit. Crempenam conditionibus deditam
Comes *Torquatus*, & dux *Guadagnolus* in fi-
dem accipiunt.

Vvallenſteinius, quem iam ante Fridlandiæ CXXIV
ducem Cęſar dixerat, Megapolitano etiam du-
catu auctus, atq; Sagani Principatu, inter Ro-
mani Imperij Principes dictus (hæc omnia gra-
tus cõtulerat Cæſar, vt sũptus rependeret ingẽ-
tes, quos de ſuo ære *Vvallenſteinius* in bello, fe-
cerat Megapolitanis motibus implicatus, quòd
Ordines in *Fridlandi* verba iuramentum dice-
re recuſarent, credentes Ducum ſuorum cul-
pam, ſi audirentur, poſſe apud Cæſarem faci-
le dilui; ſed cum hæc fuiſſent fruſtra, expiran-
te Aprili, ſeſe clientelari iureiurando *Fridlan-*
do obſtrinxerunt) Hiſce compoſitis, vigilabat
quomodò in Daniam perumperet; deerant ad
id naues neceſſariæ. Hanſeatici nauigia ali-
quot comodare à Cæſare rogati, negarunt, Fæ-
dere inito cum vicinis regibus Religionis obten-
tu, & libertatis aſſerendæ. Ea ſpe fruſtrati
Cæſarei occupare vrbes aliquot maritimas,
atq; ibi fabricare naues inſtituunt. Roſto-
chium, & Viſmaria *Vvallenſteinij* facilè in
poteſtatem venere. Stralſunda tenui freto
ab Inſula Rugia abiuncta obſidionem ma-
gna virtute ſuſtinuit, Et cum tantis viribus
impar eſſet, vicinorum Regum Daniæ, & Sue-
ciæ auxilia reſpexit. Militem miſit vterque &
commeatum, libero adhuc mari, quod Cæſa-
riani nauium defectu occludere non poterant.
Terra tamen cum ſummis viribus res agere- CXXVI
tur, dux Pomeraniæ *Boguslaus* vnà cum lega-
tis Brandeburgicis rem ita cum *Vvallenſteinio*
componunt. *Externorum Regum dimiſſo præ-*
ſidio,

Vvallenſteinius dux creatur.

Sal. An. 1626. *fiato, Stralesunda præsidio Pomeraniæ ducis firmaretur, Cæsari fidem & obedientiam, promitteret. Nihil hostile in Copias Cæsaris Insulam Rugiam obsidentes designaret, nullas munitiones nouas machinaretur.* His pactis *Vuallensteinius* Gustrouiam discessit. Eo absente, noua Suecus immisit Stralesundanis auxilia, quibus obsirmati negarunt Pomeraniæ ducis stare præsidio. Hinc Cæsarei viribus imminuti, obsidionem soluerunt. Non multo tamen post *Vuallensteinius* repetijt sed irrito Marte, quod aperto Mari recentia semper *Gustauus* Rex Sueciæ immitteret auxilia.

cxxvii Regis Dani conatus. Premebatur interim duobus exercitibus Danus *Tillij* & *Vuallensteinij*; sed cum mari præualeret, Femeram insulam improuisus inuadens, cum occupasset; Kylam oppidum conuerso aggreditur cursu. Ibi primo impetu exclusus, Vsedomiam adoritur, Cæsarianis cæsis, qui resistere audent; mox Vvolgastum vrbem modico freto ab Vsedomia occupat abiunctam, vnde in Pomeraniam bellum transferret. Accurrit *Vuallensteinius*. Ad Vvolgastum collatis signis dimicatum per horas septem donec pulsi è suis propugnaculis Dani, sexcentis vnà cum vexillis aliquot amissis, recepere se in Vrbem, quam & ipsam, suburbijs igne corruptis, deseruere, vnà cum arce, adusto Augusto, dedendam Cæsarianis, è quibus etiam non pauci in eo conflictu ceciderunt. Cum in naues se recepisset Rex, Insulæ recuperantur. Extremus fuit is in hoc

Rex Dania victus.

cxxviii bello Regis conatus: qui dein Coppenhagam reuersus serio de pace cogitauit. Satis iam inimicam expertus fortunam, & peiorem ita Celo minante suspectans; cum haud multo ante Coppenhagæ in Regium sacellum fulmen incidens omnia Regum præteritorum insignia deiecisset. Conuenere itaq; Lubecum pacis sequestres. Regij legati Cæsarei, & Principum Imperij, Liberæ etiam ciuitates à *Vuallensteinio* postularūt, vt sibi suos procuratores mittere liceret, sed ab eo prohibiti sunt; sicuti etiam Sueciæ Regis legatus. Post longas disputationes, VIII. Id. Iunij pax publicatur, cuius capita.

omine persuasus ad pacem inclinat.

I. *Cæsarea Maiestas syncerum, veramq;* pacem cum Dano Rege, & *successoribus pangit.*

II. *Hostilia omnia hactenus ab vtrisq; inuicem facta penitus ab animis expungantur; eorumq; in æternum recordatio deleatur: immo inter Imperatorem, & Regem, & vtriusque posteros subditos vectigales benificiarios, vera, perpetua constans, apertaque amicitia Germanorum ingeniorum more seruetur.*

III. *Rex Imperij rebus prorsus abstineat: nisi quantum ipsius veluti eius Principis ob Holsatiæ ditionem, interierit: obligetque pro se, filijs fidem suam se nunquam ecclesiastica bona, ac ditiones aditurum.*

IV. *Belli impensæ ab ambabus partibus sileantur, ditionesque Regi restituantur, quas illi Cæsarei ademerunt; deducantur citra alteutius incomodum à locis occupatis præsidia; qua nulla interposita mora, ex Regis prouinciarum confinijs excedant.*

V. *Acta de fisco addicendis, publicandisque prouinciatium Holsatiæ bonis incepta, incipiendaque penitus aboleantur: nec aliqua in religionis rebus, nec personis vlli afferatur molestia.*

VI. *Captiui inuicem dimittantur sine pretio.*

VII. *Hac pacis fœdere in Cæsaris parte Hispaniarum Rex, Serenissima Infanta, cum omni Austriaca domo, Electoribus, Principibus, alijsque Sacri Romani Imperij ordinibus includantur; & pro Rege Daniæ possint Galliæ, Angliæ, Sueciaque Reges, & Batauí, si voluerint, comprehendi.*

VIII. *Rex insulam Femerenum, & Stradtum Duci Holsatiæ restituat: cum omnibus iuribus, prærogatiuis, & muralibus tormentis, quæ in ipsis repererit, absque vlla incolarum compensatione: neq; alicui Sacri Romani Imperij Principi ob præterita bella Rex molestus sit.*

Pacem hanc Dano vtilem, & Cæsari vbiq; victori forsam minus decoram suasit, vel potius extorsit Bellum Mantuanum, quod meditabantur Hispani magno Italiæ discrimine. Cum Veneti, & Galli Rupella domita; hinc Sabaudus, Hispanus, Cæsar prò Mantuana ditione arma pararent.

Interim Imperator diù Catholicorum querimonijs fatigatus, pronaq; in religionem Romanam voluntate, decreuit, vt Archiep. Episcop. Prælaturæ, Collegia, cæteraq; eius generis bona Ecclesiastica contra transactionem Passauiensem Catholicis adempta, antiquis possessoribus extemplò redderentur. Pax denique Religionis præter Catholicos, & primeuæ Augustanæ Confessionis cultores neminem alium complectatur, cuiuscumq; is etiam Religionis aut sectæ fuerit. cxxix

Decretum hoc priusquam promulgaretur, cum Imperij principibus comunicatum fuit:

pro-

Sal. An. 1628 propterea in annum sequentem dilata est promulgatio. Promulgationem si non generalis, specialis tamen præcessit executio: nam Archiep. Magdeburgensis cum restituendus esset, iam *Vvallensteinij* armis tenebatur præter vrbem. Eius Administrator *Christianus Gulielmus ex Marchionibus Brandeburgicis*, tum vi *Vide effigiem nu. 332.* pacificationis Religiosæ inidoneus, tum quod in bello Danico contra Cesarem arma tulisset, *cxxx* proscriptus, adeoque hostis imperij erat. Canonici porrò veriti, ne eis à Cæsare Catholicus daretur Episcopus, festina postulatione *Augustum* Saxoniæ Electoris Filium ad dignitatem nominant. Cæsar verò Canonicis Electionem prohibet. veluti crimine læsæ Maiestatis pollutis. Scribit eodem tempore Saxoniæ Electori, ne in filij postulatione consentiat. Narrat sumptus in recuperanda prouincia profusos: vi insuper transactionis Passauiensis Catholicis reddendum esse Episcopatum. Vnde ob diuersitatem Regligionis, Filium eius esse incapacem: vti Capitulares inidoneos ob nuperam in Danico bello rebellionem. Dum hęc Cæsar meditaretur, Canonici electione præcipiti omnia perfecerunt, eligentes Saxonem, eoq; acceptante, priusquam Cæsaris literæ ad eos peruenirent. Hinc respondit vterq; non esse pœnitentiæ locum. Cæsar neutro responso contentus, *Leopoldo Vvilhelmo* filio suo Archiepiscopatum à Summo Pontifice impetrauit; Prouinciæ dato Gubernatore *Vvolffgango* comite *Mansfeldio*; missis etiam, qui in vitam, & gesta Canonicorum inquirerent. Canonici vt iram Cæsaris declinarent, duos ex suis Viennam ablegarunt, vt abundè de electionis iure satisfacerent, quia amicum Cæsari Principem postulassent. Cæsar per Cancellarium respondit, *quoniam in dicta postulatione non solùm contra leges Imperij, & Canonum grauiter errauerint; sed etiam inter se, atq; Electorem*



Saxoniæ amicissimum ibi, Principem semina discordiarum fecerint viderent ipsi, quomodò rem cum Saxone componerent. Se Archiepiscopatum non cessurum.

Hæc

Sal. An. 1629 Hæc femina oppidò fuere discordiæ cum Saxone; mussitantibus Protestantibus non Zelo Religionis, sed lucri cupiditate vrgeri restitutionem, vt Episcopatus opulentiores cederent filijs Cæsaris; reliqua bona Iesuitis, qui omnia poterant in aula, & auctores dicebantur decreti. Propterea coniurata valida agrestium manus Cæsarem cum principibus aulæ venationi intentum intercipere, aut neci tradere cogitauerat. Diuino tamen Numine coniuratione detecta, atque in tempore oppressa. Author ad Turcas confugit. Hæc in Germania dum in Italia.

CXXXII *Coniuratio in Cæsarem.*

BELLVM MANTVANVM Ann. 1629.

Decesserat liberis orbus *Vincentius* Dux Mantuæ, *Carolo Gonzaga Niuernensi Duce* ex asse hærede instituto: quod ex *Ludouico Gulielmi* trium vltimorum ducum minori fratre natus, omnibus ex legitima *Gonzaga* familiæ serie maribus propinquior præcelleret, iam *Gulielmi* posteritate, extincto *Vincentio*, sublata: & idem pridie, quàm è vita migraret, Mantuanis imperauit; vt *Caroli* primogenito Duci *Rethelio* pro patre absente dicerent Sacramentum: qui in futuræ spem successionis à Duce *Ferdinando* Mantuam è Gallijs fuerat euocatus: cui etiam, vt securiùs Mantuanæ ditionis hæreditas obueniret; paucis ante diebus, quàm fato cederet: voluit Princeps *Maria* Ducis *Francisci* filia Allobrogum reguli, ex matre neptis clam à summo Pontifice consanguinitatis legibus soluta, nuberet. Arcanum hoc minimè latuit Allobrogum, & Hispanos. Abhorrebant isti Gallicum Principem Mediolano incubare principatui. Oderat ille, quod *Mariæ* nuptijs cum filio suo Montemferratum antiquo iure petitum, modò assequi speraret sine querela. Allobrogum tam Gallus, quàm Hispanus prænsabant non vt iuuarent, sed iuuarentur; & semoto discrimine, Niuernensem deturbaret Hispanus, firmaret Gallus.

Res cum esset exaranda gladio; contendebat Cæsar, vt sibi veluti supremo domino Mãtua traderetur; ei restituenda, qui potiora iura tenèret. Aborrebat à bello Imperator, quamuis vbiq; præpotens, & domitis hostibus Augustus; inclinantibus tamen Hispanis, ob valida militum, pecuniæq; auxilia ab ijs missa ad recuperanda auita regna; iussit clam arma descendere, vt repentino impetu agrum Mantuanum inuaderet. Præerat Mediolanensi ditioni *Gonzales Cordubensis*, qui Hispanam aulam veluti de Mantua domita certiorem fecerat, eo voto, vt in Mediolanensi regimine confirmaretur: eoque proniores Cæsarem vrgebant Hispani.

CXXXIII

Mantuano itaq; principatu inter se diuiso *Allobrogus & Cordubensis*, ea mente scripsère militem, quod occasio defutura non esset discordiæ, vt alter non partem sed totum vsurparet. Prima expeditio in *Casalem* fuit, sed infelix. Hinc ad Cæsarem conuersi, in Italiam vocabant. Ex aduerso *Niuernensis* ad auertendum Germanicum bellum varia promittebat, quæ tamen ab Hispanis reiecta, Cæsareum conquisitorem minimè sunt remorata, quin de nouo Duce eligendo, quòd Niuernensis inconsulto Cæsare supremo Domino Mantuam inuasisset, quæstionem faceret.

Sabaudi ambitio CXXXIV

Tot circumsessus angustijs *Carolus* Ducem *Rethelium* filium suum ad Cæsarem misit, vt sequestre Imperatrice, quæ trium vltimorum Ducum soror erat, Cæsarem placaret. Is mitius agendo decreuit; *occupata occupantium tenerentur præsidio sed nomine Cæsaris. Dux Niuernensis in Ducatus possessione persisteret: dumodò Germanis in Italiam mittendis maior Casalis arx, vnà cum ciuitate traderetur*, Verùm Dux *Carolus* vir impauidi animi, vt suo monstrat in sole per Zodiacum excurrente sub lemmate, *Nec retro gradior nec deuio*, à maiorum suorum, nempe semita, felicibus Galli Regis armorum profectibus, Hispanici Exercitus imbecillitate iam animo erectior, hac conditione impauidè repudiata; collecta valida bellatorum manu (Montemferratum populantibus Taurinis) & ipse in Mediolanensem ditionem irrupit; Hostilia hæc Cæsarem adhuc incertum animi, an cum eo tantum ex legum præscripto ageret, vel Hispanorum votis indulgens, bello peteret? demum impulere spretæ Maiestatis audacia iratum; vt protinùs iusserit sex & triginta peditum, & octo equitum millia; qui in Tribocibus, & Tirolensi comitatu statiua habebant, in Italiam descendere. Erant in exercitu Cæsaris primarij tribuni, *Collaltus, Meroditus, Aldringerus, Ossa, Gallassus*, qui diuisis inter se partibus agrum Mantuanum torrentis instar inundauere, nullo iam loco

conditio nec spernit. *numisma Caroli Niuernensis* *Germani Mantuã obsident.*

Sal. An. 1629 loco præter Mantuam qui Germanicis armis posset resistere, Hispani Duce *Spinola* Casalium arcta obsidione fatigabant; strenuè propugnante Casalis gubernatore *Torasio. Spinola* an potiturus fuisset? incertum reliquit, mense Septembri morbo extinctus in castris, Anno 1630. Quem paulò antè præcesserat *Carolus Emanuel* Dux Sabaudiæ, ex tædio bellorum; & aduersitate fortunæ, contracta
cxxx.I *Richeleus Pinarolum occupat.* ægritudine, nam belli alieni vnà cùm Venetis semel iterumq; cæsis, & cædentibus, culpam luerat amisso Pinarolo, & dein omni prouincia à Cardinali *Richeleo* Gallorum duce, occupata. Mãtua supererat, vbi quod vi & opibus non potuerunt, astu perfecerunt. Iã Belli onus soli sustinebant Veneti, ad quos miserat *Niuernius* literas, quibus in supplementum præsidij tria millia equitum petebat. His interceptis, vbi inducendi subsidij dies aduenit,
cxxxvii auctore *Matthia Gallassio* expedita quatuor peditum Cæsareorum millia vergente in occasum die, per interualla ac latebras circũducta, mox tanquàm à Venetis missa, simulata aggressione in castra Cæsarea impetum faciant; Quibus facile perruptis obscuro iam die ad portas peruenere, Ita beneficio noctis delusis oppidanis intromissi vrbem capiunt. Referunt alij, quod fatigato præsidio, solitam vrbis remissam obseruantes Germani custodiam; aliquot à Casale Maiori Insubrum
Mantua diripitur. oppido nauigia plaustris imposita, adduxerunt; atq; in lacum iniecta octoginta strenuos milites conscendere iusserunt. Hi sub quartæ vigiliæ finem: ante Auroram ad arcis portam D. Gregorij ponti obiacentem, vbi nullum discrimen ob restagnantium aquarum profundum metuentibus oppidanis, pauci ad eius custodiam milites excubabant: nauigijs appulsis, admoti astiochi violentia prostratam occupant, nullo fere militum obsistente; cum eodem tempore, ad auertendos præsidiarios aduersam vrbis partem magno ardore Germani inundarent. Nauigia illa viderant Veneti vigiles, sed à proditore iussi seruare silentium, quòd ea nocte expectarentur suppetiæ, Mantuam perdiderunt, parendo.

Audito porrò à Duce *Carolo* tonitru, quia ibi statiua haberet, ne cum ciuibus in hostem irrumperet, obstitit noua proditio. Claues abstulerat molitor portæ, qua aditus patebat ad portam arcis; insuper ne tympana pulsarent, ac frequenti pulsu classicum canerent, bacillos sustulerat, ciuis dicitur fuisse Mantuanus, conspirantibus Gentilitijs Gonzagæ familiæ, eorum Duce *Io: Francisco Marchione Gonzaga*) Sic capta Vrbe die fatali XIIX. Iulij Anno 1630. *Niuernius* Dux subito se in portum arcis cum coniuge & liberis sese festinus porripuit, ex qua paulò post cum suis Placentiam dimissus est. Miles ad prædam agendam furibũdus discurrens, tot annos à superioribus ducibus collectam omnium rerum opulentiam, supellectilem planè regiam diripuit. Militum insolentiam nec templum effugit. Virgines, pueri in captiuitate, vel potiùs in latrina maiora sustinuère ludibria quàm in lupercalibus gentium. Facinore audito, Cæsar victoriam exhorruit æqua lance detestatus effectum, & causam. *Eleonora* Imperatrix amaro planctu gemuit natale solum, & paternam domum ferro, igne reuulsam. Cæterum cum Gallorum aduentu, nouum atq; cruentum bellum instaret, intercedente Romano Pontifice induciæ compositæ sunt. Interim Ratisponæ, vbi tum erat in comitijs Cæsar, pax initur cum Gallo, Venetisq; ea conditione. *Dux Niuernensis veniam à Cæsare precatus Ducatum Mantuanum, ac Marchionatum Montisferratensem reciperet; Duci Sabaudo redderentur sua. Rex Galliæ præsidia deduceret. Nullum deinceps principem Imperij lacesseret, nec hostibus perduellibusq; domus Austriacæ auxilia præberet. Ita se vicissim erga Regem Galliæ Cæsar gereret; Claustra Alpium, ac Rhetiæ in pristinum statum restituerentur.*

(Right margin: cxxxviii — at "victoriam exhorruit"; *Mantuano indulget Cæsar.* — at "Gallorum aduentu"; cxxxix — at "cum Gallo, Venetisq;")

COMITIA RATISBONENSIA Ann. 1630.

cxl EDictum Restitutionis per omnes Imperij Circulos publicatum Protestantes omnes vehementer conturbauerat. Cum ab eo nec qui hactenus partium Cæsarearum fuerant exciperentur, Articulum transactionis Passauiensis negabant à Protestantibus fuisse adprobatum; sed Catholicorum pertinacia insertum; cui tamen non solum Anno 1555. quo fuit publicata transactio, sed successiuè in omnibus comitijs contradixerant. Tandem cum Religionis controuersia esset, ad Generalia Imperij comitia referenda esse; quòd è libertate Germanici Imperij esset, vt omnes audirentur, vbi omnium interst. Cæsar verò edictum

Sal. An. 1630. Cæsar cõfirmat restitutionẽ bonorũ catholicis factã.

edictum *de Restitutione bonorũ Ecclesiæ*, rem afferens non ampliùs controuersam, sed decisam esse nullo suo priuato iudicio, sed ex ipsis pacis Religiosæ sanctionibus, misit per omnes Circulos, qui rem ad effectum deducerent, nulla admissa exceptione; *vt bona post pacem Religiosam adempta Dominis redderentur nomine Cæsaris. De Cathedralibus, & Collegiatis, Romani Pontificis expectaretur decretum.*

Turbauit porrò decretum hoc electorem Saxoniæ, quòd eius iniuria dicerent Protestantes causam suam à Cæsare pessundari. Augebat turbas militum insolentia, quos *Vvallensteinius* in immensum auxerat. Nam etsi in Borussiam Regi Poloniæ ad distrahendos Suecos; & Hispano in Italiam & Belgium Cæsar auxilia submisisset; adhuc fere centum bellatorum millia sub signis tenebat, vel in præsidijs *Vvallensteinius*. Itaque Saxo, Brandeburgicus, & Dux Pomeraniæ *Boguslaus*, & Principes Sueuici Circuli rogabant, vt quoniam deuictis iam hostibus, nihil ampliùs timendum foret, tandem grauem Ordinibus militiam dimitteret. Cuius delicta, rapinæ, cędes non aliter tolli possent, quàm si exauctorentur. Querebantur prò solo præfectorum arbitrio hyberna diuendi: tributa describi, vt iam exhausta plebe, Proceres inopia laborent. Ciuitates Imperiales non habere vnde onera Reipublicæ sustinerent.

exit querela in Vvallsteiniũ.

Augebat querelas obsidio Magdeburgi. Hæc valida ad Albim vrbs cæterarum instar, in militiam Cæsaris ad arbitrium *Vvallensteinij* conferre cogebatur. Id cum ægrè ferrent, quidam plebei insciente, vel dissimulante Magistratu, naues aliquot frumentarias prono inde alueo ad *Vvalensteinium* deuehendas diripiunt. Inde in legionem Cæsaream stratiua in suburbijs habentem facto impetu aliquot cædunt. *Vvallensteinius* eo facinore irritatus, qui vrbi iam minùs obsequenti insidias cogitabat, auidè occasionem arripuit. Satisfactionem itaq; sibi fieri imperat; negante Magistratu, strem Legionibus cingit commeatum prohibet. Hinc Belli Magdeburgici initium. Congregatur societas Hanseatica; *Vvallensteinium* rogat, *ab vrbe amica militem reuocet*. Ille primò frumenta reddi, pecuniam soluant, præsidium recipiant ad coercendam plebis petulantiam, imponit. Negarunt vllum suæ libertati preiudicium fieri; cũq; nullam nisi in armis salutem viderent, munitionibus vrbem firmarunt. Porrò *Vvallensteinius* siuè quod expugnandæ vrbis mandatum non haberet, vel operis difficultate territus, euocatis sponte primoribus Vrbis, certam pecuniam pactus, & ad extremum hac quoque remissa, obsidionem soluit, hortatus nè à Cæsaris obsequio deficerent, ne quid aduersi ipsis accideret. Insperatam felicitatem Magdeburgenses assequuti, magno celebrarunt gaudio, ignari imminentium malorum, quæ irata pręparabant fata.

Magdeburgi obsidio.

exit comitia Ratisbonæ.

Tantis excitatus clamoribus Imperator Ratisbonam comitia indixit. Vbi adfuere Electores Catholici omnes. Saxo, & Brandeburgicus legatos misere; se excusantes, non suppetere sibi sumptus ad iter & conuentum istum pro dignitate obeundum, exhaustis latè prouincijs per continua militum statiua, quorum licentia, ac rapinæ nullis iam legibus cohiberi possent. Tum verò communibus postulatis, in *Vvallensteinium* querebatur, vt ei præfectura militaris obrogaretur. Illi enim vt supremo capiti non modò militum imputabantur delicta, sed suspicio erat quòd homo ferox & præpropera felicitate tumidus (nam Cæsar comitem, dein & Ducem Fridlandiæ, Sagani denique Meckelenburgij creauerat) res nouas moliretur. Equidem ille fortuna sua abutebatur, molestus magnatibus, principibus inuidus, quos magnifico vitæ cultu, & numeroso satellitio, regiaq; prodigalitate omnes anteibat, tanto nonnunquàm fastu, vt conquerentibus principibus, & prouincijs superbo insultaret respõso, & maiora adhuc superadderet onera, quasi per benignitatem peccasset: Hinc vulgo *dictator Imperij* vocabatur. Sic Electores etiam Catholici, alijque principes, qui partes Cæsaris sequebantur, immodicam *Fridlandi* potentiam palàm vellicabant, & ex arcano nimiis Cæsaris viribus inuidebant. Ad impellendum igitur vtrumque, non communicatis consilijs, neq; conspiratione facta; sed singuli seorsim, veluti si icto fœdere coniurassent, intolerabilem *Fridlandi* potentiam criminabantur; Maligno Protestantes suadebant consilio, *Vvallensteinio* imperium abrogari, vt Cæsarem exarmarent eodem tempore, quo Suecica arma fremebant. Erat ille tum Memmingæ, non ignarus eorum, quæ contra se agebantur; propterea ira infractoq; animo fremens exclamabat: *Cæsarem specie obsequij, boniq; Germaniæ prodi, exuiq; præsidijs, vt hostium iniurijs, ac*

querela in Vvallsteiniũ.

Vvallsteinij vitia.

Sal. An. 1626. *petitionibus pateat: illi brachium detruncari, si suis humeris paludamento detracto, formidabiles copia exauctorentur.*

Victus Cęsar presentiū dinnastarū querelis, exliii hæc *Vvallensteinio* scripsit: *Summum belli Ducem esse in militum potestate: seque in manibus Ducis: illi melius consultum fore, si se armorum abdicaret imperio, atq; in suas ditiones reciperet.* Hoc decreto perculsus, abiecto paludamento, plenis obseruantiæ, venerationisq; literis Imperatori respondit; *Ipsius Maiestatem non esse in manibus Ducis: sed in fallaciam, proditorumquè ministrorum arbitrio, qui tam difficili tempestate illi quàm maximè noxia malignè suasissét.* Ita legatos muneribus donatos dimisit, & in Bohemiā ad priuatę vitę tranquillitatē recessit.

BELLVM SVECICVM Ann. 1630.

cxliv INgentia atq; cruenta Danorum bella, quæ totam Germaniam populorum strage, prouinciarum populatione direptis vrbibus, concusserunt, pacis profligata fœdere, longam videbantur promittere quietem: vanam tamen spem fecit spreta in Septentrionali angulo relicta scintillā quæ momento horribile per totam Germania, fudit incendium. Lubecum miserat Rex Sueciæ *Gustauus* legatos, quos Cæsarei in conuentum admittere renuerunt; imò illis toto Imperio hostiliter interdixerunt, quod excelsi animi Regem maximè offendit; vindictaq; decreta, misit *Volmarium* comitem *Faremsbachium* qui ignoto habitu Hollandiam, Angliā, Galliam peruagatus, vbiq; belli semina iecit in Austrios. Venetias appulsus, triremem petijt, vt in Dalmatiam nauigaret: Inde Budam ad *Georgium Ragotsium* qui Turcarum ope Transsyluaniæ principatum occupauerat mortuo *Gabriele Bethlenio* annorum vnde quinquaginta. (Bethlenij mors.) Is vti per omnem vitam varius, atqi inconstans extitit, ita & in morte supremo voluntatis iudicio mirus fuit, Insigni legatione *Ferdinandum III.* Cæsaris filium ac Regem Hungariæ prosecutus, vt quam familiam repetito sæpiùs bello persecutus fuerat, ei moriēs benefaceret. De *Ferdinando II.* Cæsare id solitus erat dicere *difficile ac dubiæ aleæ plenum opus esse, pugnare contra Ferdinandum, quem nec aduersa deijcerent, nec extollerent prospera.*

cxlv Interim Gustauus de exauctorato *Fridlando* a Protestantibus certior factus, qui omnia comitiorum arcana ei aperiebant, cum adhuc de bello Germanico suscipiendo nutaret; coactis comitijs sine quorū cōsensu, ex antiquis Regni legibus extra regni fines Regi exire non licebat, suam intentionem exposuit. Et quia bellum nostra ætate longè omnium funestissimū agimus, bellicosi Regis lubeat altiùs exordiri principia. (Suecia situs.) Suecia à Germania longo Maris Balthici interiacentis tractu disiuncta in Aquilonem protenditur, Accolæ industria celebres, & nullis eneruati delicijs belligeri, ipsa situs, & Cœli natura ad omnem laborum patientiam durati à Cœlo sæpius vt vindices iræ Dei fuere delecti, vt per Europam populum contumacē & inobedientem ad obsequium reuocarent. (cxlvi Sueci vindices ira Dei.) Reges habuit à principio natio, inter quos *Attila* cognomento *Flagellum Dei*, quos communi suffragio proceres legere solebant. Transijt deinde in hæreditatem dignitas hæc, & nasci Reges cæpere: donec pater huius *Gustaui Carolus* Dux Sudermanniæ prò *Sigismundo* Poloniæ & Suecię Rege fratris sui filio, regnū Sueciæ gubernans vt illud in se transferretur consensu Procerum obtinuit anno huius sæculi IV. amoto *Sigismundo* legitimo, & naturali hærede, & iam ante Stocholmię in publicis regni comitijs coronato. Morte *Caroli* ad *Gustauum Adolphum* regnum & simul aduersus Polonos bellum peruenit; quod ita gessit, vt parto per patrem imperio Liuoniam ac Borrussiæ partē adiungeret. Tandem Anno 1629. inita cum Polono pace, nulla potiore causa quàm quod bello Germanico iam diù inhiaret *Gustauus*. (belli causa.) Belli causas prætexebat *literas suas ante trienium ad Principem Transsyluaniæ à Cæsareis interceptas, & reseratas, & alio quàm scripta essent sensu exposita. Polonos non modò a pacificatione Suedica abstractos, sed etiam auxilijs, commeatu, & magno legionum numero confirmatos. Deiectis in Germania hostibus suis Cæsarem, in ipsam Sueciam victricia arma ducturum, quibus, Sigismundus in regnum restitueretur paternum, Suedicis mercatoribus, iuribusq; omni negociorum vsu per Imperium interdicto, ablatis vi mercibus, & nauigijs fisco addictis. Maris Balthici imperium quod semper apud Suecos fuerit à Vvallensteinio piratica turbatum. Amicos, & Regis consanguineos oppressos, Stralesundam vrbem nulla culpa obsessam. Duces Meckelenburgicos Adolphum Fridericum, & Io: Albertum finibus suis pulsos, attributa velut in spolium prouincia Duci Fridlandiæ. Legatos suos*

iure

Sal. An. 1629 *iure natura, ac gentium Sacrosanctos nulla probabili causa a Danica pacificatione exclusos.* Exagerabat, *immensam Austriacæ domus felicitatem, qua oppressa Augustana Religio, ablata bona, spoliati Domini, vltimum immineret discrimen ni in tempore occurrerent, priusquam rapacia arma in Suecicas oras victor extenderet. Tutius in hostium, quam in paterno solo militē ali. Disceret Cæsar gloriosissimi quondam nominis populos non contemnendos: esse in filijs masculam progenitorum virtutem, qua maiores, natali solo relicto, potentibus armis euerso Romano imperio, Italia, atq; Africa bello subacta Gallia ferro, igneq; vastata, tremenda signa Hispanis populis intulerunt. Cruenta adhuc Sarmatico bello tela, qua eo superato hoste, regnum firmarunt, nouos quærere triumphos, si fata miles prosequi auderet. Superos, quorum causam tuendam armis susciperebant, non defuturos. Quod si vana essent prӕludia, & fallacia omina; patria, qua hostem minimè timet externum, redeuntibus semper patebit.*

Rege perorante, gratum omnium procerū murmur obortum, quòd vnà sentirent: *duceret, itaque quò vellet etiam in vltimas terras, sui Regis auspicia libenti, ac forti animo sequuturi.*

Venerunt tandem Gallorum, Anglorumq; litteræ, quibus excitabatur expeditionem suscipere. Vrgebant potissimùm Batavi, quorum maximè intererat Austriacos periculoso bello implicari, ne in Belgium Hispanorum auxilio venirent. Iusso igitur *Axelio Oxensterno* magno Regni Suecici cancellario alia octo peditum millia conducere; traditis vxori gubernaculis regni, constitutisq; optimè rebus, ac legibus dictis ad regionem necessarijs, Anno a Christo nato M.DC.XXX. inter lætissimos omnium Ordinum plausus, qui salutem valeq; suo Regi dicturi ad litus confluxerant; in 60. maiores bellicas naues, ducentasq; onerarias toto imposito exercitu Rex litore soluens, ad meridiem dirigit proras, velaq; pandit ad Rugiam insulam, vt repentino impetu ea potiretur.

expeditio Gustaui.

cxlvi. *Scribit ad Electores Imperij.* Scripserat priùs ad Electores Imperij, enumeratis suæ expeditionis causis, petens vt Cæsare ad honestam pacem retraherent. Adeas literas Electores diù morati, tandem se omisso Regio titulo, respondent, *quod pacis auidum se ostendat, summopere sibi probari, se vicissim eodem studio teneri, vt eadem per imperium, & vicinos illi Reges Principesq; sanctè obseruetur vnicè optare.* Rex porrò non tam literarum breuitate, quàm quod nullum pacis modum præscriberent, tum quod sibi Regium titulum nō tribuissent: maxime offensus, ad bellum descendit, vt in nouis epistolis ad Electores datis, professus est.

Interim in Comitijs Ratisbonensibus Elector Saxoniæ de irruptione Sueci Regis in Pomeraniam, quò duodecim bellatorum millia transmiserat, Cæsarem certiorem facit. Cumq; nullis iustis de causis bellum imperio mouere censeretur, arma in ipsum consensu Procerum decreta sunt. Rescripsit itaq; Saxoni Cæsar, sibi tot virium esse, quibus hosti obuiam iri possit: deliberandum tamen vt collatis iusto modo stipendijs, militi satisfiat. Ita de ordinanda militum disciplina actum; & quoniam hactenùs præfectorum auaritia Ordines nimium vexauerant; decretum, vt Cæsar reducto legionum numero, ad Circulos perscriberet, ab ijsq; pecuniam acciperet necessariam. Deinde quis exercitui præficeretur? quæsitum. Multi Electorm Bauariæ optabant expertæ felicitatis, & prudentiæ principem. Sed cum ille inuisam dignitatem non ambiret, *Ioanni Serclasio Tilio comiti* summa omnium voluntate defertur, cui ea ætate ob belli scientiam, & continentiæ laudem, nemo par erat. *Bellū decernitur in Suech.* cxlvii *Tillius decernitur Dux.*

Auditi sunt postea Angliæ Regis legati *Palatini* poscentes restitutionem. Sed cum ille Clementiæ Cæsaris minimè acquiesceret, sed in integrum vellet restitui vnà cum Electorali dignitate, euanuit postulatio.

Supererat communis Protestantium quærimonia, vt edictum restitutionis tolleretur, vel suspenderetur executio. Sed cum Cęsar responderet bonorum Ecclesiæ restitutionem rem esse decisam ex ipsis pacis Religiosę sanctionibus, à quibus ipse nollet recedere. Protestantes cum nihil apud Cæsaré efficerent, seorsim cum Electoribus egere, vt Electores nouum conuentū Francofurti ad Mœnum anno veniente promitterent. Clausit comitia *Eleonoræ* Cæsaris coniugis coronatio. Dissoluto conuentu Cæsar nauigio Viennam reuertitur, Electoribus eum honoris causa ad nauem vsq; deducentibus. *Sponsa Cęsaris coronatur.*

cxlix *Auriæ pietas.* Hisce in comitijs emicuit *Caroli Auriæ* pia liberalitas. Dominicanæ societatis templum antiquissimum cum ex parte a Catholicis, ex parte à Luteranis possideretur, egit cum Magistratu, vt possessio eius Catholicis integra restitueretur; solutis ab eo quadraginta florenorum millibus, quę tributi nomine poscebantur.

Sal. An. 1630. Gustauus Rugiam Iulinum, Vsedomiam occupat.

Sed iam ad Suecicum bellum properat calamus. Rugiam vela dederat *Gustauus*, quam iá *Alexander Leslaus* Suecici præsidij apud Stralesundam præfectus, eiectis Cæsareis occupauerat. Quod cum intellexit *Gustauus*, mutato cursu Vsedomiam peti iussit, ea non multum à Rugia distat: cui ab altero latere adhæret Iulinum, vt inter Rugiam & Iulinum media sit Vsedomia. His duabus insulis lacus prętenditur piscibus abundans, qui è trium fluminum Oderæ, Veckeræ, & Pani concursu ortus, per totidem ostia Panum, Sueuum, & Diuenoam in mare effunditur. Iulinum constrato per Diuenoam ponte aditur. Vsedomia non nisi nauibus. Ad eius igitur portum perecelebrem Rudam apud ostium Pani, Rex classem agi iussit Iunio exeunte. Exscendentem Regẽ nemo prohibuit. Copias cum exposuisset, ipse vt primùm terram attigit, ingenua prouolutus, propitia rogauit Numina. Palam deinde circumstantibus testatus, memorabili planè, & digna Rege sententia, *non armis magis, quàm precibus prò victoria pugnari, & quo plus pietatis, eò plus felicitatis in bello fore*. Succorum aduentus cum in diem incidisset sęcularem, & anniuersarium illius, quo sæculo superiore in comitijs Augustanis *Carolo V.* Cęsari Augustanę Confessionis formula oblata fuit, magna celebritate Acatholici coluere.

Suecus Pomerania potitur.

Gustauus auocato ad se *Leslao* eum ijs copijs, quæ apud Stralesundam erant, *Boguslaum* Pomeraniæ Ducem de aduentu suo, & cur Pomeraniam petat docet; securitatẽ iurans, & pręsidiũ offerẽs. Inde ad subiugandas insulas Vsedomiam, ac Iulinũ copias dimittit, quòd illi facile erat, cum Cæsariani iniecto velut panico metu, munimenta desererent; quamuis *Torquatus de Comitibus* natione Italus Regi viribus, & numero militum superior rem Cæsaris ageret in Pomerania. Senio confectus *Torquatus*, ac valetudine impeditus, Regi iuuentæ, atq; auctoritati impar erat. Contentus nouo vrbes firmare præsidio, id agebat, vt *Sedinum* vrbem metropolim Pomeranię, ac ducum sedem Dux præsidio firmari permitteret. Rex verò vt *Torquati* consilium præuerteret, impositum in parua nauigia exercitũ, Sedinum repentè adducit; & euocato ad se præfecto *Sigefrido Damitio*, mox Duce ipso, intromitti in vrbem postulat, duci & ciuibus libertate promissa, & à præsidij molestia securitate. Erant cum Duce primores omnes, quos benignè compellans, sui aduentus rationem exponit. *Prò libertate, pro Religione, & in subsidium oppressorum venisse. Proinde absq; alterno incomodo milites vel aquam pretio compararet*. Oratio hæc, vim addente Maiestate, ita procerum animos deliniuit, vt in Cæsareos odio Religionis, ac rapinarum licentia exacerbati facilè in partes Regis descenderent; & Dux iniquioribus legibus cum Rege transegit, quàm vnquàm cum hoste vel victore tulisset. Itum est ab vtroq; in fœdus antiquũ; Dux prisca dona se Regi daturum, octoq; peditum millia sui sumptibus bello durante, alere promisit: præterea Stetinum in pignus fidei cessurum: centum talerorum millia numeratorum recepit. Tam acerba ab Austriacis imperata non fuissent. Nunquàm tamen maioribus synceri amoris plausibus ciuitas vlla victorem excepit. Tum vrbs ad nutum Regis nouis operibus communiri cępta, militum quidem labore, atq; opera sed pecunia ciuium. Dux de recepto intra vrbem Rege per literas apud Cæsarem se purgauit, quòd inopinato Regis aduentu oppressus, spatium non habuisset à Cæsariano milite subsidium petendi, neque in eo sperare potuisse, qui non adhuc viso hoste, Rugiam, Vsedomiam, & Iulinum, atque omnẽ oram maritimã flagitiosa fuga prodidissent.

Pomerani fœdus cũ Sueco.

Sturgardum Suecus occupat.

Sedinum *Gustauus* cum sedem belli ad cætera obeunda destinasset, ad Sturgardum expugnandum mille & quingentos pedites misit. Hanc vrbem Inæ flumini comminentem antiquæ structuræ mœnibus septam quadringenti Cæsariani milites tuebantur, qui Sueco veniente, desperata urbis propugnatione, in arcem profugerunt. Populus rerum nouarum cupidus, patefactis repentè portis, Suecos admisit. Hi subitò actis cuniculis, arcem subruere minabantur; Cæsarei conspecto discrimine, arcem ea conditione dediderunt, vt salui cum sarcinis, & gladijs ad suos proficisci liceret. Ingens farinæ, reique tormentariæ vis, & aliquot æneа tormenta in hac arce à Suecis inuenta. Eodem modo Orderburgum expugnatum est, auctis Succorum copijs, quas *Gustauus Hornus* castrorum præfectus viginti nauibus cum aliquot bellatorum millibus à Liuonia aduxerat. Tantum terrorem Stetini expugnatio finitimis attulit, vt iam adesse Rex, quatere mœnia, diripere omnia belli turbine videretur. Plures cum Rege conuenire meditabantur, occulto odio in Austriacos, & Religionem Catholicam. Cæsarei ira perciti vastabant agros, vt Sueco latè

Succorũ terror.

va-

Sal. An. 1630. vaganti nil relinquerent præter ſolitudinem, *Volgaſtum* paulò ante à Sueco occupatum re-
Auſtriaci Volgaſtum occupant. pentino impetu captum diligenti cura munierunt, vt victori moram facerent. *Torquatus de Comitibus* dirutis locis, quæ hoſtilem ferociam minuere non poterant, annona incenſa, quam ſecum auferre non potuit, ne hoſti alimenta ſufficerent, aditus clauſit, viaſque Stetinum ferentes, obiectis aggeribus ſepſit. Quaſcumque cohortes ex vicinis Imperij prouincijs exciuit; quibus Suecum Regem iuueniliter ferocientem, ſe frænaturum ſperabat. Rex quotidiè viribus auctus, & crebris Imperialium transfugis formidandus annonam colligebat, cruento aleæ diſcrimine, quam exercitus in dies effugere non poterant. Garitzam Cæſarea exploraturus munimenta Rex ipſe prodierat, equitibus ſtipatus ſeptuaginta: de quo monitus *Torquatus* quingentos Neapolitanos equites deſtinauit; qui Regem interciperent, vel occiderent.

clxiii *Suecus vita periclitatur.*

Rex exploratis ad Garitzam munimentis, Stetinum redibat; cum ecce repentè ex inſidijs Neapolitani equites in Regem inſiliunt. Cognouit Suecus inſidias, ſed malens fortiter occumbere, quàm aliquid minus Regio faſtigio dignum ab hoſtibus pati, inuehentes Italos ſtrenuus excepit. Regis præſentia, quæ ſupra mortale, quid præfert, ardorem timidis, virtutem ingentibus animis acuebat. Pugnanti Regi equus ſuffoditur, & pedes cogitur dimicare. Extremo laborabat diſcrimine Rex; cum Lituonus chiliarchus; quem Rex non longè reditum ſuum iuſſerat præſtolari; cum nimia, diuturniorque, atque ideò ſuſpecta Regis mora ſibi videretur; emiſit equitum turmam, vt quid Regi factum eſſet inquireret. Hæc fremitu audito certaminis, verita quòd erat, Regem in ſummo vitæ diſcrimine verſari, effuſiſſimo curſu ſubſidio Regi feſtinat, qui iam irruentium hoſtium multitudinem ſuſtinere non poterat. Rex ſuorum opportuno auxilio, extremo vitæ defunctus periculo, conſcenſo equo, ſe in medium ſuorum agmen proripuit. Itali ſuperuenientium multitudine oppreſſi, captam iam feram relinquere compulſi, conſerto agmine diſceſſerunt. Sueci ſuum Regem ſeruaſſe contenti, eum gratulabundi in medium agmen Stetinum deduxerunt.

clxv Interim *Tillius* accepto mandato, copias ſuas cum agmine *Torquati* coniunxerat; quo iunctis viribus validiùs Sueco reſiſterent; Scripſerat etiam Cæſar Suecorum Regi, grauiter querens, *quòd nulla prouocatus iniuria Imperij terras hoſtiliter inuaſiſſet, in quas nihil iuris haberet: nec ipſius intereſſet Germaniæ rebus intercedere;* Hortabaturque illum amicis verbis, *vt cœpto bello abſiſteret: nec ea arma laceſſeret: quæ ſemper de rerum turbatoribus triumphaſſent.* *Cæſar Sueco ſcribit.*

Suecus reſignatis literis, reſpondit. *Se maximam Cæſari gratiam habere: quod illi ad ſe literas dare placuerit, ſe optimè ſcripta expenſurum: iiſque ſubitò daturum reſponſum, cum ex brachij vulnere conualuiſſet: quod ſibi in Liuonia Aquila unguibus inflixiſſet.* Salsè iocatus in auxilia quæ Cæſar aduersùs Suecos Polonis miſerat. *Sueci reſponſio.*

Miſerat porrò *Guſtauus* Gubernatorem Magdeburgi *Chriſtianum Gulielmum* vt ſuis ciuibus concitatis, *Tillium* vndique diſtraheret. Is vt Regis iuſſa adimpleret, comam totondit, ne cultu corporis traderetur, cum per Cæſariana caſtra tranſeundum foret. Magdeburgum ingreſſus, facile ciues Sueco conciliauit ob religionis concordiam. Subitò itaque reparatis vrbis propugnaculis, deſcripto milite, in Cæſarem arma decernunt. Inſtituunt inſuper in vrbe Magiſtratum, qui quotidiè ad conſulendum de bello coiret in curiam. Non exiguæ ex popularibus, & exteris conflatæ ſunt copiæ, quæ ad vrbem propugnandam, & hoſtem laceſcendum validæ forent.

clv *Magdeburgum ad Suecũ deficit.*

His viribus fretus adminiſtrator Halam vrbem adoritur, ciuium tacita conſpiratione euocatus. Ad hanc expeditionem tacito agmine noctu tendentem ſenſere vigiles Pemburgi: quibus ad arma clamantibus, egreſſum præſidium fruſtra tranſitum Adminiſtratori prohibere tentauit. Is ad mediam noctem Halam progreſſus; Sui aduentus nota teſſera amicos admonet. Illi expulſis è porta cuſtodibus, Adminiſtratorem in vrbem recipiunt. Præſidiarij & ciuium perfidia, & hoſtium armis vndique pulſi, in *Mauritij* arcem profugiunt; vnde muralibus tormentis in capita ciuium, tecta diruere, deſtinatis ictibus habere cæperunt. Adminiſtrator vrbe potitus, in arcem tormenta producit, arcis munimenta diuerberat. Dum ſic æquo Marte pugnatur, en tabellarius Adminiſtratorem euocans, quòd Cæſarei reditum interceperant, vt inſidijs intercluderent redeuntem. Quare ille vocatis ciuibus, ſe maioribus viribus rediturum pollicitus, Magdeburgum quatuor maioris pecoris capitum millia Cæſareis erepta abigens incolumis redijt. Hoſte profecto, præſidiarij, quibus quatuor dierum tantùm commeatus ſuper-

Halam occupat.

Sal. An. 1630 pererat, cum iam deditionem cogitarent, metu soluti, auocato vrbis Magistratu, iusserunt extemplò claues sibi reddi ciuitatis; & tercentis Liburnis equitibus per ciuitatis compita dispositis, ad obsequium ciuem coegerũt. Rẽ feliciùs egit *Nicolaus Bockius* Magdeburgensium tribunus, Mansfeldiam arcem dolo intercipit. Plaustra armatis onerauerat militibus, quibus tegendis saccos stramine plenos quasi frumentum veherent, supernè iniecerat, aurigæ ipsi mentito habitu milites erant. Ita delusis excubitoribus portas ingressus, inuadit vigiles, & accurrentibus qui non longè in insidijs stabant, arcem capiunt. Crebræ exinde velitationes inter Cæsareos, atque Magdeburgenses, meliori tamen vt plurimùm Cæsarianorum fortuna, seu quia milites numero superarent, seu quòd Administrator temerè nimis, ac præfestinanter omnia ageret, dum vniuersam prouinciam vno eodemque tempore aggrederetur, nequaquàm adhuc sufficienti militum numero ad id instructus. Ex quo factum, vt hinc inde dispersæ copiæ faciliùs dissiparentur, & vulgus, rebus ad votum non succedentibus, multum de amore in Regem remitteret: qui rebus firmandis in Pomerania intentus, nequaquàm ducebat certa deserere, vt persequeretur

civi incerta. Ne tamen bellum Magdeburgi optimè cœptum omnino relinqueret, *Theodorũ Falckenbergium* tribunum, & aulæ suæ præfectum cum plenitudine potestatis misit. Is mutato habitu Magdeburgum ingressus, animum addidit, vt meliori post hac cura in bellum incumberent. Cæsariana tamen videbatur respirare fortuna, capto *Francisco Carolo* Duce *Lauenburgio* cum copijs suis in oppido Ratzenburgi. Occupata etiam Neoaluenslebia, vnde arctior in dies res Magdeburgensibus fieri cœpit.

Fœdus Sueci cũ Gallo & Anglo. Porrò Suecus inito cum Gallorum, & Anglorum Regibus fœdere (vt eosdem hostes, amicosque haberent, ille pecuniam, is arma conferret) molem belli in Marchiam promouere cœpit, obsessa eminùs Landtsberga, quæ ad Vvarram fluuium sita, numeroso tenebatur præsidio. Inde Neobrandenburgo potitus, arces continuò minores Clempenoam, Treptoam, Loitzium, in deditionem accepit. Dõminum aggressus, triduò cœpit, oppidum cum loci natura munitum inter Tollensæam, & Trebellam paruos amnes, qui in Panum influunt: tum numero præsidij, nam inerat Dux *Sauel-*

civii *lius* cum duabus legionibus, Felicitas tamen Regis, & quòd circumiectas paludes vis frigoris constipasset, ad deditionem coegit obsessos. Vrbem eam belli sedem *Sauellius* delegerat; eoque plus commeatuum, & belli instrumenti repertum, maiore damno, & si minori infamia Colberga deditur quinque mensium obsidionem perpessa. Iamque in Pomerania præter Grypsuualdiam omnia in Regis potestate erant; Eius obsidio in adultam vsque æstatem continuata, felix tandem Sueco contigit ob cædem gubernatoris *Francisci Ludouici Perusij* Præsidiarij, quibus liberum erat. Rostochium abire, vel societate religionis, seu nouæ fortunæ illecebris pellecti, non inuiti Sueco nomen dedere. *Tillius* porrò lustrato ad Francofurtum ad Oderam exercitu, duodecim ferè millibus repertis, partem stipendij soluit, vti ad officia promptiores haberet, nam hostis felicitas non modicè perculerat. Adsumpta itaq; valida manu Neobrandenburgum quod Succi paulò ante cœperant, vi recuperat, magna parte cæsa præsidij, & capto Cniphusio, quem Rex cum duabus legionibus vrbi imposuerat. *Suecorũ felices progressus.* *clvIII Neobrãdeburgũ Tillius recuperat.*

Deserto postea Neobrandenburgo, Francofurtum regreditur. Ibi re militari quantùm licuit prouisa, ad subigendum Magdeburgum, vbi *Pappenheimium* reliquerat, contendit. Rex cognito *Tillij* discessu, Francofurtum petit, quò pridie Baro *Tiefenbachius* à Tillio submissus aduenerat. Inerat vrbi præsidium validum, nil ad defensionem deerat. Rex tamen vrbem potiundi spe ductus, erecto aggere tumultuario, in eum duodecim maiora tormenta inducit aduersus portam Gubenensem. Hac facile euerberata, per ruinas impetum facit Rex ipse admixtus pugnantibus. Ibi acre certamen cõmittitur. Sole verò cadente, dum receptui canere. Rex cogitat, *Andreas Anerius* subcenturio ex Misnia oriundus cum sclopetarijs nonnullis in vallum euadit, vbi deturbatis subito pauore Cæsarcis, Sueci Rege suadente, *Anerij* æmulantes exemplum, pugnam renouant. Fit magna vtrinque cædes; cedentibus tandem Cæsareis, & per auersam portam, & pontem Oderæ impositum in Silesiam euadunt, corrupto post se quantum licuit ponte, ne hostis insequi posset. Mille & sexcenti cecidere; Vrbs insignis opulentiæ, & prænobile ijs locis emporium militi in prædam concessa. Octingenti ex omni numero capti, inter quos *Sparrus*, *Moruallius*, & *Butlerus*. Tantæ victoriæ literas dedit Rex ad Protestantes Lipsiæ congregatos, *Suecus opugnat Francofurtum.* *conuentus Lipsiæ.*

Sal. An. 1630. tos, hortatus ad tutelam religionis, & vindictam Germanæ libertatis arma sociarent. Sic relicto Francofurto cum parte copiarum,
clix *Landsperga dedita.* Landsbergam haud procul inde distantem petit. Restitere initio Cæsarei acriter, sed *Cratzio* præfecto in eruptione interempto, mox alijs tercentis captis, simul Francofurti exemplo territi, vrbē honestis conditionibus dedidere.

clx His Suecorum progressibus non mediocriter accensi Protestantium animi, magno numero Lipsiensi adfuere conuentui ad VIII. Id. Feb. indicto. Interfuere Septemuiri Saxo, & Brandeburgicus, alijque tota è propè Germania principes, comites, primæ nobilitatis proceres, Augustalium Vrbium legati. Primus consessus IV. Id. Feb. habitus, postquàm *Matthias Hoe* concionalis præco, super illa Psalmi 28. verba *Deus, quis similis erit tibi? ne taceas, neque compescaris Deus. Quoniam ecce inimici tui sonuerunt; & qui oderunt te, extulerunt caput. Super populum tuum malignauerunt consilium; & cogitauerunt aduersus Sanctos: Dixerunt, Venite & disperdamus eos &c.* Hæc oratio cùm in Catholicos collimare, & classicum
Fœdus Lipsiense canere videretur, ab ijs dein confutata est. In eo conuentu primæ fuere Saxoniæ Septemuiro partes tanquàm Orbis Saxonici capiti. Quare ipsius auspicijs in hæc conuenere. *Tueri Augustanam Religionem, oppressos erigere, non imminuere, sed venerari Cæsaris auctoritatem, Germanæ libertati opitulari ex legum præscripto, instaurare cum Catholicis amicitiam, reddere pacem imperio, in commune consulere, pacare defensionis subsidia, retinere Ecclesiarum possessiones, edicti Cæsarei suspensionem & moderationem curare; militem Cæsareum tot annis circulo imperij incubantem remouere.* Ad id designati numero pauci, qui reliquorum nomine rem totam dirigerent. Simul statutum quantum quisque conferret. Ita ineunte Aprili, Sa-
clxi *intimatur Cæsari per Saxonē.* xo Cæsarem, & Electores Catholicos de omnibus, quæ acta erant, prolixè admonuit, contestatus ad nullius perniciem, sed suam tantùm sociorum salutem, ac pacem prouinciarum pertinere. Preces addidit quæsito verborum pondere, vt nouis discordijs obuiam iret, ac tantam auctoritatem suam esse pateretur, quantùm imperij libertas, ac publica pax permitteret. Mox per omnes Protestantium prouincias instituti delectus, ac miles scribi cœptus, maximè à Saxone, & Brandeburgico vt. pote potentioribus. Non propterea voluit cum Suecis in belli societatem transire, quamuis Suecica amicitia à pluribus ambitiosè quæsita. Terrebat enim potentia Cæsaris, & parati per imperium vigentes exercitus. Saxo ita cum legatis *Gustaui* egit, vt se amicum Regis, nec tamen hostem Cæsari profiteretur, ne sibi Regij auxilij spem, si aliquando opus foret, præcideret, & Cæsarem non offenderet, nisi vrgente necessitate. De pecunijs Regi subministrandis nihil etiam peractum; quamuis Magdeburgenses ad extremum laborantes crebris legationibus Saxonem solicitarent. Permisit tamen, vt obsessis commeatus per suas prouincias aduehèretur.

Premebat *Tillius* Magdeburgensium contumaciam; & Mense Aprili post expugnatas munitiones, quæ remorando hosti ab vrbe certis spatijs extruxerant, mœnia tormentis quatere cœpit. Sudenburgum & Neustadium duo suburbia, vt vires omnes in vrbem contraherent, incensa deseruerant oppidani. Huc statim copias miserat *Tillius*, & paulatim ad fossas vrbis peruenit, diu noctuque iaculans vrbem. Minimè tamen territi obsessi, occultè erumpentes, non leuia Cæsareis damna inferebant. *Tillius* metuens, si vltra differret, ne Suecus superueniens partam propè victoriam è manibus eriperet, statuit vniuersis copijs vrbem inuadere. Priùs tamen nuntium misit in vrbem cum literis ad *Administratorem, Magistratum, & Falckenbergium*, vt maturata deditione se excidio eriperent. Respondentibus, permitteret ad Saxonem & Hanseaticos mittere super deditione acturis, negauit *Tillius* spacium superesse. Missus itaque alter, qui & vltimus fuit cū ijsdem ferè mandatis: Sin obstinatè pergerent, testari se Deum immortalem, & omnes posteros, immunem se fore ab ijs, quæ ipsis dira euentura erant. Is nuncius in tertium vsque diem detentus est, in armis tamen milite, atque ciue excubante. Frustra itaque expectante *Tillio*, militaris conuocatur Senatus, ibique omnium votis oppugnatio decernitur eo ordine, vt *Pappenheimius* cum *Gronsfeldica, & Vvangeleriana*, ac *Sauelliea* legionibus Neostadium teneret. *Adolphus* Dux Holsatiæ opus cornutum Crockensi portæ obiacens, impeteret. *Vvolfgangus* Mansfeldiæ comes Aiedeccum, & tribus Cæsareis legionibus munimentum, quod trans pontem obsessi adhuc obtinebant, aggrederetur. Aggressio in sequentem auroram fieret. Postquam diloxit, *Tillius*

clxii *Magdeburgi excidium.*

auo-

Sal. An. 1631. auocata concione, cum omnes in proposito persisterent, signum dari iubet circa septimã matutinam horam, qua ciuium pars nocturnis vigilijs fatigata, domum ad curanda corpora concesserat. Militum plerique in stationibus quiescebant. *Administrator*, & *Falckenbergius* in senatu cum primoribus deliberabat, quo responso nuncium remitterent. Interim Vrbs clxiii inuaditur. Primus *Pappenheimius* cum suis apud Neostadium vallo potitus est. Occurrit *Falckenbergius* valida ciuium, militumque manu tanto impetu, vt ni inter promptissimos cecidisset, Cæsarei recessissent. Duces, Chiliarchi, audito *Pappenheimij* successu, ne ei soli expugnatæ vrbis gloria cederet, vnusquisque mœnium partem sibi à *Tillio* destinatam inuadũt: sed non adeo felici euentu, vt *Pappenheimij* cohortium auxilio non indiguerint: si quidem Holsatiæ Dux, qui ad Crockensem portam irruperat, tantum ibi hostium robur offendit, vt procul dubio summotus cum cæde fuisset, nisi *Pappenheimij* agmen ingressum propugnantium terga sulphureorum missiliũ grandine vulnerasset. Ex alia parte *Mansfeldius* ad Hiedechum segniter rem gerebat, & ad portam pontis eodem languore à militibus certabatur. Neque hic minus *Pappenheimij* opera militum opus fuit. Effractis tandem vndique portis, liberè irrumpente equitatu, ciues proiectis armis, milites que victi victoris veniam Magdeburgũ diripitur. implorant. Nullam tamen gratiam fecit furiosus miles; non ætati, non sexui parcitum. Virgines, Matronæ, pueri nullo innocentiæ, vel ætatis discrimine, æquè trucidati. Mixta cœdibus stupra, & rursum expleta libidine ferro sæuitum. Inter hæc, incertum quo auctore, coortum repentè incendium, duabus ante meridiẽ horis, adiuuante vento totam vrbem corripuit. Vix centum & triginta nouem ædibus flamma pepercit, quæ ad flumen sitæ ab infima plebe, tenuique populo incolebantur. Postridie cum ignis remisisset, ad scrutandas sub cineribus prædas discursum. Sed nequaquàm militari auaritiæ satisfecit fortuna. Optima quæque aut sustulerat ignis, aut corripuerat. De auctore incendij variant scriptores. Plerique *Pappenheimio* tribuunt, qui dum vallum ascenderet, conspiceretque ex aduersa domo in subeuntes suos sulphureos ignes immitti, vt illos inde expelleret, ædem incendi iusserit. Cumque nulla esset extinguendi cura, cætera correpta sunt ædificia. Sunt qui existiment ciuium desperatione ignem iniectum, vt victori prædam eriperent, nihil ambigentibus victis, ferro an flamma caderent. *Tillius* ægerrimè tulit illius pulcherrimæ ciuitatis excidium: seipsum acerbè incusans, quod ad eam seruandam idonea ducibus non dedisset mandata. Hesterno incendio Monachorum domicilia, Diuæque Mariæ templum supererat, cum milites indignati, nihil sibi de Victoriæ manubijs contigisse, rati in illo cœnobio pretiosissima quæque ciuium condita esse, ad illud vno agmine confluxerunt. Nullus fuit adeo arcanus locus, subterranea domus, quam solertissimè miles non conquisierit auarus. Ingens elata præda, spoliaque inestimabilis pretij. Hæc fuit Magdeburgensium tragedia, qua acerbiorem ætas nostra non vidit. Tunc secundo fuit ciuitas Magdeburgensis excisa; cum à Cæsare Augusto imperante, quo tempore ex piscatorio vico, mœnibus septa, ac ciuitas constituta, florens, ac opulenta stetisset incolumis: donec à Vandalis euersa, à Magno Othone restituta, nunc denuò impellente Fato, suis ita sceleribus deposcentibus fuit extincta. XI Kal. Iunij *Tillius* vrbem inijt, Tillij pietas. Cathedrale templum pueris, mulieribus, plenum reperiens, omnibus libertatem indulget, panem distribuit trium dierum inedia penè infectis. Deinde sordibus templum abstergi, lustrarique ritu Catholico iussit: & *Administratori*, qui plumbea glande debilitatus in potestatem *Pappenheimij* venerat, quàm diligentissimè curari vulnera. Funestum excidium ostenta præluderant: inter quæ militis decurionis vxor diris puerperij doloribus cruciata, cum nondum edito fœtu expirasset, aperto omen incendij. dein vtero, inuentus est infans miræ magnitudinis, ac triennem ferè puerum exæquans, caput velut casside tectus, corpus armis, pedes clxiv ocreis indutus; ex collo pendebat bulga militaris ad eum ferè modum, quo sclopetarij globulos, ac glandes recondunt, omnia ex tenuissima pelle, vt facile detrahi possent.

Porrò Suecus Magdeburgi intellecto excidio, edito in vulgus scripto, quo omnem à se moræ, ac negligentiæ culpam amolitus, non obscurè Electores Saxonem, & Brandeburgicum arguebat, qui se liberandæ vrbis cupidissimum annona, milite, etiam transitu per suas regiones prohibuissent. Brandeburgicus verò qui *Gustauo* Regi Spandauiam arcem suam concesserat, donec Magdeburgum ab obsidione leuaretur, repetebat. Rex incusata

incon-

Sal. An. 1631. inconstantia, vel timore Electoris, vel ad bellum continuandum, vel ad arces tradendum solicitabant. Processit ipse ad colloquium, & cum non proficeret, legatos misit, vt abrupta omni consultationis mora nonnisi hostibus opportuna, satisfaceret. Vbi nec sic quidem impetrari aliquid potuit, ad extremum per Comitem *Turrianum* renunciari iubet, *se arcem Spandauiam restituturum, quòd Elector ita postulat. Cæterum ne molestè ferat, si eum hostium loco habeat.* Elector accepta hac denuntiatione, *Arnhemium* Saxoniæ militiæ præfectum, ad Regem mitigandum mittit sed frustra: nam Rex castris sublatis rectà Berlinum petit Electoralem sedem, & misso tibicine, præsidium iubet admitti, simul tormenta disponens, vt impetum faceret, si abnuerent. Elector timore perculsus, Gynecceum Regi obuiam misit, Viduam præcipuè Palatini senio venerabilem, vt apud Regem intercederet. In eo colloquio Spandauia Regi concessa vsque ad finem belli; ac in reliqua ditione receptus, securitas, & quæ bello ducendo necessaria Regi promissa. Rebus ita compositis, sub vesperam in Electorali viridario conuiuio Rex interfuit; postridie Sedinum reuersus, audiuit Magni Moscorum Ducis legatum *Tedorem Adreouitium*. Magdeburgi porrò casus Regis animum valde commouit, iurans non inultum fore Magdeburgensium incendium. Interim *Baudissius* equestris militiæ legatus Spandauiæ relictus, assumpto Comite *Ortenburgico*, & tribuno *Hallio* Albim modico tunc alueo fluentem, transgressus, Cæsaream stationem apud Vverbenam hospitantem subito opprimit, Cruenta tamen victoria, quam penè demersit in Albi. Nam dum vnà cum *Ortenburgio* æstu ac siti inflammati frigidam ex Albi præproperè hauriunt, in lethalem morbum incidunt, ex quo *Ortemburgicus* fato fungitur, *Baudissius* vix reualuit. Rex verò in *Tillium* ad Albim mouens, Targermundam, Hauelbergam in transitu expugnat; inde transmisso Albi, apud Vverbenam castrametatur; valido priùs propugnaculo ad Hauelæ, atque Albis cõfluentes extructo, quod vtrique flumini dominaretur. *Tillius* qui in eo erat, vt *Landgrauium* Hassiæ ad obsequium reuocaret, a *Pappenheimio* de impressione Regis ad Albim commonitus, cum exercitu accurrit, & Nonis Augusti circum Suedica castra consedit. Præter tamen velitares pugnas nihil peractum; quod Rex sese in castris continens certamen detrectaret, vel quia speraret *Tillium* pugnæ auidum ex iniquiore loco aggressionem castrorum tentaturum insigni clade repelli posse. Callidus porro, ac veteranus Dux fraude cognita, cum & paulatim annona deficeret, vnde venerat, regreditur, vt auxiliares à Germania superiore copias ad se contraheret; nam & Regi cum subsidiarijs copijs Regina Stralesundam appulerat; quæ partim ad præsidium Pomeraniæ contra Silesiam; partim Ducibus Megapolitanis ad sua recuperanda attributę sunt. Et sanè fauit fortuna Ducibus, totam mox prouinciam præter vnum Rostochium occupantibus.

Regis cũ Brandeburgico simultas.

compositio.

clxv

clxvi Tillius Sueco pugnam offert.

clxvii Cæsar vt Suecorum fortem, atque Protestantium fœdus aliquo modo disrumperet, cum militem à Protestantibus descriptum, frustra auocasset à signis, fortius remedium adhibendum ratus, exercitui illi qui ex Italia aduentabat duce comite *Furstembergio*, mandauit vt contumaces compelleret. Ita primùm Memminga, Campodunum, tum Dux Vvirtembergensis, Vlma, demùm Sueuia omnis, & Franconia dimisso milite fœdus eiurarunt. *Tillius* etiam vt Electorem Saxoniæ caput fœderis ad renunciandum adigeret, Thuringiam premebat, dimisso in Hassiam comite *Fuggero* supremo vigilum præfecto. Mox ipse post inspecta ad Vverbenam Suecorum castra, ad Saxonem legatos mittit, denuntiaturos nomine Cæsaris, vt fœderi renuntiaret. Elector ita respondit, vt hostem minimè prouocare videretur, non tamen imperata faceret. Quare *Tillius* cum sibi *Furstenbergium* iunxisset in ditiones Electoris mouit, & occupato Mersburgo, rectà inde Lipsiam duxit. Oppidani initio incensis suburbijs videbantur defensionem parare, mox Magdeburgensium exemplo territi, post biduum vrbem, nec multo post arcem dedidere. Tum Saxo aperte Suecorum societatem iurauit, Rex apud Vvittenbergam transito Albi, mense Septembri cum Saxone & Brandeburgico iuxta Dibenam castra coniungit. Ibi de summa belli deliberatum. Rex vniuersam sui, ac Protestantium causam in vnius prælij fortunam conijcere dissuadebat. Elector Saxoniæ, cuius prouincijs omnis belli moles incumbebat, protinùs pugnam instabat, priusquàm omnes *Tillij* copiæ conuenirent. Reclamante Sueco, quod periculosum tyrones veteranis objicere, vel *Tillium* intra castra adoriri. Saxo ne si bellum longius protraheret, tene-

legatio Tillij ad Saxonẽ

Lipsiam occupat Tillius.

fœdus Sueci cũ Saxone.

castra iungunt.

Sal. An. 1631. retur fame, vel inopia cedere, respondit, se solum cum suis in hostem iturum, si alij pugnam detrectarent. Mouit itaque cum Saxone Rex Lipsiam versus, Brandeburgico ad sua abeunte. Cognito *Tillius* hostium aduentu, certus iam non pugnare, antequàm *Aldringerius* cum Italicis, & *Grousfeldius* cum ijs, quæ in Hassia erant, copijs aduenisset, haud procul ab vrbe castra muniuit, hostilem operiens aduentum. Quorum acies in hunc modum fuit. Dextram tenebat Rex, sinistram Elector. Cum Rege Ostrogothi, Smalandi, & duæ Finnorum legiones, quibus Rex maximè fidebat. Post hos Rheingrauij equites prò subsidio collocati. Hos sequebantur Liuones, & Cuslandi tum Damitij, & Sperteuterij legiones. Alterum cornu duce *Hornio* fulciebant Saxones: in subsidijs Hallij, & Coruilij legiones erant. Inter cornua media stabat acies ex omni nationum genere; pedites plerique Sueci, Germani, Scoti; Rex in prima Smalandorum acie consistere voluit, delecto sibi comite *Io: Bannerio*. Saxonicam aciem ordinauit *Arnheimius Campidux*, vt trinæ vtrinque equitum legiones peditatum omnem in medium reciperent, & Rex depictam sibi in tabellam formulam probauit: Cuius tessera, *Deus nobiscum*. In Tilliana acie dextrum cornu regebat *Furstenbergius*, sinistrum *Pappenheimius*, in medio stabat *Tillius*. Hostis cum non longè abesset; postulauit *Pappenheimius* vt ad explorandum situm cum duobus millibus mitteretur. Negauit *Tillius* id necessarium videri prælium detrectanti. Instante *Pappenheimio* quieuit, inhibuit verò ne eousque progrederetur, vnde sine pugna euadere non posset. Nam sibi decretum non pugnare, priusquàm auxilia omnia conuenirent. *Pappenheimius* siue temeritate, vel præliandi auiditate ductus, vel oculorum imbecillitate delusus, tam longiùs militem duxit, vt sine clade haud posset reuerti. Subitò itaque ad *Tillium* remittit, duo alia equitum millia in subsidium postulans. Perculsus inopinato nuncio *Tillius*, misit quos petebantur, simulque *Pappenheimio* renunciari iubet, nisi se sine mora reciperet, capite luiturum cladem. Tentauit *Pappenheimius* se subducere sed frustra, imo pereundum omnibus, ni *Tillius* accurreret. Is anceps animi, simulque metu ne illis amissis, qui erant robur exercitus, castra ipsa si oppugnarentur, defendi haud possent, inuitus ducit in aciem. Primo impetu Saxones non modicam retulere cladem, sed *Pappenheimij* militibus perculsis, qui initio infelicẽ ceperant pugnam, vincitur tandem, fugaturque *Tillius* memorabili clade. *Pappenheimij* culpam potiores in eo excusauere virtutes. Cæsa vtrimque ad nouem millia. Ex Suecis pauci. Saxonum & Cæsareorum ferè omnes. Inter hos *Otto Fridericus de Schoennenburgh*, & *Theodoricus Othonarus Ercuitius*, ille rei tormentariæ præfectus, hic excubiarum. Tum *Adolphus* Holsatiæ Dux. Ex Saxonibus *Rudolphus Binthoffius* excubijs præpositus. Suecorum *Maximilianus Teuffelius*, *Hallius*, *Callenbachius*, *Damitius*. Captę machinæ maiores viginti septem, cum curribus omnibus, & impedimentis. Præda fuit omnium ditissima, quòd *Tillianus* miles numquàm victus, opima teneret spolia. Futuræ cladis præsagia fuere cœmiterium Lipsiense in domuncula Vespillonis, quò inter ipsas ostium, & cadauerum imagines Senatum habuit militarem *Tillius* eo die, quo commissum est prœlium. Ipsa nocte, quæ castrorum Sueci, & Saxonici coniunctioni præcessit, Rex sibi per quietem visus est cum *Tillio* colluctari, eumdemque sinistrum sibi brachium leuiter admordentem, arrepto capillitio ad terram affligere. *Tillius* toto conflictu, qui quinque admodum horas tenuit, egregie ducis simul atque militis officio perfunctus, propè à captiuitate abfuit. Cum ipse à quodam centurione agnitus grauiter premeretur, nec manus tamen daret, sclopo secundum caput læsus, & latus perstrictus, occiso, qui præmebat, Centurione manu ducis *Maximiliani Lauenburgici* ereptus periculo Halam peruenit. Hinc fabulosa elucet malignitas, quam nonnemo fortissimo viro audet impingere, quasi magico charactere vulnera euitarit: certè non euitauit cruentam lateris strictúram, nec verticis vulnus. Sic rerum humana inconstantia longam victoriarum seriem interrupit, & mortalem Germanis induxit calamitatem. Parta victoria, Saxo ad sua recuperanda festinat. Rex persequendis hostibus intentus, Hallam dein Mersburgum capit. Ex itinere ad bis mille Cæsarianos, quos lentior fuga prodidit, internecioni dedit: ad ter mille captos facta vitæ venia, ad sua stipendia recepit. Lipsia Saxoni reddita, qui eò confugerant cum sarcinis dimisit. Nummum habes triumphalem Lipsiæ cusum in quo parma in qua scriptum est nomen Dei, quam manu sustinent Angeli, ciuitatem obumbrat, sub lemmate

Regia acies.

clxviii

Tilliana clades.

præsagia cladis.

clxix

clxx

Lipsiam recuperat.

Sal. An. 1631. te obumbrat. Titulus est, *Io:Georgius II. Elector Saxoniæ, bonus vigil pro honore Dei conuentum habet. Deus det nobis desideratum finem.* Ex aduerso stat *Victoria cum palma*, vel *Pax* est, sinistra palmam gerens, dextera monstrat Dei nomen, quòd ei superstat. Titulus est, *Gloria Deo, qui tantum nos diligit, vt bellum gerat, & donet pacem.* Ante cladem ad III. Non. Sextil. Francofurti conuenerant Catholici, & Protestantes de Cæsaris edicto, & Ecclesiarum spolijs acturi. Volebat Cæsar, vt controuersiæ ad normam absolutam pacis religionis finirentur. Acatholici tempus protrahebant, tandem victoriæ re-

Comitia Francofurti.

centis fiducia, irrito prorsùs conuentu discesserunt exeunte Nouembri. Interea *Vvilhelmus* Hassiæ Landgrauius non expectato conuentus exitu, domum reuersus, Frizlariam Moguntini ciuitatem, Septembri ineunte, & paulò post Fachum expugnat. *Tillius* porrò Rotenburgo & Vvinshemio præsidio firmatis, Norimbergam cum exercitu cingit, commeatum postulat, cuius periculo cognito Rex omissa Moguntia eò ducere instituit, amicæ vrbi opē laturus. *Tillius* hyeme instante Nordlingam abscessit, & copijs in superiori Palatinatu distributis, ipse cum *Fustembergio* in hiberna se-



cessit. Rex ea cura solutus ouans, Rheno traiecto XVII Decemb. frustra resistentibus Hispanis, qui in ripa fortiter dimicabant, Oppenheimium occupat, cæsis qui in præsidio erant. Moguntia honestis se conditionibus dedidit. Rex loco quo Rhenum traiecerat, columnam erigi iussit; memoriæ ad posteros monumentum. Inde quicquid in ditione Moguntina ac Palatinatu cis atque vltra Rhenum fuit, in Regis potestatem sine vllo negotio concessit. Hoc anno in honorem *Gustaui* cusum est numisma in quo Suecus spetie religionis, religionem calcat, & quasi auctore Christo, Christi gloria-

Moguntia capitur à Suecis.

tur sternere vicarium, Romanum Pontificem.

Hæc ad Rhenum, dum ad mare Balticum Rostochium, Vismaria atque adeo omnis Megapolis à Ducibus recuperatur. Saxo & ipse victoriæ intentus, per Misniam, Lusatiam in Bohemiam nullo resistente irrumpit, captoque Leutomeritio, ac nonnullis minoribus oppidis, Pragam Regni caput, ac dein Egram sine certamine intercipit. Ad Budouicium hæsit victoris impetus. Eò se *Balthasar Marradius* cum copijs aliquot relicta Praga contulit, oppidumque strenuè defendit.

VVALLENSTEINII NOVVM IMPERIVM. Ann. 1632.

clxxi Cognita Cæsar Lipsiensi clade, simulque vniuerso Protestantium secessu, tot hostibus impare *Tillio*, nouum Ducem, atque exercitum decernit. Nemo ad eam præfecturam aptior videbatur, quàm *Vvallensteinius* quamuis principibus inuisus, & nuper tanta ordi-

Sal. An. 1632. num contentione ab imperio militari remotus; Repudiabat & ipse obtentu quietis, & valetudinis, tum vergente in senium ætate. Cognoscebat inuidiam, qua apud Principes laborabat; non ita tamen vt inuidiæ succumberet, solita animi magnitudo dabat, imò altitudo cogitationum nuperæ exauctorationis labem nouo abstergere suadebat imperio. Ne in eundem tamen casum reciderct, verebatur. Propterea ad eum expugnandum *Engerbergicus* princeps intimi apud Cæsarem consilij præses, qui *Vuallensteinij* animum dominabatur, & dignitatum eius præcipuus auctor fuerat, missus est. Post varias difficultates, his tandem conditionibus præfecturam admisit, *vt bellum suo ipse gereret arbitratu, hyberna militibus distribueret, pacem & bellum ipse daret quibus, ei videretur. Factorum suorum rationem nulli redderet. Imperium ei abrogari non posset, nisi sex menses ante de ea re fuisset præmonitus. Cæsar, vel eius filius numquam castra adiret: Sed Bohemia filius contentus, in aula degeret, vsque dum ipse pacem Germaniæ restitueret. Prò laborum stipendio aliqua ille prouincia in Austriacis ditionibus donaretur; insuper & ab imperio aliud dominium acciperet ex eis, quæ ipse erepturus ab hostium manibus, additurus erat Imperio. Bona Fisco addicta, ipse vel inuito Cæsare diuidere posset Cæsar nulli pœnam, vel multam remittere posset, inuito Fridlando.* Nihil huic deerat ad summã Cæsaris dignitatem, quàm vt Imperiali frontem cydari redimeret. Indigna herclè vt Cæsar daret, ille peteret. Rarò immodicis promissis fides extat. Ea cum Principe pacisci licet, quæ ipsum dare non pudeat. Iniquissima *Ferdinandus* promisit, quamuis se non daturum cognosceret, vt hominem tumidum quacumque ratione ad accipiendum armorum adduceret imperium.

clxxII

Nouæ *Fridlandi* præfecturæ quamuis podagra teneretur. Fama vulgata, ad *Vuallensteinij* nomen, trium mensium spatio triginta millium exercitus sub signis conuenit: perinde ac si incusso telluri pede, quod ille Romanus inani iactatione se facturum promiserat, armatos exercitus fecisset erumpere: quo vere ineunte, in Bohemiam progressus, præmisso *Mathia Galasso*, quem sibi supremum legatum adsciuerat, Pragam ducit: Quam cum vicinis locis sine vllo certamine recuperat. Pænituit tunc Suecum Regem, quòd nimio persequendi *Tillij* studio intentus, vel res suas ad Rhenum

clxxIII Bohemiã recuperat.

firmandi, delectus Fridlandicos turbare neglexisset. Profligato namque *Tillio*, Francofurtum magna celeritate aduenerat, vt pacis consilia abrumperet, & nullo resistente, direpta latè Franconia, Francofurtum in deditionem acceperat: atque inde per pontem, & mediã vrbem deductus sine noxa exercitus, eodem die Hochsta Moguntinæ ditionis oppido potitur. Rhenum inde traiecit, vt anno diximus superiori. Hyeme postea seuiente, cum Francofurtum rediisset, ad eum coniunx *Eleonora* Brandeburgica, *Fridericus* comes Palatinus; multique Protestantium procerum accedunt. Quidam in Regem officio, plerique Cæsaris obsequium nil pensi habentes, illũ vt benignũ aliquod & salutare sydus respiciebant, sepolito timore externi dominatus. Venere & Catholicorum legati, vt pacis inirent cōsilia, sed frustra; Nam Suecus, ne omninò pacem auersari videretur, hæc ab ipso præscripta pacis capita typis impressa vulgauit. 1. *Imperiale tolleretur edictum; quo bona Ecclesiastica post transactionem Posonij occupata restitui iubebantur. 2. In toto imperio liber esset vi usquunque Religionis vsus: nec aliquis religionem Catholicam colere cogeretur. 3. Marcomanis, & Quadis Bohemiæ pristinus rerum st*[illegible] *us redderetur: quem ante excitatos, regnante* [illegible] *mperatore Mathia, tumultus habuissent. 4. P*[illegible] *nus in suam ditionem restitueretur. 5. Dux* [illegible] *rus Electoris dignitate se abdicaret; qua* [illegible] *m Palatinus reciperet. 6. Vrbi Augustan*[illegible] *audi esset ad pristinam Euangelicæ religio is vsum, opinionemque reuerti. 7. Patribus Iesuitis veluti pacis turbatoribus Germaniæque calamitatum causis toto Imperio interdiceretur. 8. Ad imperij salutem tam Catholicis; quàm Protestantibus cœnobia, Monasteriaque traderentur. 9. Cœnobia in Vuirtinguis occupata pristinum habitum reciperent. 10 Rex Sueciæ Romanorum Rex crearetur, vtpote de Imperio optimè meritus, quod illud ab imminentibus periculis vindicarit. 11. Impensæ in Imperialibus vrbibus factæ præcipuè in Virtinguis reformanda Religionis causa sarcirentur. 12. Omnia Canonicorum collegia æquali Catholicorum, Protestantiumque numero supplerentur,* Ex his liquidò patet, quo *Gustaui* spectarent consilia. Nam etiam priusquam litora Germaniæ appelleret, eum Protestantes Romanorum Regem destinarant.

Suecus Francofurtum occupat

legati ad Regẽ.

clxxIV

Coloniensis Elector quamuis humana atq. cœlestia arma expediret in hostem, militem

scri-

Sal. An. 1632 scribendo, oratione superos placando, verbo ciues excitando, ne libertatis specie cacodæmonis vilia se offerrent mancipia, & vt fidem dictis astrueret, quædam Regis numismata monstrauit, quibus Suecus se præsbyterorum hostem palam, ac proinde Catholicæ religionis profitebatur; impedire tamen non potuit, quin legatos ad Suecum mitterent, vt res suas cum eo componerent. Cum venissent subirato vultu auditi sunt, acribus verbis castigati, quòd in ea vrbe *Protestantes* asperiùs haberentur. Beneuolentiam; quam erga Catholicos simulabat tunc seruare non potuit. Leges itaque Coloniensibus periniquæ datæ. *Ne tributis, aut iure ciuium ij, qui Protestantium Religionis essent, prohiberentur, ijsque liberum in vrbe exercitium Religionis permitterent. Legato Regio perpetuū in vrbem locum concederent. Hostes Regis nec pecunia, nec commeatu iuuarēt. Vrbani delectus Regi traderentur. Auri summa qua Cæsari soluebatur, Regi daretur.* Credebatur Regis in arcanis esse Coloniensis expeditio, quòd vrbs nec præsidio, nec munitionibus firmata, illiciente maximè præda, quam in vrbem ex se prædiuitem exules magni nominis deposuerant. Sed fortuna, aut Diui Vrbis Tutelares imminens diuertere periculum. Treuirensis Septemuir cum credidit sub Gallorum tutela immunes suas habere ditiones, nonnisi grauissima retulit damna. Protectionis obsidem dedit Septemuir arcem suam Confluentinam, quæ Rheni frenum est, & clauis Germanici Imperij. Simul addixit in Spirensi Episcopatu suam Philippopolim: sed irrito promisso, quia illa à milite teneretur Cæsareo & Gubernator, qui necessaria ad ferendam obsidionem compararat, Gallis id nomine Electoris postulantibus, se in posterum eam munitionem prò Cæsare defensurum respondit. Tertium Protectionis pignus fuit ipsa Metropolis Treuiris, quam volente Electore, *Estræus* Gallorum præfectus XX Augusti, eiecto Hispanico præsidio, per vim occupauit.

clxxv Treuirēsis ad Gallos cōfugit.

Cæsar interim armato *Fridlandio*, legatos ad Italos misit, vt in Suecum solicitaret, qui si rerum in Germania potiretur, de Italia inuadenda credebatur cogitare. Valuit legatio ad aliquid subsidij ex errario Pontificio impetrādum. Cæteri Italiæ Principes præter Hetruriæ Magnum Ducem, & Mutinensem Regulum, quos secuta est Lucensis Respublica, qui sua Cæsari officia præstiterunt, verba dedere. Hinc Protestantes bellicos Catholicorum ridebant apparatus, quòd Suecorum copijs Reges omnes Catholicos minime pares crederēt, libellis palàm insultantes, & insulsis emblematibus. Insanæ magnitudinis tympanum in cuprea tabella incisum plures religiosorum hominum manus pulsabant: deinde aliquot Antistites inmensa pecuniam numerare in militum stipendia, ac diplomata ducibus promere videbantur, quo stolido emblemate quid annuere vellent, ipsos forsam latebat.

Cæsaris legatio ad Italos

clxxvi hæreticorū emblema.

Sub id tempus *Christianus Vuilhelmus* Marchio Brādeburgicus Administrator Magdeburgensis, captiuus Cæsaris, cum in Neostadiensi secessu, Catholicæ fidei sinceram doctrinam pia quorundam religiosorum institutione percepisset, eandem publicè professus est. Mutationem ne studio euadendæ captiuitatis fecisse videretur, æquissimo animo passus est, vt nihilominùs à Cæsare detineretur, non sine Regis *Gustaui*, & Protestantium dolore. Sed pio, ac magnanimo principi satius fuit, Deo, & Angelis quàm homini placuisse. *Fridericus* verò *Palatinus* qui Hagæ Comitis exilium hactenùs tolerauerat, à Sueciæ Rege excitùs, adulto Februario Francofurtum venit, quem Aula Regio titulo, Rege iubente, honestauit. Cæterum cur Suecus Coloniam declinaret, quo prædæ ingentis cupido alliciebat, videamus.

Gustauus Hornius occupatam Bambergam quamuis media hyeme, aduersùs *Tillium*, qui non longè hybernabat, communire instituerat; priusquàm tamen munitiones ad exitum perducerentur, *Tillius*, raptis properè copijs magna cum clade *Hornium* Bamberga expellit. Is nūcius Regem exciuit, vt in *Tillium* moueret. Prosequebantur Regem *Fridericus Palatinus*; *Bannerius*, & *Hornius*, qui se Regi in itinere iunxerant. Cum his Donauerdam mouit, cui præerat *Rudolphus Maximil.* Dux Lauenburgicus, qui cum locum conseruare difficeret, præmissis noctu impedimentis, reliquas ipse copias Danubium traduxit. Ita Rex vrbe vacua potitus, dimissis aliquot legionibus, quæ minora oppida ad Danubium interciperent, cum maiore exercitus parte in Sueuiam irrumpit, vt inde in Bauariam, quam Lycus amnis breui obiectu à Sueuia disgregat. Oritur Lycus ex Alpibus Rheticis, inde Fussenum, Scongam, Landspergam, atque Augustam præterfluens, Danubio infunditur haud procul oppido Raina. Oppidum hoc obtinebat *Tillius* destructo pon-

clxxvii Rex Tillium persequitur.

Sal. An. 1632. Suecus pugnans & Tillius.

ponte,& ripam Bauaricam,Auguſtam vſque crebris firmauerat ſtationibus, eo loci hoſtem traiectu prohibiturus. Rex inuadendæ Bauariæ cupidus,æſtimato loci ſitu, etſi difficile videret in conſpectu hoſtium copias traſponere, fortunæ fiducia, ex aduerſa Lyci ripa, caſtra ſua *Tillio* opponit. Duo ſupra ſexaginta tormenta tribus in locis diſpoſita explodi iuſſit in oppoſitam ſiluam,& ſine intermiſſione fulminare magna arborum,ac hominum ſtrage eſt qui ſcribat;nullo damno referunt alij. Adactis dicunt in flumen trabibus, pontem extruxiſſe & vt Bauaris viſum interciperet, magna excitaſſe ex viridibus arborum ramis incendia; quorum fumus in Bauarorum ora euolutus,fabrorum adimebat conſpectum. Nonis Aprilis noctem pluuijs obſcuram, & turbidam nacti, pontem conflarunt. Mane ſurgente Aurora, plures equitum traiecère turmæ, vt operas tuerentur,ac pedites; qui in aduerſum tranſgreſſi litus ad pontis caput parmulam excitabant, vt reliquis copijs tranſitum ſecurum facerent.

clxxviii *Tillius* protinùs leuis armaturæ equites in hoſtem immiſit, vt tranſitu hoſtem prohiberent,& parmulam caperent.Ducem etiam Bauarum admonuit,vt cum reliquo agmine properaret, quòd certam ſpem concepiſſet vlciſcendæ Lipſianæ cladis. Ipſe interim explicata in pugnam acie milites animabat. Ex altera parte quatuor muralia tormenta in pontem collineauit. Sed denſa caligo Suecorum conatus dedita opera occulere videbatur, vt tuti opus abſoluerent. Bauaros ter parmulam magno impetu adortos hoſtilis equitatus eo die ſeipſo maior, grandi cæde reiecit. *Maximiliano* tamen ſuperueniente Duce cum reliquis copijs, ignentibus animis Bauari redintegrant pugnam. Rex iam cum omnibus copijs ponte tranſuectus, inclinatam iam ſuorum aciem reſtituit;quibus numero,& virtute longè Bauaros ſuperantibus,pugna recruduit:*Tillius* animaduerſo periculo, cum iam loco ſui milites pellerentur, tentauit obequitans animum addere. Verùm ibi irrita ſunt Ducum hortamenta,vbi animos iam timor inuaſit. Inſtabat iam Suecus fugientibus vbique victor; *Tillius* tormentariæ pilæ ictu altero crure vulneratus, etſi diu fortiſſimè dolorem diſſimulaſſet, vehementiſſimo tamen cruciatu ſuperante virtutem,deficiens inter brachia ſuorum; in tentorium defertur. *Aldringherus* etiam vulnere in caput accepto,deſerta pugna ſeceſſit. *Maximilianus* ne ſuorum militum florem abſque Duce vagantium amitteret, receptui cecinit. Suecus ab inſequendis abſtinuit ignorantia viarum,& metu inſidiarum, quia nox incidiſſet. Cecidere ex Tillianis ſupra mille, Reliqui deſertis caſtris,Ingolſtadium receſſere. Memorant alij traieciſſe Suecum nullo facto certamine. Immanes cum ederet tormentorum grandines, monuit *Tillium Maximilianus*, Ducis potius,quàm militis partes ſuſtineret, neuè inter denſam miſſilium grandinem, ſpeculatoris fungeretur officio. Ille nihilominùs dum propiùs Lycum adequitans inſpicit, quidnam hoſtis moliretur, catapultæ ictu ſecundum genu dextrum grau iter læſus vehiculo in tentorium reducitur. *Maximilianus* verò exploratis Ducum conſilijs, an hoſtem prohibere tranſitu duxerent, cum eorum animos à prælio cerneret alienos,quòd Sueci longè ſuperiores eſſent, & *Tillij* caſus non parùm militum animos perculiſſet,noctu caſtra mouit,& ſaluus cum omnibus impedimentis Ingolſtadium peruenit, *Tillij mors.* vbi *Tillius* expirauit magno Cæſaris luctu, Bauarique Ducis,atque Catholicorum Principum,quorum cauſam multos annos felici bello geſſerat. Obijt militum pater,neque aliter illos,quàm filios appellabat.Religio in Deum, fides erga Cæſarem, fortitudo in hoſtem, conſtantia in periculis,in aduerſis patientia, perpetuum illi victoriarum obtulere curſum, qui vt eum numquàm ambitioſè extulerat;ita nec extrema deiecit aduerſitas.

Poſtridie *Guſtauus*, quàm *Maximilianus* caſtra mouerat,comperto diſceſſu, Auguſtam Vindelicorum aggreditur ab Acatholicis inuitatus, alliciente etiam loci celebritate, vndè commodè in Sueuiam arma transferre poterat. Ea ſine vllo certamine in fidem accepta, clxxix mox amotis Magiſtratu Catholicis,Proteſtantes in priſtinam libertatem repoſuit. Auguſtæ deditionem facile reliqua Sueuia, & inde ad Lycum & Danubium vrbes ſecutæ ſunt,Memminga, Campodunum Landſperga, Mundelheimium,Schongauia, Fuſſena, in verba Regis adactæ opere eorum, quos *Guſtauus* immiſerat. Ipſe Ingolſtadium adijt nec ſine diſcrimine. Ratiſponam cogitabat intercipere propenſo in ſe ciuium ſtudio, nec valido munitam præſidio. Concilium morabatur pons apud Ingolſtadium, ſub cuius mœnibus exercitus Bauari confidebat.Itaque vt pontis vſum inutilem Bauaro redderet, munitiones illi perſtru-

Auguſtā Suecus occupat.

ctas

Sal. An. 1632. ctas vano aggreditur conatu. Inde ad ripam
Danubij obequitans, vrbis situm exploraturus,
Sueci Regis periculum. globus tormento emissus equum prosternit il-
læso vectore. Alia pila *Christophoro Marchioni*
Badensi caput abstulit. *Maximilianus* verò co-
gnito Ratisbonæ periculo, immissis duobus
adhuc militum millibus, & quingentis equiti-
bus, firmiori Ratisbonam communiuit præsi-
dio. Rex suo discrimine territus, omisso Ingol-
stadio, in reliquam Bauariam irrumpens, mox
Landishutum, Mosburgum, Frisingham, Mo-
clxxx *Suecus Bauariã totã populatur.* nachium expugnat, & expoliat, opulenti præ-
da ditatus, Monachij in primis, vbi centum, &
quadraginta tormenta bellica minora inuenit,
Postea quorundam ciuium prodente perfidia,
innotuit Bauarum Ducem antequàm discede-
ret, plura muralia tormenta humi defossa ob-
ruisse, atque in illorum vno condita esse XXX
aureorum millia. Locum latentis thesauri edo-
ctus, armamentarium se velle inuisere simula-
uit; cum venisset, locum effodi iussit, & 80. ma-
iora muralia tormenta præcipue illud auro gra-
uidum eruit. Interea XII miræ magnitudinis,
qui *Apostoli* dicebantur. Rex relicto in
Sueuia Vinariensi, in superiorem Palatinatum
Norimbergam mouit. Iam *Maximilianus* &
Vvallensteinius apud Egram castra iunxerát,
& Norimbergam properabant, vt periculum
facerent, & Regem è Bauaria abstraherent.
Rex verò discrimen ratus, ante mœnia conse-
derat in speciem obsessi. Postquam verò *Ban-
nerius*, & alia ad se conuenissent auxilia, indi-
gnum ratus diutiùs obsideri, copias eduxit,
& pùgnandi potestatem hostibus fecit. Detre-
ctabat porro *Vvallensteinius*, sperans cuncta-
tionis suæ tædio Regem in loca iniquiora pro-
trahendum. Simulato itaque metu à prœlio ab-
stinuit, nisi quòd paucas aliquot leuioris arma-
turæ turmas ad velitandum emitteret, à quibus
Ioannes Bannerius, brachium sclopeto traie-
ctus, ex inproperatæ mortis habuit initium.
Rex cum elicere castris hostem non posset, in-
clxxxi *pugna Suecorũ cũ Vvallensteinio.* tra castra oppugnare decreuit. Irruit Regis de-
siderium explorantium error, qui à Cæsareis
castra deseri retulerunt, falsa castrorum specie
decepti. Milite itaque distributo, audax facinus
Suecus aggreditur, ipsius etiam Ducibus im-
probatum. Eodem tempore & superari val-
lum, & tormenta explodi à Sueco cæpere.
Maior hostium impetus fuit aduersus *Aldo-
brandini* castra, *Ferdinandi Caraffæ*, & Comi-
tis *Coloredi* iunioris. Qui improuiso impetu ex-
citati correpta tumultuaria manu strenuè se
inferentibus opponunt. Inde nouis manipulis
cõfirmati hostem extra vallum eijciunt magna
fugientium ac contra nitentium clade. Ex alte-
ra castrorum parte graue & atrox prœlium
gerebant *Vvallensteinius* & *Galassius* & *Al-
dringerius*, nec contentus *Vvallensteinius* à ca-
stris depulisse periculum, equitatum emittit,
circumgredi terga hostium iubens. Hic extra
castra magno ardore concursum: donec Sueci
Cæsareis ingruentibus ad syluam se recepere
vicinam, vbi à Rege cum aliquot Sclopetario-
rum cohortibus delitescente, restaurato breui *mutua*
prœlio, in tutum recepti sunt. Hic cecidit *Fer- clades.*
dinandus Caraffa nobilis Italus equestris legio-
nis præfectus, & supra ætatem bellicæ artis pe-
ritus. *Ioannes Baptista Chiesa* peditum tribu-
nus lethaliter vulneratus, Saltzburgi occubuit.
Cecidere vtrimque permulti, sed maior Sueco-
rum clades, ex quibus duo mille desiderantur.
Leonardum Torstensonium supremum rei tor-
mentariæ præfectum, viuum Cæsarei traxere
captiuum. Rex ipse haud periculo caruit vi
præteruolantis globi, parte ocreæ auulsa, &
dextri pedis pollice leuiter perstricto. Nox &
sylua prœlium diremit. Suecis Norimbergam
reuersis; *Vvallensteinius*, digresso ad sua Baua-
ro, in Saxoniam contendit. Sic grauida armis
Germania, vbique raptantes exercitus sustine-
bat infelix Saxones in Silesia, Cæsarei in Vort-
landia, & Misnia, in Alsatia & Sueuia Sueci, ad
Rhenum Galli Treuiri occupata populabundi
excurrebant. Rex misso *Bernardo* Duce *Vina-*
riensi versus Mænum, ipse transmisso Danubio, clxxxii
Rainam oppidum, quod Bauari receperant, *Galassi*
iterum expugnat, & Tribunum *Casparum* *effigiem*
Gulielmum Mitschewallium, quòd timore po- *habes n.*
tiùs, quàm vi hostium obrutus oppidum tradi- 189.0
disset, capite damnat. In Saxoniam interim du-
cente *Fridlandio*, euocatus Rex à Saxone in
subsidium, magnis itineribus per Franconiam
contendit. Sed iam *Gallassius* occupato Cobur-
go, mox Chemnitio, dein *Holcha* iunctus, se-
quenti *Vvallensteinio* viam in Misniam ape-
ruerat. Vbi coniunctis castris, acceptoque ad se
Pappenheimio, qui Traiecto reuersus, ex itinere
Hildesium interceperat, Lipsiam ac dein Ha-
lam Saxonum expugnat. Tum versus Lutzam,
haud Lipsia procul, Regi in occursum ducit.
Non existimans fore *Vvallensteinius*, vt Rex
prœlium iniret priusquàm Lunæburgicas &
Saxonicas copias sibi iunxisset, *Pappenheimium*
cum

Sal. An. 1632 cum suis Halam remittit, vt Maurioburgum, arcem vrbi impositam expugnaret. Porro vbi adesse Regem, occupato Namburgo, atque ibi Salam transmittere per exploratorem cognoscit, reuocato propere *Pappenheimio* apud Lutzam consistere, atque opperiri hostium aduentum constituit.

Pappenheimius, qui captam Halam diripuerat, partitusque copias in hospitia sicuti iussus fuerat à *Fridlando*, cum ei redeundi est delatum mandatum; adesse vniuersæ pugnæ cum Rege discrimen, maximè hilaris iussit illico milites ad signa vocari, qui partiendis spolijs adhuc moras trahebant; veritusque ne prælium se absente committeretur, raptim tribus equitum legionibus, & vna sclopetariorum collectis iter ingreditur, cęteros subsequi iussos.

clxxxiii Interim *Vvallensteinium* angens cura torquebat, quòd non amplius, quàm decem armatorum millibus suus constaret exercitus, duplicem fossam, quà Rex venturus necessariò erat, aciei suæ prægducit, & vtramque delectis sclopetarijs implet, qui irrumpentem eò equitatum infesta salutatione absterrerent. Lutza, ignobile oppidum decem passuum millibus Lipsia distat. Ad sinistram sylua iacet, Inter quam & vrbem medio campo prope viam, quæ Lipsiam ducit, aciem suam *Fridlandus* disposuit. Et quoniam absente *Pappenheimio* militum inopia laborabat, in sinistro latere, quod ad nemus spectat, impedimenta, & circa ipsa calones equis impositos collocauit, vt hostibus speciem equitum præberent. Tormenta maiora septem post fossas, reliqua viginti fere loco edito apud Molendinum statuit. Aciei situs talis erat, qualem optimi Ducis prouidentia eligere potuisset,

Rex porrò exercitum ita disposuit. Dextram aciem cum Finnonibus, Smalandis, ac Suecis ipse curabat. Sinistram *Bernardus Dux Vinariensis* cum Curlandis, Liuonibus, & parte Germanorum. Peditatus medium tenebat Duce *Cniphusio*. Rex victoriam ex ipso loco ominabatur, vbi fuso *Tillio* insignem victoriam de Cæsareis reportarat. Suis tesseram dederat, *Deus nobiscum*. Cæsareis *Iesus Maria*. Fridlandus, qui huius exitu pugnæ imperij salutem, suæ virtutis famam agi videbat, omnes bellicæ peritiæ conatus extendit; atque omnem ingenij vigorem collegit: quòd cum eo Rege sibi res esset, qui vno Imperiali exercitu cæso, varijsq; prælijs, contusis Austriorum viribus, nunquam pugna nisi victor excesserat. Noctem duxit insomnem, huc, illucque cursitando inuisendis cohortibus, dandis mandatis. Rex prima luce, plenus fiduciæ vt maius adderet suis cohortibus robur, iussit statas preces ex suæ superstitionis ritu ab vniuerso exercitu recitari: vt iniecta militum animis religio faceret audaciores. Ita instructa vtrinque acie, Rex medio Nouembri anceps vtrique parti, & cruentum sane, sibi fatale atque vltimum prælium aggreditur. Prima apud fossas sclopetariorum præsidio firmatas pugna acerrima fuit non ipsa modo inuadentium, sed & propugnantium clade, quorum maxima pars sicut adorientibus Suecis infesta fuerant, ita & superata iam fossa, aut obstricta, aut trucidata est sine commiseratione. Tum equites immissi, inter quos primus Rex fossam equo transiliens dum suos exemplo hortatur, & voce, brachium sclopeti ictu traijcitur, quo vulnere, emanante largiter sanguine, ita mox affectus est, vt linqui animo inciperet, rogaretque è prœlio in locum aliquem securiorem ad curam educi. Ducem se obtulit *Franciscus Albertus* Dux Saxoniæ, sed vterque in Cæsaream impacti cohortem, ibi Rex ab ignaris quem impeterent, binis ictibus percussus prosternitur. Sunt qui paulò ante prælium cum duobus stabularijs ad quingentos ferè passus ab acie sua memorant progressum, vt locum statuendis legeret tormentis, ingruente mox nebula, dum incautiùs progreditur, in turbam Croatarum incidisse, & cum se dedere nollet, ab ignauis multis vulneribus interfectum, spoliatumque. Mors Regis inter milites vulgata, nouo more, non terruit sed in vindictam incitauit. Tanto itaque impetu in Cæsareos itum est, vt frustra renitente *Fridlando*, quidam fugam spectarent, ni adueniens in tempore *Pappenheimius* prœlium restituisset, sanè longè primo attrocius; quia alteri pro recuperanda victoria, alteri vt partam retinerēt, rebus suis desperantium more pugnabant adeo obstinatis animis, vt neque certamen nocturnæ tenebræ confusa rerum spetie dirimere potuerint: ad quartam ferè noctis horam acerrimè vtrinque pugnatum est. *Pappenheimius* qui non magis in prœlium, quàm mortem ipsam festinauit, in primo aggressionis ardore, lethali vulnere secundum femur perfossus, grauitatem vulneris sentiens, sacerdotem assidere sibi comitem voluit. Discedens ingemuit, quòd imperfectam pugnam deserere co-

Margin notes: clxxxiv Succi Regis cædes. — Pappenheimij cædes.



DUX FRIDLAND ALBERTUS VALENSTEINIUS
BERNARDUS SAXO VINARII DUX
GUSTAVUS ADOLPHUS SUECORUM REX
CHRISTIANUS COM PALAT AD RHEN
GUSTAVUS HORNIUS SUECORUN GENERALIS
OCTAVIUS PICOLOMINEUS
GOTHFRID HENR COM PAPPENHEIM
LEONARDUS TORSTENSONIUS SUECORU GENERALIS
SIGISMUNDUS III REX POLONIÆ
VLADISLAUS IV REX POLONIÆ
MATTHIAS GALASSUS GENERAL S CM
AXELIUS OXENSTIERNIUS SUECORU GENERALIS

Sal. An. 1632. clxxxv cogeretur, & vicinioribus has ſupremas voces *Fridlando* referri mandauit. *Dicite Vvallenſteinio, me grauiſſimo accepto vulnere interire: hoc tamen maximo omnium ſolatio, quòd decedens Catholicam fidem, ac Cæſarem liberum ab acerbiſſimo hoſte relinquo*. Mox animam Chriſtiano ritu expiatam efflauit, copiarum ductor acer, & pugnax militaris virtutis teſtimonium ſecum ferens in facie, plurimas cicatrices. Eius morte iterum acies nutauit Cæſarea. Solus penè *Octauius Picolomineus* cum ſua legione inter medios hoſtes intrepidè vſquè ad finem prælij ſtetit amiſſis quinque equis, quibus inſederat, tum ſepties facta irruptione, ac ſex vulneribus ſaucius optimi & fortiſſimi militis ducisque nomen promeruit. Incertam victoriam *Vvallenſteinius* hoſtibus adiudicauit deſertis tormentis, loco prælij nocte ſilentio excedens in Bohemiam, ad reparandum exercitum.

clxxxvi Sueci noctem eam in campo, vbi pugnatum fuerat, tranſegere. Cecidere in acie ad nouem ferè millia cladem penè æquante fortuna. E Cæſareis Abbas Fuldenſis crucem piè in hoſtem præferens, & *Bertholdus Comes Vvallenſteinius*, aliique plurimi illuſtres præter *Pappenheimium*. Apud Suecos Regis vnius interitus cæterorum æquauit miſeriam. Annorum octo & triginta fuit, ſed vltimo vitæ biennio, quo incredibili felicitate è mari Balthico trans Rheni & Danubij limites totum penè Imperium armis perculit, tantum gloriæ ſibi acquiſiuit, vt paulò ante mortem præſagiret non fore diuturnam. Feliciſſimus cum eſſet, temeritate carere non potuit, quæ filia eſt felicitatis. nam ſtante aciecum Ducis obiret officium, totius exercitus diſcrimine, militis etiam gregarij vſurpauit. Fatale cum ei eſſet vincere, nequijt cadere ſine victoria. Incertum adhuc, an priùs vinceret, vel decederet? Nec patet, cuius manu ceciderit, quaſi nec morientem fortuna deſereret, ſed vt obitum faceret Auguſtiorem, percuſſorem celauerit, ne vilis homo gloriari poſſet occidiſſe Regem tam grandem, & militem adeo fortem, vt annuit nummus feralis, quem in honorem *Guſtaui* percuſſere Galli. In eo *elephas draconi* incubat, & caſu ſuo ſubtus oppreſſum interficit ſub lemmate *Etiam poſt funera victor*. Secunda Icon faſciã præfert intertextam coronis & inſperſam ſub inſcriptione *Plures ni fata*, Supple

Plures poteram, ni fata vetarent
Addere tam partis, capitique adſerere coronas.

Hanc e ſymbolicis ipſis notis, quas paſſim vſurpabat *Guſtauus*, petiere Galli; imò ex inſignibus gentilitijs expreſſere. Faſciam enim intertextam coronis, alludente ad inſignia ſua typo geſtabat, quo animum exprimebat Martialem, niſi Prouidentia ſuperna illius vitæ filium abrupiſſet.

Tertia Icon manum adumbrat, qua Orbis globum, cui Aquila imminet, apprehendere ſatagit ſub lemmate Virgiliano

Quippe vetor Fatis.

Hoc eſt

Hunc ego ſi totum non aufero, fata repugnant.

Petitur huius Iconis argumentum ex illo ſpectabili fatis euentu, qui pugnæ ad Lutzenum initia & præludia inſigniuit. Sueci quippe vexillum quoddam in quo Fortuna cum Romanis Aquilis expreſſa cernebatur, Cæſaris exercitui prima ſtatim congreſſione raptum, Regi ſuo repentè obtulerunt; ex quo ille auſpicatius omen conceperat, ſe tandem indicem Imperij Aquilam, & imperialem ditionem excuſſurum. Sed ille, cuius arbitrio conſilia hominum ſubſunt vniuerſa, ſummus ac ſumè potens Deus victoriarum curſum abrupit; minimè ferens vt imperium, quod *Romani* nomine inſignitur, in eas manus perueniret, quæ Romanam religionem abijcerent; aut in alterius poſſeſſionem tranſuolaret, quàm eius domus, quæ pietate creuerat, & religione hoſtes Dei, & ſuos profligauerat.

Adijciuntur *Vinnarienſis* ſymbola ab eiſdem Gallis cum Suecis confœderatis in eius honorem expreſſa. In primo *Leo* eſt, qui iaculis reluctatur, & haſtis, abyſſumque à tergo habet cum gnome iſta ex *Ouidio* mutuata

Turpe referre pedem.

Innatum dicunt Leoni, vt quia eius collum fibris, & compagibus caret, nunquàm ipſe à tergo reſpiciat. In Vinnarienſis itaque fortitudinis ſymbolum Leo ſumitur. Alterum ſymbolum *Hydra multicipite* conſtat, hiſce verbis expreſſum, *Vincere non numerare, licet*. Et annuit tot profligaſſe, quot in Gallos & Suecos inſurrexerint hoſtes. Tertium *armato* conſtat *brachio*, cum inſcriptione ex *Lucano* petita; *Omnia dat, qui iuſta negat*. Quaſi iniuria Auſtriaci Cæſares Religionis iacturam non conceſſerint, & perfidiam non laudauerint. *Omnia dat, qui iuſta negat*, retorquet domus Auſtriaca in nouatores, à quibus cum hoc vnum exegiſſent *Carolus V.* eiuſque ſucceſſores, vt primùm

Deo,

Sal. An. 1632. Deo, postea Cæsari fideles essent; omnia dederunt, idest ditionibus suis ceciderunt spoliati, quia fidem Deo peierarunt. Ad historiam regrediamur.

clxxvii Non sine periculo *Vvallensteinio*, abesse, vt annuit plūbea glandes, quę ei ocreas perforauit nō sine timore tāti Ducis indigno; quod amissis habenis, equo paruerit ferocienti: Sueci receptis tormentis, quæ Cæsarei reliquerant, cum regio cadauere, mœsto agmine, ac victis propiores Vveissenfeldam recessere, inde armis atque vindicta Regi suo, iusta soluerunt, nam *Gustauo Hornio* cessere in Alsatia Benfelda, Sclestadium, Colmaria, Hagenoa, Friburgum, *Gulielmo Baudisio* in Montensi Ducatu Lintsium, Blankemberga Vvindeca arces Bergenses, inde transmisso Rheno Andernacum; non modico etiam Coloniensibus illato damno. *Federicus Palatinus* ope Suecorum & ipse Frankentalium expugnauit, sed tristis ob cœdem *Gustaui* Regis, febri correptus, diem obijt supremum, relicta vidua *Elisabetha Caroli* Regis Angliæ sorore, & ex ea decem liberis. Princeps moderatæ indolis, sed Astrologorum fallacia, & aulicorum adulatio in discrimen vitę, atque fortunæ iuuenem impulit incautum. Ex quo se Ducem Bohemicæ rebellionis præbuit, bello victus, mox regno, atque auitis ditionibus exutus, duodecenne exilium aliena munificentia sustentauit. Mansfeldici, Danici, tandem Suecorum tumultus in spem veteris fortunæ reuocabant, donec occiso Rege, mox ipse est Regis fata sequutus. Hoc eodem Anno ferè omnes Europæi Reges funera tenuere. In Hispania moritur *Carolus* frater *Philippi* Regis. In Germania *Leopoldus* Archidux. In Polonia Rex *Sigismundus III.* & successorem habuit filium *Vladislaū IV. Mauritius* Hassiæ Landgrauius. *Franciscus Vandemontius* Dux Austrasiæ.

Hornij gesta.

Mors Friderici Palatini.

clxxviii

Vinariensis Dux Saxonū. Iustis itaque Regi celebratis, Dux Vinariensis lustrato exercitu, quatuordecim bellatorum millibus rem Sueciam adhuc stare conspiciēs, nuntium ad Saxonem misit, flagitans, vt copias suas cum Suecis pugna imminutis coniungeret; vt *Vvallensteinium* aduersa pugnæ fortuna debilitatū non sinerent vires reparare, sed iā ruinæ vicinum prorsus impellerent. Molesta fuit Saxoni legatio. Plurimum Regis mortem ingemuit; quòd Cæsaris vires non adeo accisas cognosceret, vt adhuc terribilis omnibus esse posset: etiā supra modū dolebat electio quod se

clxxix

Electore repulso, *Vinariensem* prætulissent, qui etiamsi ex eodem Saxoniæ familia, tamen ob veteres simultates, occulto odio accensus esse putandus erat. Metuebat eius virtutem; ne si ille cum Cæsare reconciliaretur, vt sibi Electoralem dignitatem quam ipsius maiores tenuerant, vindicaret. Putabat insuper extincto Rege, Suecorum copias difficile posse sustineri, vnde in se totius belli molem ruituram. Dissimulabat tamen arcana hæc, sed arma sociare recusabat, cum *Axelius Oxensternus* rerum Suecicarum secundus post Regem arbiter (qui à morte Regis indicto Stocholmiæ conuentu *Christinæ Gustaui* filiæ septenni ot- Christina Regina Suecia. dines iuramento fidelitatis addixerat, & bellum Germanicum, in quo Rex sanguinem, & vitam profuderat, omni ope continuandum decreuerat) Saxonem adiens, omnibusque verborum lenocinijs animum asperatum delinire studet, armorū potestatē, atq; arbitriū penes eū fore promittens; pro eius commodo magis, quàm pro Suecorum gloria Suecos milites pugnaturos; Saxo se *Oxensterni* rationibus acquiescere simulans, omnia promittit: re ipsa *Vinariensi* nunquàm sua arma coniunxit. Is porrò vt de Saxonis rebus se sollicitum testaretur, admoto Suecorum exercitu, Lipsiam oppugnare aggreditur. Fuerant ibi à *Fridlando* pauci pedites ad custodiam relicti; valido tamen præsidio arce firmata. Post meridiem portæ vrbis decem equites accesserunt, qui Cæsareos se esse mentiti, ob paucitatem contempti, in vrbem admissi vix intra limen illato gradu, militum imparatam stationem ferro occupāt; mox succedentibus alijs, momento vigilibus omnibus obtruncatis, in vrbem ingressi, semi horæ spatio centum Cæsareos occiderunt. Necdum noctis appetiuerant tenebræ, cum quadraginta equitum signa in vrbem venere Ducibus Luneburgi Principibus. Copiarum reliquum in suburbijs substitit. Arx supererat; cuius præsidiatij constanti fide strenuè Suecos oppugnatores repulerunt, sed amissa spe auxilij, honestis conditionibus deditionem tandem fecerunt. Simili fato Gygnea, & Chemnitzium desperato subsidio Suecis cessit.

clxxx Lipsia expugnata.

Dux interim Lotharingius occasionem belli in Suecos quærens, *Hornum* monuit, quòd cum magnum auri pondus Cæsari mutuum dedisset; eoque nomine Benfeldam, Dachstenum, Alsaticam tabernam sibi pignori datam; eaque oppida Suecicis tenerentur armis; roga- clxxxi

Sal. An. 1631. re se amicè eius regni curatores, vt suæ indemnitati cauerent. Cognouerant Sueci in speciem iusti belli, non vt suæ pecuniæ cauerent, Lotharingum pignoris titulum præferre: quare sedato animo responderunt, *Ducem amicum omnia posse à Suecicis partibus polliceri ; quoad verò nomina, nihil posse decerni , donec Sueciæ procerum haberetur conuentus*. Sic *Hornus* discessit. Lotharingus verò repentino impetu Alsaticam tabernam aggressus, capit, munit. Hoc Lotharingi Ducis facinore animati Cæsarei, Hagenoæ præsidium, cæso conquisitore *Cronchio* ludibus peremerunt.

Lotharingus mouet in Suecos.

Bauarus sua recuperat. In Bauaria *Maximilianus* cum suis à *Vvallensteinio* digressus, nihil intermisso per hyemem bello suis ditionibus Suecos eijcit. Inde in Sueuiam progressus Memmingam deditione, vi Campodunum capit vetus Almangauiæ oppidum, & principali Abbatia celebre. Inerant ducenti præsidiarij ; ciues Sueci nominis studiosores quàm milites. Nam viris, militibusque fœminæ immixtæ feruidam aquam, saxa, trabes, quæque alia furor ministrabat, in oppugnantes deuoluebant. Hæc pertinacia festinauit vrbis exitium. Nam Cæsarei virtute, & numero potiores, via vi facta, irrumpunt in oppidum, armatosque & inermes, viros ac fœminas iuxta sternunt. Ita omnibus penè ad internecionem deletis, quicquid reliquum fuit militi in prædam cessit. Iamque recuperata Hicha, Landsperga, Raina, alijsque circa Augustam locis, paulatim Augustæ imminebat, fuso ad Danubium *Gustauo Hornio*, qui ex Alsatia victrices copias laboranti Sueuiæ subsidio ducebat.

Exercitum Hornium vincit.

An. Sal. 1633. *Vvallensteinius*, cui Cæsar non minùs belli, quàm pacis summa cum potestate arcana cōmiserat, tota penè egit æstate, vt Saxonem reconciliaret, sed euerso tractatu, adulto tandem Autumno, præmisso *Holca*, & *Gallassio* irruptionem in Saxoniam simulat ; sed mox conuerso itinere, cum iam *Arnheimius* potiorem Saxonici exercitus partem è Silesia in Saxoniā duxisset, relicto apud Stenauium Comite *Turriano*, *Fubaldoque*, eos ex improuiso adoritur, & repente ab omni parte circumuentos ad deditionem coegit. Ea victoria omnem Silesiam *Vvallensteinio* aperuit Gorlicium, & Golberga vi expugnata: Lignitium, Glogouiā, Landspergā, Francofurtum, aliaque ad Oderam loca deditione capit. Iamque Pomeraniæ, & Megapoli imminebat; cum Suecorum irruptionibus ad Danubium & Ratisponæ propugnatione maximè perturbatur, quasi animo diuinaret, hoc illatum Bauaro Duci incomodum suorum fore malorum initium. Substitit itaque cogitabundus; postea in Bauarum inuectus; auarum suis perditè incubantem thesauris ad custodiendas magis auro plenas arcas, quàm ad tuendas vrbes natum acerbissimè vellicauit. Vetebatur ne *Vinnariensis* Bohemiæ, atque Austriæ signa inferret & in viscera Imperij arma victricia. Quare vlteriùs ab Baltici maris litora prouehi periculosum ratus; quòd Cæsaris prouinciæ, Imperij præcordia auxilijs nudata, hostium obijcerentur arbitrio, ad illas tuendas flectendum ducens exercitum, iussit militem sub signo migrare. Bauarus qui *Fridlandi* auxilia sibi adfutura sperauerat, quòd à Pomerania cum exercitu regressum, propè Vindeliciam accessisse accepisset; obstupuit, quando illum retro in Bohemiam cognouit conuerso agmine processisse. Quare misso tabellario, suppliciter orauit, vt ad eijciendos à fœderata prouincia Suecos exercitum duceret. *Fridlandus* verò respondit, *se pluribus in locis esse non posse; Cæsaris patrimonium magis vrgere, quàm Ratisponæ expugnationem quæ sola ignauia fuerat amissa. Non esse vrbes sine validis præsidijs deserendas; vt ad eas postea recuperandas exercitus è medio rerum gerendarum, victoriarumq; cursu euocentur.* Alia in speciem excusationis addidit, Suecos-Saxones iunctis copijs in Bohemiam monere, rusticorum motibus excitatos. Hinc proculdubio contempta ad Suecorum arbitrium Vindelicia, illi maturauit exitium.

Silesiam recuperat Fridlandus.

In Germania superiori mutuis cladibus fortuna ludebat. *Vinnariensi* Bauariam populante, *Maximilianus* Sueuia relicta ad sua defendenda redierat. *Hornius* ab *Aldringerio* trans Danubium reiectus maioribus auctus copijs Constantiam ad lacum Bodamicum obsidebat, sed frustra. *Rheingrauius* per Alsatiam victor cæso *Monteccucullo* Brisacensis præsidij præfecto, vrbem obsidebat. Hoc periculo excitus Dux Feriæ Mediolanensis præfectus cum Hispanicis copijs, ex Italia per Alpes Helueticas, *Aldringero* iungitur, & duas vrbes penè ad vltimum discrimen adductas in tempore liberauit; fudissetque hostem haud dubiè, si *Aldringerium* in certæ victoriæ societatem pertrahere potuisset. Sed illum nunquàm aliàs pauidum prohibitio *Vvallensteinij* deterrebat, mortem interminantis, si iniussu suo in hostem pugnasset.

Exercitus

Sal. An. 1633. fet. Ita *Ferianus* solus tot hostibus impar exercitum suum in hyberna per Bauariam disposuit, neque multò post, anno exeunte mœrore confectus rerum non benè administratarum obijt. Interim *Christianus comes Palatinus* (*huius effigiem supra habes p.* 201.) Heidelbergam
cxciv recuperat; *Smidbergicus* Suecus tribunus continuata in hyemem obsidione Philippiburgum castellum munitissimum, fame & aliorum necessariorum penuria ad deditionem compellit, anni in sequentis initio, quod deinde Sueci Gallis vendidere. *Vinnariensis* relicto in Alsatia *Hornio* contra *Ferianum*, & *Aldringerium*, raptim Donauerdam ducit, sibique iunctis copijs, quas *Kagius* ex Vuestphalia adduxerat, Neoburgum dein Aichstadium occupat. Nec diù moratus, traiecto Danubio simulans Ingolstadium petiturus, repentè id prætergressus Kelhemium vi, Neostadium deditione expu-
Ratispona capta. gnat. Inde Ratispona post paucorum dierum oppugnationem, auxilio destituta potitur. Ratisponam plurima oppida secuta sunt trãs Danubium in superiore Palatinatu: nam Bauaricum latus *Ioannes à Vuerda* (*vide effigiem supra p.* 201.) ex ignobili & gregario milite, sed bellicis facinoribus clarus tuebatur, quamuis paucorum equitum præsidio præesset. Exultantem victoria hostem intra Isaræ fluminis ripam multiplici clade castigatum coercuit.

Cæsarei cæsi. Hæc in Bauaria; dum ad Visurgim noua fortuna Suecis arrisit, Hameliam obsidebat Dux *Georgius Luneburgicus* cum Suecorum auxilijs ductore *Dodone Cniphusio*. Ei liberandæ Elector Coloniensis, Moguntinus, cæterique exules Coloniæ Principes copias non contemnendas instruxerant Duce Comite *Merodio*. His *Bunninghausius*, *Gronsfeldiusque* milites suos iunxerant contractis omnibus militibus, quos ex vicinis potuere præsidijs. Sic instructi in hostem pergunt, sed aduerso Marte, memorabili clade apud pagum Allendorpium, haud procul Hammelia profligantur; & cum *Merodio* quinque millium desiderantur. Ex hostibus non vltra ducentos. Capta tormenta maiora quindecim, signa militaria septuaginta, æris castrensis, cæterique bellici apparatus magna vis. Hamelia & Osnaburga fuere prœmium victoriæ.

Ludouicus Gallorum Rex, qui in Cæsarem cxcv *Gallus mouet in Lotharingum.*
cum Suecis conspirabat, vt Ducem Lotharingiæ à Cæsareis partibus abstraheret, Lotharingiam inuadit; fratrem suum Ducem Aurelianensem, quòd se inscio *Mariam* sororem Lotharingi in vxorem duxisset, iubet à summo Parisiensi Senatu inualidè contraxisse pronuntiari ex lege Regni, qua Regij Principes prohibentur nuptias inire sine summi Senatus assensu, eiusque liberos à regni successione excludi. Calamo itaque ac ferro rem gerens, plurima Lotharingi oppida cæpit, inter quæ Nanceium deditione accipit.

CONSPIRATIO VVALLENSTEINII. Ann. 1634.

cxcvi QVadraginta bellatorum millium exercitus mole fortis *Fridlandius*, cum toti Germaniæ formidandus, vna pugnantis Germaniæ calamitatibus crederetur finem impositurus, missis aliò agminibus, & inutiles moras trahendo, non solum tam validi exercitus terror euanuit; sed etiam Sueci posito metu in ipsius *Vuallensteiny* oculis vrbes, oppida occuparunt; non sine labe perfidiæ ipsius *Fridlandi*, quòd deserto BauaroDuce, ac *Feriano* in Bohemiam longiùs ab hoste arma conuertit. Hoc fuit maximum omnium discrimen, quod ad eum vsque diem Cæsarem fatigauit, non sine forsam Cæsaris culpa, qui cum *Fridlando* partitus videbatur imperium. Na-
cxcvii *natalia Fridlãdi.* scitur *Fridlandus* in Bohemia loco nobili. Literis cum in Italia operam dedisset, natura inquietus & vagus, anhelabat ad arma. Illectus libidine gloriæ, sine hac (dicere solebat ad suos) nil egregium debere expectari, supra sortem cogitabat. Animi Celsitudini luxum corporis addidit, regio penè vitæ cultu vsus, quòd illi inuidiam concitabat. Primas nuptias celebrauit cum illustri, ac prædiuite Hungarica vidua; qua mortua, duxit filiam Comitis *Harrachij* in aula Cæsaris præpotentis. Huius auspicijs beneuolentiam Cæsaris ita captauit, vt Comes primùm, deinde Dux ac Princeps Imperij, denique bis summus exercitus Imperatorij præfectus, vel dictator renunciaretur; eo gloriosior, quòd sola virtus ei gradum fecerit. Inter ambitionis, crudelitatis, violentiæ quibus etiam pressit amicos, videre erat prudentiam, militarem disciplinam, mirum ingenium, quo fortunam ipsam dominaretur præuidendo, & prouidendo futura. Iræ, iniuriarumque impatientissimus fuit; vt plurimi asserant, à die primæ exauctorationis, vltionem animo meditatum, qua Cæsarem,

Sal. An. 1633 farem, imperiumque pessundaret. Varia retulere scriptores. Alij cæsum quia proditorem exhibent; alij priùs insidijs petitum, quàm proditorem; & ad euitandas machinationes cum hostibus conspirasse. Certum est quòd Ducum, & Legionum animos tentauit, cum Suecis consilia miscuit. Est qui scribat, regnandi cupiditatem in eo coniectoris Astronomi deliramenta accendisse, qui coronam, sceptrum, regnum *Fridlando* somniabat. Ad regnum Bohemiæ dicitur adspirasse. Iusserat Cæsar vt hyberna extra Bohemiam & hæreditarias prouincias sumeret; partem exercitus Passauium aduersus *Vinnariensem* & sex equitum millia *Ferdinando* Cardinali Hispaniæ Principi, Mediolano in Belgium deducendo obuiam mitterentur. Nihil horum impetrari à *Vvallensteinio* potuit.

cxcviii Fridlandi superbo ingenio insitum erat Hispanam auersari gentem; nec munera vel ab ipso Rege missa, aut delatos honores magni facere. Cum illi sorderent Hispana munera, Aurei velleris insigne quod aureo funiculo collo pendens gestabat, semper subductis mensis, à prandio, à cœna, aut cum magna negotia animo meditaretur; circumplicare indici, explicateq. consueuerat; aliquando ad præsentes conuersus, illam auream bullam manu tenens, *quid mihi* (inquit) *hoc ariete, opus est, qui etiã in gregariorum nobilium virorum pratis oberrat.* Iterum cum aliquot generosissimis, pulcherrimisque equis ab eodem Hispano Rege per suos ministros donaretur, protinùs coram legato suis aulicis donauit. Interdum etiam in publica mensa amarè subridens, a suo chiliarcho paulò antè ex Hispania regresso percunctabatur, *Bellè nè cum Rege agitur? vt diem cum suis amoribus fallat? Dum nos hic tecti ferro, pro imperio pugnamus?*

Fridlandi odium in Hispanos.

Cum itaque mense Februario rumor recurreret, in aula Cæsaris id agi, vt se iterum exauctorato, Rex Hungariæ *Ferdinandus* exercitibus præficeretur, præcipuos ad se Pilsam tribunos euocat, veluti supremam præfecturam

cxcix depositurus militiæ, quæ ita alloquitur. *En commilitones præmium, quod mihi pro gestis Austriacæ domus per annos triginta, domi bellique, toties fuso hoste, tot partis victorijs egregiè factis, mihi refertur, vt rursum deponar cum ignominia. Omnia præuidi, cum ante biennium ad hanc prouinciam reuocarer; propterea iure non aliter, quàm cum summa potestate imperium acceptare volui. Dedit hoc Cæsar vt me falleret, nunc Rege Suecia in acie cæso, fracto debilitatoque Saxone, postquàm respirare cœpit domus Austriaca, præualent malignantium voces, mihi restituti imperij, & conficiendæ pacis gloriam inuidentiũ. Petunt à me, quæ concedere nec debeo, nec possum, vt materiam criminationi suppeditent. Quale enim arcanum inuoluit, media hyeme exercitum hybernis prohibere? Cur florem equitatus à reliquo auellere corpore, vt inopia, frigore, ac longinquo conficiatur itinere. Dolet opido mea ignominia, sed magis dolet vestra miseria, vt postquam ære deficiente vos pollicitationibus alui, nunc pecunia vacuos dimittam. Vobis pugnantibus adfui spectator, & testis, sed vt præmia rependam, prohibeor. Quid agendum pro mea, & vestra causa consulite. Aulicorum namque perfidia, Hispanorum fallacia gemit, nec quiescet donec me extracto, possit libere, & sine timore pretium sanguinis militaris in priuatam vertere vtilitatem, & munera habere venalia.* Post hæc digresso Duce, *Adamus Erdtmannus Terscha*, & *Illous* omnium arcanorum *Fritlandi* participes, exaggerato proprio cuiusque damno, iniqua concludunt videri decreta Cæsaris, ac proinde rogandum. Ducem, ne fidos promptosque milites deserat. Negauit Fritlandus *Decorum nomini suo in eo munere persistere, à quo in horas cum dedecore deijci, metuere debeat.* Non latuit callidiores, quò ea tergiuersatio pertineret. Nec ipse *Fritlandus* dissimulabat. Fit igitur decretum: *Duci Fridlandiæ apud exercitum remanenti communi ope, viribusque assistere; neque permittere, vt illi inuito abrogetur imperium.* Videbant plurimi quantum à Republica petebatur; cc tamen eadem die ab *Illoo* conuiuio excepti, & antequam vino maderent, decreti formula iam à *Nyemanno* scriptis concepta offertur subscribenda. In hac conditio erat *ista promitti, quamdiu Cæsari obediret Fridlandus.* Dum postea mensa protraheretur, eademque formula iterum prælegeretur, in qua nomen Cæsaris omissum, & *Vvallensteinio* soli fides, & obsequium exigebatur, fuere qui formulam eam non probarent, aut certa simulatione temulentiæ nomina sua ita adscriberent, vt legi non possent. Ortam contentionem *Illous* facile cõposuit, dicens Cæsaris in ipso formulæ limine fieri mentionem: nihil opus esse eam repeti, nec tanti esse debere trium verborum lituram. *Terskius* audacior non dubitauit clara voce eos perfidos, & nebulones inclamare, qui cum *Fridlando* non sentirent. Illi quod crederent

militem concitat.

nec

Sel. An. 1634. nec locum, nec tempus esse reclamandi, nihil vltra fuere conquesti: Subscribunt itaque formulæ. Postridie *Fridlandus* questus est de hesterno tumultu, finxitque se velle, abdicato Magistratu, abire militia. Quamobrem ductores vt hominem placarent, hesternam subscriptionem in altera membrana confirmarunt adscriptis sua manu nominibus, paulò quàm heri, nitidiori charactere. Non interfuere coniurationi *Galassus*, *Aldringerus*, & *Coloredus*. Eos Pilsnam vocauit *Fridlandus*. Adfuit *Galassus*, interrogatusque, *num sciret, quæ gererentur?* respondit *se audisse quidem, sed credere nondum potuisse.* Quo ita *Fridlandum* elusit, vt neque fidei constantiam aduersùs Cæsarem læderet, neque *Fridlandum* irritaret. *Aldringerus* varijs protelationibus absentiam excusauit.

Cæt. cum Suecis agit. Inita coniuratione, *Galassus*, ac *Picolomineus*, & alij plerique intellectis *Vvallensteinij* consilijs, postquàm se atque omnem exercitum præcipitari in manus hostium intelligunt; nam & iam apud *Oxensternium* Francofurti, apud *Vinnariensem* Ratisponæ de armorum coniunctione agebatur, Cæsari cuncta patefaciūt. Cæsar coacto propere secretiore consilio, celeritate vtendum ratus, vt malè adhuc cohærentes conspirationis vires labefactaret; per legatos edixit, *ne quis Vvallensteinio pareret*. Simul *Galasso* supremam militiæ præfecturam donec de altero capite prouideretur, contribuit. Tribunis (duobus exceptis) ex omni numero eorum quæ Pilsæ egerant, veniam facit, eosque à Sacramento *Fritlandi* absoluit. Simul iniunctum vt *Fritlandum* cum *Illoo*, & *Terska* viuum tenerent, vel mortuum: Ille verò se à primoribus agnoscens desertum, repentè Pilsa Egram contendit, vt vicinior esset ad accipienda Suecorum auxilia. Hic à *Francisco Alberto* Duce Saxoniæ literas accepit, *Bernardum Ducem Vinnariensem iam esse in eo loco cum exercitu, quem Vvallensteinius monstrasset: nihil deesse, vt copias & ipse iungeret. Antequàm fieret, velle se cum eo colloqui postridie, quod vt securè faceret*, rogabat, *vt sibi centum equites præsidio obuiam mitterentur*. Redditis literis multa addidit *Fritlandus*, vt facile appareret, qualem animum gereret in Cæsarem, & in aulicos. Tum *Leslæus* nihil cunctandum ratus, è vestigio in Egrensem arcem conuolcat ad *Butlerum*, & *Gordonum* tribunos, qui iam antè consilia sociauerant, communicatis quæ nuper aduenerant, re probè expensa, iudicarunt, nullam salutis publicæ rationem reliquam, nisi violentæ manus inferrentur perduellibus. Data ergo mutua fide coniurant, se vitam potiùs, quàm Cæsarem amissuros. Cæterum vt omnia quàm minimo tumultu fierent, placuit, vt *Gordonus* sub vesperam *Terskam*, *Kinskium*, *Illoum*, & *Nyemannum* in arcem ad cœnam inuitaret. Adsumpti etiam in societatem facinoris ex legione *Burleriana* *Robertus Geraldinus* vigiliarum præfectus, & *Gualterus Deuerox* centurio, cum triginta militum fortissimis, ex quibus duo *Scoti*, vnus *Hispanus*, reliqui *Hiberni* erant. Illi omnes in vicinum conclaue dispositi, & signum inuadendi expectare iussi. Peracto conuiuio, cum bellaria illata essent *Leslæus* misso, qui portas arcis occludi, & attolli pontes præciperet, monet *Geraldinum* tempus esse destinata exequi. Ille dispositis, qui ostia, & aditus scalarum obseruarent, ne famuli domini auxilio accurrerent, & ignari conscios turbarent, cum sex delectis in cœnaculum irrūpit. Inclamatoque *Viuat Ferdinandus*, omnes strictis mucronibus coniuratos inuadunt, ac frustra repugnantes interficiunt. Cęde patrata, dubitatum de *Vvallensteinio*, an viuum Cæsari traderent? Sed arduum hoc, & periculi plenum, incertis adhuc militum animis, quorum ipse plurimos iam largitionibus præoccuparat. Decretum itaque, vt occideretur: missusque Centurio *Deuerox* cum suorum fida manu. Prouecta nox erat, & Dux curis fessus in quietem concesserat, cum *Deuerox* in hospitium irrumpit, effractoque ostio cubiculi, consistentem ante lectum, nam ad subitum tumultum consurrexerat, solo tectus indusio, exploraturus quid rerum ageretur. Sic stantem *Deuerox* compellat, *Tu ne ille, qui hosti exercitum iungere, & Cæsarem diademate spoliare voluisti? Iam, iam morere.* Ictum nihilominus distulit, si quæ fortè verba à *Fridlando* vltima acciperet; sed cum nulla voce edita, stans brachijs explicatis, corpus vulneri obiecisset: impacta in medium pectus hasta, miserum prostrauit. Cædes Fritlandi cædes. Cadauer tapeti inuolutum, curru in arcem deuehitur. Dein in scripta, & literas ipsius diligenter inquisitum. Postremo mane *Butlerus* conuocatis ad se omnibus tribunis, facti rationem exposuit. Quibus in fidem Cæsaris confirmatis, centum equites ad intercipiendum *Franciscum Albertum* Ducem Saxoniæ dimittit. Is nihil aduersi veritus, quòd equites illos à *Fritlando* missos crederet, sine metu securus, cum

ali-

Sal. An. 1634. aliquantulum progressi essent, circumsistitur,
armaque ponere, & se in custodiam tradere
iubetur. Ita Egram primo, dein Viennam ad
Cæsarem deductus est. Hunc exitum habuit
Albertus Vvenceslaus Eusebius comes de Vvallenstein, Meckelenburgij, Fridlandiæ, Sagani,
ac Glogouiæ Dux, fortunæ indulgentia Cæsaris penè socius, imperandi cupidine inter ludicra variantis fortunæ exempla nostro sæculo
in exemplum tumidis exponendus. Cœdem ei-
cciii dem *Fridlando* iam prædixerat *Io: Baptista Senni* patria Lygur. Non negabat *Fridlandus*
qui Astrologiæ Iudiciariæ studio plurimum
delectabatur, mortale sibi imminere Fatum,
sed iam excurrisse asserebat; non verò periculum carceris, quo adhuc tenebatur ipse Astrologus. Sic vterque alteri infausta prænuntiat.
Veraces habiti; in hoc solùm mendaces, quòd
fatum proprium crederent consumatum.
Nam & mortem *Senni* verè *Fridlando* prædixit; & *Senni* carcerem *Fridlandus*. Cœdes
eius variè accepta, fabulas excitauit iuxta
nationum studia. Non defuere qui innocentem dicerent, quia indefensum. Cæsar tanto discrimini exemptus, post vota Deo soluta, nouum Ducem militibus dedit filium suum *Ferdinandum III.* Bohemiæ, Hungariæque Regem. *Ferdinandus III. exercitus Imperator.*

FERDINANDVS III. EXERCITVI PRÆFICITVR. Ann. 1634.

COniuratorum sumpto supplicio militibus
parte stipendiorum soluta pecunia, in
qua procusa erit Regis imago ad beneuolentiam militum comparandam, quæ nulla re potentiùs quàm pecunia paratur. Maio ineunte,
Ferdinandus III. cum magno Procerum numero, & Hungaricis subsidijs in Bohemiam
ad exercitum progressus, lustratis copijs, renouatoque Sacramento, breui res turbatas sua
præsentia composuit. Fridlandica conspiratione excitati *Vinnariensis*, & *Birckenfeldius* superiorem inuaserant Palatinatum. Alteram verò
Danubij partem, atque omnem ferè Sueuiam
cciv *Hornius Sueuiam obtinet.* *Hornius* obtinebat, subacto *Mundelheimio*,
Biberaco, *Campiduno*, *Memminga* & quicquid
Cæsarei obtinebant. Palatinatum verò superiorem paulò post *Bauarus* per *Aldringerium* recepit eiectis Vinnariensibus; breui tamen gaudio, nam in Bauariam reuocatus aduersùs
Hornium, qui circa Landishutum populabatur, vt *Ferdinandum* Regem ab obsidione Ratisbonæ retraheret; dum Landishuto in auxi-
Aldringerij mors. lium properat *Aldringerus* in ponte super Isaram globo ictus occumbit, incertum suorum,
an hostium manu. Vir literis, armisque clarissimus, atque in Cæsarem & Bauarum, à quo suprema exercitus præfectura donatus fuerat,
incorruptæ fidei. Eo mortuo, Landishutum vi
expugnatum à Suecis extremæ pertulit crudelitatis exempla.

ccv *Gelbenius.* In Vvestphalia fortunam Catholici experti
meliorem, Duce *Godefrido comite Gehlenio*
Hoexteriam, quam *Caspar Crugius* Suedicus
centurio cum quadringentis præsidiarijs propugnabat, expugnant. Cœsi præsidiarij ad
vnum, & quotquot ciues in armis reperiebantur. Hand multò post *Meleander* Hassicarum
copiarum ductor, dum legiones paucas explorandi causa Visurgim dimittit, in fugam conuertitur, octo signis amissis, & Præfectis ferè
omnibus. Ita nullo resistente, *Gelhenius* Hammoniam, Lunam, & alias minoris nominis arces suas facit ferè per horas: nam Dux *Luneburgicus Georgius* postquàm Hassicas copias
suis addidisset, *Gelhenio* superior, depulsis vbique victoribus, Hammoniam, Lunamque paulò ante captas recuperat. Inde ad vrgendum
Hildesium reuersus, breui potitur. Hildesium
Minda vrbs Episcopalis & multis iam annis à
Lunæburgicis possessa, secuta est.

Elector Saxoniæ quamuis cum Suecis non ccvi *Saxonis progressus.*
coiret, *Vvallensteinij* cœde & ipse excitatus, in
Lusatiam irrupit. Budissino (quæ est præcipua
Lusatiæ vrbs) *Goltzius* Cæsareus præerat tribunus, qui Saxone adueniente, in suburbium
flammas inijcit, sed conspirante in exitium
vento, tanta repentè ignium flamma excitatur,
vt grassante in proximas ciuium ædes incendio, tota vrbs miserabili spectaculo deleretur.
Ruinæ vrbis Saxoni deditæ, præsidiarij cum
sarcinulis, quæ incendio supererant, abire permissi. Gorlicio dein, & cæteris Lusatiæ oppidis
receptis, Saxo Dresdam redijt *Io: Georgio Arnhemio* in Silesiam dimisso. Is primo aduentu
fusis ad Lignitium Cæsareis, totam Silesiam in
potestatem habuit. Eodem tempore Elector ccvii *Brandeburgici, & Sueci progressus.*
Brandeburgicus Francofurtum ad Oderam,
postea iunctis copijs cum *Ioanne Bannerio* Suecorum per Pomeraniam præfecto Crossenam,
Saxones Glogouiam maiorem capiunt, breui
sed famosa obsidione ob fidem egregiam duorum gregariorum militum. In Lignienſi pu-
gna

Sal. An. 1634. gna eos captiuos traxerat Saxo , cum rei tormentariæ periti essent , iubentur in vrbem ac suos eiaculari. Fecerunt, sed ita tormenta direxerant, vt globus innoxio cursu capita ac tecta obsessorum superuolaret . Irritatus *Arnemius* suspendi iubet. Hi verò nil territi, *perfidis* (inquiunt) *& quicunque pretio magis quàm fide castra sequuntur, formidolosa mors sit. Nos Cæsari iureiurando addicti , cum nullum aliud crimen , quàm fidem sanctè seruatam habeamus , cur mori pudeat ?*

Glogouia capta , consilia iniere Sueci & Saxones, quomodò *Ferdinandũm III.*, qui Ratisbonam obsidebat , ab obsidione retraherent.
ccviii Placuit cunctis viribus in Bohemiam mouere, & Pragam expugnare . Interim arcta obsidione Ratisbonam *Ferdinandus* præmebat: Hanc tuebatur spectatæ virtutis Suedicus Tribunus *Larsius Kaganus* cum *Matthia comite Turriano* olim rebellionis Bohemiæ principe . Inerant quatuor millia peditum: annonæ , & militaris instrumenti magna copia . Ex aduerso cum *Ferdinando* stabat *Galaßus* , in Bauaria curabat *Aldringerus* , qui vt supra diximus , dum Landishuto accurrit in subsidium , ignea pila percussus occubuit . Stabat etiam *Maximilianus* cum *Ferdinando* Dux Bauariæ qui cum Bauaris ab vna, cum Cæsareis ab altera parte Rex vrgerent , frustra renitente *Vueinmario*, qui cum viginti millibus non longè aberat . VII. Kal. Augusti post longam, cruentã, ac sumptuosam obsidionem honestis conditionibus Ratisbona deditur . *Vt præsidium nomine Cæsareum imponeretur , & sua ciuibus religionis permaneret libertas . Vt Sueci præsidiarij cum sex tormentis, & militari pompa securè dimitterentur ad suos . Eis liberum esset quantum vellint curru, sarcinisque deportare. Captiui, atque obsides omnes vtrimque sine lytro dimouerentur .*

Ferdinã-dus III. Ratisbo-nam ca-pit.

ccix *Sueci ad Pragam victi.* Capta Ratisbona, illustri fortunæ exemplo, eodem die Sueci, atque Saxones, qui apud Pragam positis castris consederant , à *Gulielmo Lamboia*, & *Rudolpho Colloredo* Cæsareis Ducibus Praga depulsi, ac Bohemia omni exturbantur . *Ferdinandus* Rex verò non diù feriatus diuiso exercitu varia ad Danubium loca recuperat, ibi contractis ad se Hispanorum, Italorumque copijs , quas *Ferdinandus* Cardinalis, Hispaniarum Regis frater , regendo Belgio destinatus, secum adduxerat ex Italia cũ Principe Allobrogum *Thoma* , Nordlingam obsidet. Cæsareus Regiusque exercitus, additis quibus *Carolus* Dux Lotharingiæ præerat fœderis catholici copijs XIII millia equitum & XX peditum millia numerabat : Hostes IX mille & tercentos equites: XVI mille ac tercentos pedites sub signis habebant. Sueci inito inter se consilio decreuerant, vt *Vinnariensis* media inter Vlmam & Donauertam suo exercitu obtineret . *Hornus* inter Hilaram , & Lichum omnes insideret vias, ibiq; accitæ vndiq; sociorum auxiliares manus expectarentur ; præcipuè *Otho Ludouicus* Rheni comes , qui cum septem bellatorum millibus in Eribocum finibus bellabat, primus omnium euocatus. Sed importunum inter Duces certamen dignationis exortum consilia omnia subuertit . Comitis *Ludouici* mora præcipua omnium Succorum malorum origo: quo cunctante, Austriaci nullo obuio per illas regiones, impunè, libereque currebant. *Ioannes Vvertius* omnia illius tractus oppida mœnibus septa expugnauit præter Rotemburgum liberam ciuitatem , quæ validiori firmata præsidio Austrios elusit assultus . Congregati in vnum Sueci propè Aras Flauias, nunc *Nordlinga* dicitur, in Regis conspectum castra posuere, in vniuersi prœlij fortunam intenti . Valido Nordlinga tenebatur præsidio , cuius partem paulò ante *Hornius* immiserat , iusseratque vrbem ad extremum teneri , se in tempore adfuturum . Stetit promissis, sed aduersa fortuna , nam postquàm diu dubitatum inter Succorum præfectos, an prœlij fortunam experirentur; *Hornij* ac reliquorum ferè sententiã esset ; cunctando impetum frangere Cæsareorum , qui cum deferbuisset , vel Cardinalis cum suis in Belgium discessisset , facilior contra pauciores numero , & languidiores esset victoria. *Vinnariensis* tamen sententia præualuit , negantis decorum Suecico & Protestantium nomini , si paterentur fidam vrbem, cui tam sanctè de subsidijs promisissent, in eorum conspectu ab hoste intercipi. Prœlio itaque decreto, magno animo in Cæsareos itum. *Vinnariensis* dextrum, *Hornius* sinistrum cornu ducebat. Principio feliciter pugnarunt Sueci superata conualle , sed progressu repulsi post trium horarum spatium in fugam coniecti , fœdissima clade prosternuntur . Victoriam non minori ingenio, quàm vi parta est : nam in ipso prælij ardore , cum adhuc fortuna nutaret , Munimentum , quod Cæsarei editiore obtinebant loco , ex quo crebris iaculationibus subeuntes impetebantur , Sueci summa vi aggressi , ceden-

ccx *Nordlingam Rex obsidet.*

Sal. An. 1634. Sueci cæsi à Cæsareis ad Nordlingam.

dentibus consulto Cæsareis occuparant; sed vix illi recesserant, cum momento, munimentum subiecto infra sulphureo puluere, cum omnibus superextantibus in aerem excutitur ingenti strage, quæ proximos etiam corripuit. Post hæc Suecorum acies plane inclinari cœ-



pit. Equitatus arrepta fuga peditatum destituit; qui ingruentibus vndique Cæsareis cæsus totus, vel captus. Duodecim ferè millia cecidere, quorum dimidium Rustici fuere Vuirtembergici. Capta sex millia: octoginta maiores machinæ: tercenta vtriusque generis signa, dein impedimenta, atque apparatus militaris vniuersus. *Gustauus Hornius* Sueciæ militiæ ductor, vnà cum comite *Cratzio* Ingolstadij nuper præfecto, alijque magno numero Tribuni in potestatem venere. Cecidere ex Cæsareis *Octauius Aldobrandinus*, magnus Prior Melitensis Ordinis, & *Sylnius Piccolomineus* præter alios gregarios non paucos, *Bernardus Dux Vinnartensis* Canstadam primò, postea Heilbrunam fuga euasit, cuius temeritati clades adscribitur, quòd cæteris inuitis, & dissuadentibus, voluerit prælium subire. Nuntio ad Cæsarem Viennam perlato, præsentibus Imperatore, vxore, Pannoniæ Regina, Archiduce *Leopoldo Gulielmo*, & duabus Principibus filiabus in maiori templo actæ Deo gratiæ sunt. Cæsar aulæ proceribus epulum dedit. Eorum, qui pro Catholica religione ceciderant pluribus hostijs, manibus parentatum. Romæque ad præcipuas diuorum aras mystarum proceres pro tanta victoria, gratiarum actione supplicarunt. Missa ad summum Pontificem hostibus adempta militaria vexilla: quorum, duodecim victoriæ trophæa in Vaticano delubro, quadraginta in Diuæ Mariæ animæ templo pependerunt. Inter turmalia vexilla Sueciæ regium ex serico Damasceno auro totum distinctum, aureis circum fimbrijs ornatum, cuius in angulis hæ erant literæ. G.A.R.S. scilicet *Gustauus Adolphus Rex Sueciæ*, Victoriæ partus fuere Nordlinga, Heilbronna, Heidelberga, Herbipolis, aliæque penè omnes in eo tractu vrbes quæ in potestatem Cæsaris redière: Infelici hac pugna Suecorum gloria cœpit

Hornius captiuus.

pit

Sal. An. 1635. pit concidere; vt nec munitissima oppida tueri
animus esset. Philisburgi præfectus ad Imperialium accessum, demisso animo, Gallorum
acciuit subsidium, ita decreuerant fœderati,
vel quòd soli desperarent tutelam, vel tantæ arcis illecebris Gallos in belli societatem pertraherent. Dux *Eberardus Vvirtemberga* illius oppidi præfectus *Figuiereo* Gallorum legato dixit fidei Sacramentum cum reliquis præsidiarijs. Diuturna porrò non fuit Gallorum felicitas. *Gaspar Bambergus* quondam Philisburgi
præfectus recuperandæ munitissimæ arcis studio incensus, arcanum aperit Regi *Ferdinando*, quod ipse prouido consilio præparauerat
cum adhuc ei arci præesset. Sublicas in aliquot
circum mœnia locis dissectas iisdem cauis ita
reposuit; vt modico, faciliqúe conatu refigi, auellique possent. Hic itaque adiuuante hyeme,
quę restagnantes fossæ aquas gelu astrinxerat;
ccxII *Cæsarei occupãt Philisburgum.* selectos aliquot milites in morem agrestium
vestitos, abditis intra vestimenta ascijs, securibusque præmittit in vrbem, qui venalia importarent; remanerentque per noctem in varia
hospitia dispositi. Ipse dein cum idonea manu
noctu fossas, ac munimenta supergressus loco
vbi id arduum minus fore iam ante præsciuerat, postquàm vallo potitus est, primam vigilum stationem obtruncat, inde auxiliantibus
eis, qui iam vrbem intrauerant, portam vnam
effringit. Ita immixti continuò equites arcem
capiunt. Vrbem eam cũ Galli belli sedem decreuissent, magna vis militaris instrumenti, ac
commeatuum inuenta, præter tormenta maiora centum & triginta. Ita vna penè nocte Cæsarei recuperant, quod Sueci toto biennio magna sanguinis effusione occupauerant. Capti
Philisburgi rumor tota Gallia percrebuit grandi aulæ indignatione, quòd Cæsarei tot bellis
fatigati, pacem tam importunè violarent, arcem vsurpando in Galli Regis tutela quiescentem. Rex itaque *Ludouicus XIII* minarum spirans, protinùs conscripto milite in Vallem Tellinam mittit. Interim Cæsarei occupato Phi-
ccxIII *Augustã occupant.* lisburgo, Augustam Vindelicorum, quam statim à pugna Nordlingensi obsederant Bauari, atque ad extremam inopiæ necessitatem redactam in deditionem accipiunt. Fama est
non abstinuisse quosdam ab humana carne.
Populũ contumacẽ equina carne etiam malignè præbita vitam tolerantem: animabant
præcipuè crebris, turbidisque concionibus
prædicante Lutherani, populo suadentes satius esse, acceptiusque Deo omnibus
malis consumptos perire, quàm in Cæsareæ
clementiæ (*perfidiam* illi appellabant) potestate
vitam seruare; fugiendam potius vrsorum instar finistram, dextraque dimicandum: quàm
seruile Cæsaris iugum accipere. Fame tandem magis, quàm oppugnationis impetu
domita Augusta, Cæsarei imperij iugo collum
inseruit.

Pax interim affulgebat inter Cæsarem &
Saxonem interprete *Georgio Hassiæ Darmstadiensi Landgrauio*. Quare Saxoniæ Septemuir,
Dresdam vocatis comitijs, pacis cõditiones exposuit; misso *Arnheimio* ad Electorem Brande- ccxIv
burgicum comitia itidem Perlini agentem, ad
idem pacis negotium perscrutandum.

Conuentum etiam habuere Vvormatiæ
Protestantes, cui adfuit *Bernardus Dux Vveinmarius*, & *Porschius* consiliarius *Georgij Darmstadij*, missus cum mandatis, vt rerum capita,
quæ inter Cæsareos & Saxones in euentum futuræ approbationis conuenerant, conuentui
generaliter saltem aperiret. Consilijs in longum
protractis, cum nil certi statueretur, vnà cum
primo vere sese Martis campus aperuit. In *Vvormatiæ conuentus.*
Misnia Cæsarei nonnulla oppida occuparunt.
In Vvestphalia Monasterienses inobseruati
Rhenam, transcensis menibus, oppressoque
summo mane Hassico præsidio recuperarunt,
paulo post ab Hassis, ductore *Melandro* cum
pari clade, & oppidi direptione indidem remouendi. Oppidum Ridbergense, intacta arce,
Luneburgici diripuere.

Sexto tandem Id. Mar. inter Cæsarem &
Saxonem triginta dierum induciæ, quo pacatiùs de pace ageretur, exclusis Galliæ, & Sueciæ
fœderatis, conuenere, admisso ad eas simul Electore Brandeburgico, *Gulielmo Vveinmariensi*, & *Georgio Luneburgico*. Dux Luneburgicus illas Suecico fœderi posthabuit. Pragam
venere pacis sequestres. Sueci alto velut oppressi somno, vel simulabant, eorum quæ pro
pace agerentur, se nescios; vel certe nesciebant,
seriò agi de tollendis intestinis Germaniæ discordijs, quibus eorum factio potissimùm nutriebatur. *Bannerus*, qui Saxoniæ vicinus erat,
primus fuit, qui scriptis ad Saxonem literis, tacitè pacis consilia vellificauit, petiuitque sibi
significari, quid tandem subsidij Coronæ Sueciæ à Saxonia sperare posset. His nihil motus
Elector, cum IV. Kal. Iulij pacis tabulæ in arce *Pax Pragensis.*
Pragensi à legatis fuissent subscriptæ, probatæ

Sal. An. 1635. deinde Cæsari, cum incredibili Saxoniæ gaudio pacem est amplexus, quam Cæsar deinde curauit euulgandum.

Pacis Conditiones fuere. Bona Ecclesiastica mediata ante pacem Passauiensem à Protestantibus occupata, vi illius transactionis ijsdem nunc, & deinceps salua remaneant. Immediata verò ante, & post transactionem Passauiensem à Protestantibus occupata, quotquot eorum anno 1627. Die 12. Nouēb possederunt, eadē ad annos quadraginta quiete possideant, & si quid à nominato tempore ijs per Catholicos ablatum sit, integre restituatur, exceptis ijs bonis, pro quibus ante præfinitum tempus lis mota, & in iudicium Cameræ Imperialis introducta fuerit. Pari modo Catholici quæ 12. Nou. 1627. habuerunt, quietè retineant, & ablata eis fideliter restituantur. Status politicus in ijsdem bonis, item Electiones, Postulationes, Mensæ Papales, uti dicto tempore in vsu erant, vtrinque seruentur. Vsus sessionis, & ferendi suffragia vi eorundem bonorum in conuentibus prouincialibus continuetur, in comitijs imperialibus interim intermittatur. Exercitium religionis inter Catholicos, & Augustanos uti 12. Nou. 1627. imperturbatum relinquatur. Occurrentes controuersiæ componantur per iudicium imperiale aulicum, vel Cameram Spirensem. Durante quadraginta annorum spacio, intra primum decennium instituatur tractatus de pace vniuersali, quæ si confici nequit; controuersia remaneat uti 12. Nou. 1627. salua Cæsaris auctoritate moderandi controuersiam. Archiepiscopatum Magdeburgensem Augustus Electoris Saxoniæ filius possideat, & Christiano Vvilhelmo Marchioni Brandeburgico dum viuit, quotannis inde duodecim millia Imperialium persoluat. Quatuor præfecturas eiusdem Archiepiscopatus Querfurtum, Gutterbok, Damam, & Bork, Elector Saxoniæ iure feudi ab Archiepiscopo Magdeburgensi obtineat. Episcopatum Halberstadiensem Leopoldus Vvilhelmus Cæsaris filius possideat. In Archiep. Bremensi religionis Catholicæ, & Augustanæ exercitium uti 12. Nou. 1627. fuit, permaneat. Libera Imperij nobilitas Augustanæ Confessionis exercitio liberè fruatur. Ciuitates Imperiales quæ interim cum Cæsare aut Ducibus pacta sunt in ijsdem pactis maneant. Cætera pace religionis gaudeant. Donauerdam Elector Bauariæ Imperio restituat, quamprimùm ipsi de sumptibus imperij satisfactum fuerit. In regno Bohemiæ, & prouincijs Austriacis, & si Elector Saxoniæ summoperè vrgeret, noluit Cæsar permittere Augustanam confessionem. De Silesia, & Lusatia separatim conuentum. Reformatio cameræ Spirensis ad generalia imperij comitia dilata. Legati Protestantium in aula Cæsaris nulla afficiantur iniuria. Electoratus Palatini maneat Bauaro, & successoribus eius Vvilhelmianis. Vidua Friderici IV. Electoris dos relinquatur, & proscripti Friderici filijs si ad Cæsaris redierint obsequium, dignum præstetur alimentum. Duces Brunsuicenses quater centena millia imperialium Tillianis hæredibus persoluant intra octo annos. Ducibus Megapolitanis, si hanc pacem probauerint, imperator ignoscet, eosque in pristinum restituet. Omnia loca ab aduentu Gustaui Sueciæ Regis 1630. Cæsari, eiusque socijs ablata, quæ adhuc in Protestantium manu sunt, fideliter restituantur. Ex recuperandis cæteris locis, quæ à Sueco, vel Gallo tenentur, Elector Saxoniæ & huius pacis participes, Cæsarem omni ope iuuabunt. Vicissim Cæsar & socij à se occupata ab anno 1630. antiquis possessoribus in hanc pacem consentientibus restituet. Cæsar occupata in bello Danico ab anno 1625. nominatim Vvolfenbeutelium, & Nienburgum antiquis dominis reddat. Electori Brandeburgico, si, paci consenserit, inuestitura Pomeraniæ dabitur. Philippiburgum in potestate Cæsaris maneat. Captiui intra mensem dimittantur. Intra decem dies à notitia pacis, eam recipientibus amnestia conceditur, excepta causa Palatina & Bohemica, ac aliquibus personis, quas Cæsar literis separatis expressit, clementia tamen non præclusa. Comprehendantur etiam nationes exteræ, dumodò occupata ab anno 1630. restituant. Exercitum retinebit Cæsar, & cum eo consentientes paci copias suas iungent, renouato Cæsari, & imperio Sacramento: & deinceps Cæsaris & imperij exercitus vocabitur. Partem reget Elector Saxoniæ, reliquum, quem Cæsar nominabit. In stipendium militare quilibet Elector Princeps, ac Status Imperij pacem acceptans, centum & viginti pensiones menstruas intra anni sequentis spatium conferent. Quæ hic definita non sunt, ex sanctionibus imperij petātur, saluis tamen semper præsentibus articulis. Hæc pacificatio inter Cæsarem & Saxonem tanquam ex necessitate facta nullum imperio adferat præiudicium. Si à reliquis imperij principibus accipiatur, tanquàm Generalis Imperij sanctio cū reliquis inseratur.

Firmatæ pacis exemplar Cæsari, Saxoni, tertium Electori Moguntino datum vt in actis custodiretur Imperij. Ab Amnestia exclusit

Cæsar


LUDOVICUS XIII REX FRANC.
INFANS
CONCESSA PUDET IRE VIA
AURELIANENSIS.
IACOBUS. FORCEUS.
HENRICU DUX IOHAN.
RUTILO SPLENDORE CORUSCAT
MAGNOS ALIT

Sal. An. 1635 Cæsar primò transfugas, qui Cæsaris deserta militia, signa tenuerunt hostilia. Fridlandicæ coniurationis participes. *Comites Louuensteinios, Erpacenses, Vvidanos, Maximilianum Pappenheimium, Fridericum Hohenloicum, Hannouio Muntzenbergicos, Lichtenbergicos, Isenburgo Budingenses, Ducem Vvurtembergicum, Fridericum Marchionem Durlacensem, Comites Oetingenses, & Erbesteinium Baronem de Freynbergh, Iustingen, & Oepfingen,* quibus nihilominus Cæsar clementiam non præcludebat, si protinùs desertis hostibus, debito obsequio gratiam Cæsaris quærerent. His ita constitutis, cum pax publicari cepit, variæ mox vrbes ad obsequium rediere, eiectis Suecorum præsidijs. Prima fuit Norimberga, dein Vlma, Francofurtum, aliæ. Solus penè inter omnes Imperij proceres *Vvilhelmus Hassiæ Landgrauius* arma in Cæsarem retinuit. Sueci, ac Galli quomodò pacem impugnarint, gesta dabunt sequentia. Egit Cæsar cum *Vrbano* Summo Pontifice, vt Franciæ Regi auctor esset recedendi à Succorum fœdere; sed arctior erat consiliorum & rerum ex bello Germanico sperandarum necessitudo, quàm vt facili manu dissolueretur. Sueci collectis Gallorum auxilio viribus, firmatisque in fœdere quorumdam Germanorum Principum animis, post prorogatas cum Polono inducias ad Annum 1661. Anno renascente cum sexdecim armatorum millibus, Duce *Vveinmario* in Gelhusium, & Hannouiam arma traxerunt. *fœdus Succorū cum Gallis.*

BELLVM GALLICVM. Ann. 1635.

ccxv Belli causæ. NE res catholica apud Germanos respiraret; opportunum accidit Gallorum dissidium. Nitebatur quisque suam fulcire causam. Clamabant Austrij, quòd Rex Galliæ contra nuperam Mantuani belli pacificationem Ratisbonæ conclusam, cum hostibus Cæsaris & imperij colluderet: Regem Sueciæ armis, pecunia, milite, commeatuque iuuando. Quòd vrbes imperij aut inuaderet ipse, aut ab hostibus auro redemptas suis præsidijs confirmaret, magno Romani imperij detrimento. Ex aduerso accusabat Rex *Ludouicus XIII.* quòd Hispanorum consilijs *Gaston Dux Aurelianensis* quædam supra sortem cogitaret: vnde intestino bello fatigata Gallia nutaret. Insuper quòd spreta Gallorum protectione, Philisburgum Germani occupasset. His de causis excitus Gallus Cæsarem, Hispanosque impetere statuisset. Verè Aurelianensis animum in fratrem regem gerebat hostilem, vt eius symbola monstrant. Quorum primum *angulus* est in superbam molem erecti ædificij, in ipso sui meditullio lapidem repræsentans, eiusdem Ducis gentilitio stemmate insignitum sub lemmate *Factus est in caput anguli*, vel quia Hispanorum fulciret incendia; vel cum reconciliatus Regi fratri suo, columen & firmissimum sustentaculum regni electus est.

symbola Aurelianensis habes n. 213. Secunda Icon *lampas est ardens, & accensa sub Dio ante templum, circumstantibus omni ex parte ventis concussa*, sub lemmate, *Virtuti nulla procella nocet*. Ad eam scilicet alludendo lampadem, quæ olim ante templum Veneris in Arcadia visebatur Cœlo ardens aperto. Et sicut illa ventis atque imbribus vndique obnoxia lucere non desinebat, nec poterat his procellis extingui; quin potius successu illo clariùs emicabat: ita *Aurelianensis* animus nullis fortunę successibus conquassatur.

Tertium symbolum nauim exhibet pleno mari iactatam, *Qui temperat, anteit remigis officium*. Felicis nempe nauigationis gloria non nautis, sed nauarchi debetur ingenio, qui dirigendę nauis artem callet. Ad historiam regrediamur.

Primam huius belli calamitatem sensit *Philippus Christophorus Elector Treuirensis*, qui ad effugendas Succorum irruptiones in partes Gallorum secesserat, inuitis Canonicis Metropolitanis, quibus magis Hispanorum vel Cæsaris arridebat præsidium. Mense itaque Martio Hispani Lucemburgi Gubernator, Comes *Embdanus* cum barone *Mitternichio*, adsumpta ex vicinis pręsidijs idonea militum manu, eaque nauigijs imposita, secundo Mosella, silentio vectus, Augustam Treuiroum improuiso capit, paucis cœsis, qui ex Gallico pręsidio initio ausi erant resistere. Elector ipse ad Cæsarem captiuus abducitur. Hoc postremo impulsu, iam nutante concordia, Galli concitantur ad arma eodemque tempore quatuor validissimos exercitus sub Ducibus veteranis *Ludouicus* immittit *Iacobo Forcæo: Carolo Crequio: Henrico Rohanni Duce; & Gasparo Castillioneo*: ccxvi Impauidum Regis *Ludouici* animum tria mōstrant symbola, quorum in primo regium armatum brachium manu clauam gestās, mōstris reluctatur inuadentibus sub lemmate *Regis Ludouici symbola vide n. 213.*

Timui

Sal. An. 1635. ... *Timui nec infans*. quo nimirum ad Poeticum alluditur Herculem, qui & in cunis angues manu pressos elisit; hoc augurio nimirum quid aliquando facturus esset præmonstrans. Eadem *Ludouicus* vsurpat, vt qui vel à primis annis perduellium consilia deluserit, minùs vigenti timere debeat ætate.

Altera Icon duas in maritimo freto dissipatas columnas exhibet & euersas sub eo Claudiani,

Nullas recipit victoria metas.

Quæ *Ludouicum* cum Hercule iam indicato ex aduerso componunt. Quippe antiquas ille duas in Gaditano freto columnas velut victoriarum suarum limites collocauit cum inscriptione, *Non plus vltra*: Gallicus verò Hercules cum victorijs suis nullum finem velit, columnas sternit Herculeas nec vllam patitur metam, sed per abditas pergens semitas eum *concessa pudet ire via*, vt habet in tertio symbolo, nouum gloriæ quærens callem, quem successoribus aperiat.

Forcæi symbola habes n. 213. Habent etiam eius commilitones symbola sua. Tria sunt *Forcæo* quorum primum brachio constat armato clauum præferente, vnde iacula fulminea erumpere videntur sub lemmate. *Non quot sed vbi*. Sic *Agis* Rex Lacedemonum nunquàm quot hostes essent, sed vbi essent, inquirebat. In secundo *Leo vngues ostentat & dentes* adiunctis verbis, *Non exarmata senectus*: Senectam annuit viribus, & animo præpotentem. In tertio rugit *Leo Forcæi* gentilitius sub Horatiana inscriptione, *Fortes creantur fortibus*. Nomini hic stemma respondet gentilitium.

Rohani sis symbola vide n. 213. Habet etiam *Rohani Dux* symbola sua. In primo manus armata ensem stringit, & ex medijs rupibus erumpens, sub illo Claudiani carmine, *Seminat discordia magna triumphos*. Memoriam refricat symbolum hoc abnegatæ religionis, & deficientis obsequij quod Regi suo debebat; & dedecus potius vsurpat quam laudem. In altero symbolo ensis est ad Solis irradiantis aspectum velut emicans, & flammas eiaculans sub lemmate, *Rutila fulgore coruscat*. Quo præsentem annuit expeditionem, in qua reconciliatus Soli idest Regi suo emicare sperat, & felix emergere. In tertio *Leo furit*, & in media animalium cœde infremit, sub illo *Statij* hemystichio, *Magnas alit ira*. Quo viua *Rohani* exprimitur indoles.

Crequij symbola vide n. 213. Tertium exercitum misit *Ludouicus* Rex Gallorum in Italiam Duce *Carolo Crequio*. Libet & huius exprimere symbola. Quorum primum gemino enses, & siccas exhibet decussaras insignique fascia circumdatas cum his verbis, *In audaces non est audacia tuta*. Vel cum Virgilio. *Haud furto melior, sed fortibus armis*. Annuitur hoc symbolo singulare certamen, quo inijt *Crequius*, cum *Philippino* notho fratre Ducis Allobrogum. In potestatem *Philippini* venerat *Crequius* iure Belli, & Taurinũ delatus erat; Vbi fasciam ingentis pretij cum ostentaret in quodam consessu, vbi aderat *Philippinus* eiusque nobilis amasia, quæ *Philippino* dictam fasciam donauerat, à *Crequio* occupatam in expugnatione propugnaculi Baraltij; irritatus Sabaudus *Crequium* ad singulare prouocauit certamen Marte tamen aduerso. Nec melior fortuna arrisit in secundo certamine, ad quod Allobrox Gallum lacessit. Humi namque vulneratus, & affixus vitam cogitur exorare, Et quia *Crequius* non iure belli, sed astu se interceptum à *Philippino* iactabat, hinc canit in symbolo, *Haud furto melior, sed fortibus armis*.

In secundo symbolo *iacet sub claua centaurus exanimis* sub lemmate. *Semel at nos iterum, iterumque*. Hercules semel profligauit Centauros, vt fabula docet, quæ historiam *Magni Henrici* Gallorum Regis inuoluit. Ineunte Regnum *Henrico*. Dux Allobrogum ex tumultibus in Gallia obrepentibus commodum captans, cum sideret eius aliquam saltem sibi cessuram partem, numisma cudi iussit, in quo *Centaurus* Galliæ calcabat coronam sub lemmate, *Opportunè*; Indicans sibi fauere tempus. Non multo tamen post spes euanuit, fastus detumuit, deuicto à Gallis Allobroge, vnde excussum est alterum symbolum, in quo Hercules calcabat Centaurum sub lemmate *Opportunius*. Ad vtrumque in suo symbolo *Crequius* alludit, non semel scilicet vt Herculem insultasse Centauro, sed pluries.

In tertio *Torrens* est qui arbores rupes, obuia quæque prosternit, sub lemmate *Vincere vi didici*. Quasi diceret, non astu, & fraude (vt Allobrogem redargueret, sed vi & ense viam mihi sterno.

Castillionei symbola habes num. 213. Succedunt *Castillionei* symbola, quorum primum clauam exhibet sub lemmate *Non fors, sed dextera*. Polemarchi scilicet munus ei à Rege oblatum non blandiente fortuna, sed

vrgen-

Sal. An. 1635. vrgente merito. In altero Aquila est se in altum efferens, aliæque simul aquilæ humi deiectæ, ac iacentes sub eo *Claudiani* carmine, *Imperio vinci maiore fatemur*. Congrue scilicet ad Aquilam, quæ (*Castillionæi* stemma gentilitium) hostes suos prostrauit. Aquilas credo annuere Imperiales, cum quibus tamen non incruentus pugnauit. In tertio symbolo *Aquila* quoq; est defixo vultu Solem intuens sub lemmate, *degeneres animos timor arguit*. Ea quippe Aquilæ peculiaris est virtus, vt sola ex omnibus animantibus defigere oculos in Solem possit. Ad historiam regrediamur.

Iacobo itaque *Forcæo* castrorum præfecto viginti quinque millibus demandatis, quos Duci opponeret Lotharingo: *Rhoannensis* etiam



iussus est cum octodecim millibus mouere in
CCXVII Exercitus plurimi Gallorum in Austrios. Rhætos. *Crequius* in Italiam cum septendecim millibus. *Bellieuræus* legatur ad Italiæ principes, qui eos de iure belli contra Austriacos edoceret. *Castillionæus* cum valido exercitu contra Hispaniarum Infantem ad Mosæ confinia missus, XIV. Kal. Iunij altero ab Eburonibus milliari, cum sexaginta machinis muralibus castra metatur. Nec timuit Cardinalis Infans,
Hispani a Gallis victi. præfectum *Principem Thomam è Ducibus Allobrogum* selectissimis copijs Gallo ad Namurcum opponit: sed magna suorum clade *Thomas Princeps* superatus à Gallis, accepto honestissimo vulnere, rem Hispanam in maximum discrimen adduxit. Nam iunctis copijs *Castillionæus* III. Kal. Iun. cum Hollandis, quorum sub signis triginta ferè millia hominum erant, in Brabantiam irrumpit: vbi Thernis armata manu potitus, communem edidit stragem igne ferro, libidine, a qua nec Virginum, nec matronarũ corpora immunia fuere. Post Namurcensem cladem, credebatur Belgium tanta hostium multitudine (nam sexaginta millia recensebantur) omninò obruendum. Verũ Deus, (qui sors est rerum humanarum) aliò vela vertit. Vix ambigebant Franci, quin simul venirent in Louanij conspectum, vasta illa & quidem malè à munimentis tecta ciuitate (quæ Musarum potiùs, quàm Martis est domicilium) confestim potirentur. CCXVIII Louanium Galli obsident. Sed longè aliò Fata decreuerant. *Ferdinandus* Imperator cum Cardinali Infanti bello tam periculoso periclitanti *Octauium Piccolomineum* cum magno militum robore, auxilio misisset, Franci ac Bataui metuentes, ne Demera flumine ab Hispanis clauso, commeatus interciperentur, cum iam fames in eorum exercitu grassaretur (nec segniter Louanienses, accepto multorum millium præsidio, eductoque in campum Martium Athenæo, sua quãtúlibet debilia tuerentur mœnia) vnà cum Francis reflexo ad Mosam itinere, Thernis desertis, atque Diesto, cum ingenti incomodo, & existimationis non obscura labe, Louaniensi obsidione soluta, ad Ruremundam

Sal. An. 1636.
dam & Ventonam vt sese munimẽtis circum-
sepsere. Venit in depulsæ obsidionis gloriam
iuuentus literaria Louaniensis Accademiæ,
grandi obsidentium probro quasi Mineruã,
& studentium Styli Martem, & militare ferrũ
retudissent.

Ad Rheni, & Nicri confinia, vbi se mitior
aura aperuit, Bellonæ quoque fores patuere;
non procul Sundheimio a Suecis oppressa le-
gione Bauarica. Elselda occupta mox amissã
mutuis hinc inde cladibus. In Superiori Pala-
tinatu Comes *Vvahlius* expugnato Vveidæ
oppido natura, & arte munito, ex è quo Sueci
regionem latè vexabant, dein Neohusiũ,
Hersbrucum, Neoforum aliaq; circum loca in
ordinem redigit. Erbacum castellum oppri-
me firmum ad Danubium, eiecto Vlmensium
præsidio, coegit ad deditionem Dux Rotha-
ringiæ pleraq; circa Colmariam cum subegisset
loca, Rabeacensem arcem solo sui aduentus
terrore, Gallis eripuit; Turchemium, aliaque
passim oppida occupauit. Arcis præfectus, quòd
in ea dedenda facilior fuisset, capitali fuit af-
fectus supplicio. In Alsatia cum è Bauaricis
turma vna curaret Demingæ, sua illi infeliciter
cessit oscitantia; etenim Horcburgenses in-
obseruati vniuersam profligarunt. Et hȩc qui-
ccxix Bauaros a Lotharĩgos Galli cædũt. dem prȩludebant cladi, V. Cal. Iun ad Belfor-
tum acceptæ. Erant in exercitu è Lotharingis
iuxta, ac Bauaris, ductore *Ioanne Vvesthio*, duo-
decim millia, qui cum impedimentis & bellico
apparatu per angusta viarum Blancam vsque
penetrarant, ibiq; in colle castra locarant. Gal-
li *Forcao* Duce, è regione instruxere aciem; sed
vtriq; cum loci opportunitate fiderent, sola tor-
mentorum eiaculatione triduum consumpse-
runt. Inopia tandem Lotharingis laboranti-
bus visum est, omisso hoste, se per subiectam
vallem Belfortum recipere: sed abeuntium ter-
ga Gallo insequente, periere plurimi, vt Dux
Neoburgum, *Rheinachius* Brisacum, *Mercius*
aliò, diuersis itineribus cum fatigato, & malè
pacto milite abiere; vt exercitus duodecim mil-
lium, clade, fame, morbo, ad quatuor ferè
millia fuerit redactus. Nihilominus Dux Lo-
tharingiæ collecto rursùs milite cum copijs,
quas è Franconia *Vvèrthius* & *Galassus* addu-
xerant, in Lotaringiam regressus, Spinellum,
Romaricomontium, Boulaicum, Charmum,
aliaq; Austrasiæ oppida recuperauit. Exeunte
Vverthius Gallos cȩdit. postea Nouembri *Vverthius* cum hoste con-
gressus, octodecim militaribus signis, & com-

meatu onustus, iterum turmam ducentorum
equitum è Gallica nobilitate profligauit. Dum
Hungariæ Rex *Ferdinandus* lustrato exercitu
quadraginta millium virorum, Heidelbergam
Dilisbergam, Vvormatiã domat; nam *Vvein-
marius* suis diffisus viribus, Bipontum refuge-
rat, vt se apud Mediomatrices Francis sociaret.
Occasione vsus *Galassus*, Oppenheimium, Bin-
gam, Baccaracum, Cubam, Cæsareolutheram
cæsa flaua Suecorum legione inuasit. Ciuitas
hæc tridui direptioni patuit: captus in ea *Schon-* ccxx
beckius tribunus. *Vveinmarius* collecto potenti
Gallo Suecorum exercitu, post occupata Ru-
desheimium, Bingam, inter Moguntiam, &
Francofurtum consedit. Nec longè *Ferdinan-
dus* erat, vt elabendi modum hostibus inter-
cluderet, adigeretq; ad pugnam, dum adhuc
impares essent, inferioresq; numero, quamuis
Gallica aduenissent auxilia ductu Cardinalis
Valettæ. Franci verò ad fines Lotharingiæ sese
recipere tentabant. Ad Meisenhemium viam
intercluserant nouẽ Cæsareȩ legiones cũ valido
equitatu. Nequibat hostis citra discrimen alior-
sum flectere: consilium fuit per Cæsarianam
aciem viam vi facere. Ergo cum Gallorum
globo *Vveinmarius* mouet in obstantes, confli-
gitur vtrinque, fortiter dimouentur è sua sta-
tione Cæsarei non sine clade. *Benderus* tribu-
nus capitur, cũ tredecim machinis currulibus.
Hinc spe concepta maioris victoriæ *Vveinma-
rius* moram trahebat; verùm vbi comperit
Galassum totis castris imminere, nuncio per-
culsus, magna impedimentorum parte incen-
dio corrupta, ne moram adferrent properanti,
continenti triginta quatuor horarum itinere
Vvaldersingam Lotaringici imperij oppidum
transsaram amnem contendit. Molestias iti-
neris, & fatigationem malè pasti militis auge-
gebant continuæ cum instantibus Croatis ve-
litationes, vnde nec respirare, nec iter agere
fas erat. Quare tandem ventum est ad ma- prælium ad Vvaldesfingã.
nus, certatumq; acriter velitari pugna cruento
& pari hinc inde discrimine. Maius tamen
Galasso periculum cum inedia: cuius exercitus
magnam partem attriuit nuditas, algor, aqua-
rum defectus. Nono ante Cal. Sex. ad Elseldã
trans Rhenum vecti Cæsarei Moguntiam in
deditionem accipiunt. In Silesia postquàm Mogũtiã recuperãt Cæsarei.
Saxones iuxta pacem Pragensem, Preslauiã
excesserant, Sueci Sagano relicto, ad *Bannerum*
concessere. Cæsarei verò Saxonum locum oc-
cupantes, totam Silesiam ad obsequiũ habuere.

Sal. An. 1636 Annum claudunt nuptiæ *Maximiliani* Bauari Septemuiri cū *Maria Anna* filia *Ferdinādi*
ccxxi *Bauari nuptia.* *II.* Imperator; cum initio Anni currentis in fata concessisset *Elisabeth* Ducissa Lotharingiæ, & Barri, prima *Maximiliani* coniux. Deo placuisse coniugium probauit secuta, quæ prima est in Matrimonij votis, ex duorum præstantissimorum filiorum natiuitate felicitas, quam Bauaria per annos quadragita infinitis suspirijs desiderauerat.

CORONATIO FERDINANDI III. IN REG. ROM. Ann. 1636.

ccxxii CÆsari reconciliato Saxone, credebant Germaniæ principes facile etiam cum exteris pacem componere. Spes tamen inanis; cum potenter armarent Galli, Sueci Hornæ cladis non tam obliti, quàm spirantes vltioné, instaurabant vires. Angli domus Palatinæ studio, Martem accendebant, Danis res erat de Bremensi Archiepiscopatu. Suecis federati principes seu spe melioris fortunæ, siue metu coherebant. Adfuere tamen sub annum exortum, Viennæ ad Cæsarem missi à *Christiano IV. Rege Daniæ* legati, qui Regis sui operam ad pacem componendam offerebant. Non negauit Cęsar *Friderico* Holsatiæ Duci, Regis filio Bremensem Archiepiscopatum ea lege concedere, vt pater & filius Pragensi paci subscriberent tum vt filius ex eiusdem pacis norma Archiepiscopatum teneret, postquàm ostenderet se fuisse postulatum: denique vt res Catholica in eo Archiepiscopatu eo loco esset, quo erat Anno 1626. prid. Id. Nou. Eius legationis fructus hæsit penes Danos. Sueci enim veriti, ne Regem Daniæ à se alienarent, Bremensem ditionem filio eius cesserunt. Miserat Britanniæ Rex comitem *Arondelium*, qui Palatini comitis restitutionem exoraret; sed cum diù Ratisponæ eluderetur; Rex, eo reuocato, per Angliam, & Scotiam frequentes delectus indixit. *(Legatio Dan.)*

Succi Saxoni supra modum irritati, quòd eis desertis, qui amisso Rege regnum in discrimen adduxerant, vt Germaniæ Principibus libertatē assererent, multò crudeliùs, quàm vnquā alibi Saxonicas inuadūt ditiones occupato Vverbeniano munimento: dein vrbibus, vicisq; apud
ccxxiii Hauelam, & Sala fluuios miserè expilatis; Saxoni *Melchior Hatzfeldius* cum legionibus aliquot subsidio missus, exultantem leuibus victorijs hostem facile oppressit. Recuperata inde Hauelberga, aliaq; loca quæ Suedico tenebantur præsidio, demùm & Magdeburgum acri obsidione aliquamdiù constrictum in Saxonis potestatem venit. Variante tamen fortuna, *Bannerius* aliquot millium è Suecia supplimento auctus, Luneburgum inuadit, Saxones apud Vvidstorchiū profligat, occupatis omnibus impedimentis, & militari apparatu. Mox cū *Ioanne Vrangelio*, populata Marchia Brandeburgēsi, qoin Elector cum Cæsare conuenisset, transmisso Albi, in Thuringiā irrumpit, & Esphordienses ad pacem Pragensem spectantes, certis conditionibus accipit in potestatem. Nec minus per VVestphaliā vrgebat discrimen. *Gulielmus Hassiæ Landgrauius* repudiata Pragensi pace, aliquot Suecorum legionibus confirmatus, repentè Hannouiam validissimum prope Francofordiam munimentum, ac iam penè à Cæsareis ad extrema redactum, pulsis inde oppugnatoribus obsidione liberat, breui tamen felicitate; nam ingruentibus Cæsareis Duce *Getzio* iterum in Phrisiam repulsus magnis exactionibus Prouinciales exhaurit. *Getzius* interea totam prope Hassiam populatus, mox in Vvestphaliam regressus, Padebornam, ac Susatum ad deditionem cogit. Tremonia inde, Vverla; & Hammonia eiectis Hassicis præsidijs eandem fortunam subiere. *(Gesta Succorū cū Saxone.)* *(Bannerij tra[...].)* *(Irruptio Hassiæ Landgrauij.)*

Vvinmariensis Gallicis suffultus auxilijs, ccxxiv
Tabernas Alsaticas; Princeps *Condæus* Dolam in Burgundia premebat. Tabernarum præsidio *Malheimius* chiliarcha præerat, qui desperato auxilio, honestis conditionibus, deditionem fecit. Dolæ obsidionem vrgebat *Condæus* triginta muralibus machinis, ratus facile totam Burgundiam occupaturus, si Dola potiretur. Hæc tamen Hispano fidelis nullā operā pretermisit, vt Gallos depelleret; & iam crebris eruptionibus ter mille Gallorum ceciderant, Periclitabatur ciuitas tamen; quando *Lambolus* cum decem Legionariorū millibus, allarijs mille quingentis, & aliquot Croatarum & Hungarorum centurijs venit suppetias laboraoti. Desperata tamen Gallorum castrorum expugnatione, & ipse intra sua valla se continens, periculi spectator veriùs erat, quàm depulsor. Erat in vrbe Episcopus Bisuntionensis, qui vnà cum Senatu Regio defensores animabat. Adfuit tandem cum suo equitatu Dux Lotharingiæ; cumque delecta Burgundionum manu è *Centuriatorum* comitatu, gens est bellicosa, pugnax, & Gallo nomini infensa *(Dolana obsidio.)*

fensa

Sal. An. 1636. sensa. Ducis aduentus obsessorum animos erexit, quibus iam ex cæsorum corporibus, cum cætera deessent, suprema necessitas escas parabat. Franci verò velut æstroperciti, omni posito metu per media suorum cadauera, solis protecti gladijs incurrebant cominùs in Lotharingos, & Burgundiones, tanta pertinacia, vt cum pyreus puluis, missilesq; glandes defecissent, saxorum procella ad depellendos Francos vterentur. Galli tandem multis amissis, soluta obsidione, recesserunt amisso bellico instrumento, & commeatu, quo famelicus miles se refecit.

ccxxv *Ferdinãdus Cardin. Parisios vsq; populatur.* Ex altera Galliæ parte, quę Belgium spectat, *Ferdinandus Cardinalis* Belgarum Gubernator, haud segniùs bellum gerebat, infuso in Piccardiam exercitu, qui Duce *Ioanne Vverthio* Ciapella, Corbeia, Castelleto alijsq; nonnullis locis facile occupatis late terrorẽ vsq; Parisios circũtulit. Cęterum Rex Galliarum *Ludouicus* tot vndique inuadentium hostium strepitu excitus, euocata omni propè nobilitate in Picardiam progressus, Corbeiam, & alia nonnulla oppida recuperat; Inde Hispanos in Belgium, & hyberna reiecit.

Ratisponæ comitia. Inter hæc Cœsar simul curis, & ætate fractus, ingrauescente in dies valetudine, comitia Ratisponam coegit, Romanorum Regi creando. Conuenere *Ferdinandus* filius, Electores Moguntinus, Coloniensis, & Bauarus, legati Saxonis, & Brandeburgici. Treuirensis in custodia habebatur. Coram ipsis Imperator conuentus exposita causa, quòd ipse graui curarum onere fessus diu ampliùs tanto ponderi ferendo impar esset, proinde rogat, vt Electores sibi de socio laborum, imperio de Rege Romanorum prouideant, cui nihil luctuosius accidere posset quàm vt hoc turbatissimo rerum statu, sine rectore, ac capite relinquatur. Iam Deus cum prouiderit, & ad tantum fastigium designauerit *Ferdinandum* filium Hungariæ Regem inter regni gubernacula natum, ac inter victoriarum palmas enutritum, quarum ipse præcipua causa fuerat, cæso apud Nordlingã Suecorũ vt exercitu, ad obsequium Germania subacta; esset & ipsi Electores ne dedignarentur in superna descendere vota, vt quem Deus probauerat, homines non improbarent.

Ferdinãdus III. eligitur Rex Roman. Post varias consultationes tandem Electores, more maiorum, XI. Cal. Ianuar. iuere in vota ritu solemni, quibus *Ferdinandus III.* Hungariæ, & Boemiæ Rex, Romanorum Rex publicè in æde Cathedrali renunciatur. Anni postea venientis initio noui Regis coniunx *Maria Hispanica in Romanorum Imperatricem initiatur*; plaudentibus omnibus Germaniæ populis; ccxxvi è contra Galli in dies magis ferocientes vulgarunt, *Ferdinandum* Romanorum Regem vitiò creatum; non ambitu, ac prænhensatione eblandita suffragia, sed violenter extorta.

Saxones cæsi à Suecis. Expediebantur propterea vbiq; arma. *Bannerius* à Megalopoli profectus, iunctis cum *Vrangelio* copijs in Saxoniam mouet. Occurrere Saxones, vnà & *Hazfeltus* Cæsarei exercitus ductor; & pari audacia conflictum inter vtriusque partis equitatum. Sueci simulato in saltum vicinum receptu, repentino in hostium terga volatu; postremi agminis terga ensibus pulsant; quo improuiso impetu territi Saxones, duabus peditum legionibus amissis, fugam capescunt. Receptis tamen iterum animis sistente se fuga audaciores in pugnam redeuntes, prælium restituunt; porro præualentibus Suecis, Saxones in quædam eminentiora loca aggeribus, loricisq; munita assilientes, vndiq; ferociter Suecos strenuè repulerunt, amissis tamen duobus militum milibus, quadringentisq; impedimẽtorum plaustris. Hoc facinore elatus *Bannerius*, cum vniuerso agmine prouectus, vt Cęsareis iter intercluderet, eos assequi non potuit; quia illi dessantis ordinibus, Albi ad Verbenum iterum superato, in vicinos Lipsiæ pagos concesserant: vt ibi Germanorum subsidia exciperent. *Bannerius* verò Helmestado & Eghebo non procul à Magdeburgo occupatis, populabundus irruebat, latrocinia magis, quàm bella gerens.

MORS FERDINANDI II. IMPER. Ann. 1637.

ccxxvii RAtisponensi comitio Viennam reuersus Imperator, iam pridem mala corporis valetudine affectus, integris sensibus, & magna in Deum pietate ex hac vita migrauit annũ ætatis agens quinquagesimum nonum. *Religio.* Princeps virtutibus omnibus ornatissimus religionem ita præhabuit, vt ferè omnia bella prò restituenda auita fide, cum plurima atrocissima tulerit, susceperit. Adolescens in Italiam profectus, *piũ votũ.* Lauretanę Deiparæ omnẽ operam suam in reuocandis ad orthodoxã religionem populis sanctè vouit. Imperator verè magnus, cui benè conueniunt elogia *Siracidæ* de Rege Iosia Eccl. 49. quòd *directus fuerit diuinitùs in pœnitentia*

Sal. An. *gentis, tulerit abominationem impietatis, guber-*
1637. *nauerit ad Dominum cor ipsius, & in diebus pec-*
catorũ corroborauerit pietatẽ. Tanta in eo erat in
CCXXVIII *fiducia* Deum fiducia? vt nunquàm de victoria hæsita-
in Deum ret. Belli Ducibus adeo religiosa erat *Ferdinãdi*
religio- oratio, vt dicerent: *malle se, vt supplex Ferdi-*
nis amor. *nandus ad Virginis aram accederet, quàm vt sce-*
lectorum militum millia ad hostem pugnaturis
submitteret. Religionis defendendæ causa ita
ardebat; vt priùs fasces, & coronas ponere; pa-
CCXXIX ne solo, & aqua vitam trahere; cum coniuge &
liberis, scipione prò sceptro instructum, ostia-
tim stipem exigere, infrusta à carnifice concidi,
ac discerpi, quàm vllã Deo vel Ecclesiæ iniuriã
tolerare. Et certè verba hæc vt in facta transi-
rent, nunquàm defuit *Ferdinandus*. Deo ho-
mini in Eucharistico solo in publicum prodeun-
ti comes adfuit semper, cum potuit. Tu-
mente aliquando ob facis pondus dextera, ne
idem die altera faceret, monitus *Superest (ait) ad*
hue manus altera, qua Deo seruiam. De promo-
uenda Religione cum sermo recurreret, dixisse
fertur. *Si mea morte Catholicam religionem pro-*
mouere possim. Oro Deum, vt publicè coram toto
Mundo ab infami carnifice capite plectar.

CCXXX *Iustitia, ac Clementia*, opum honorumque
Iustitia, contemptu liberalitate ac munificentia & mise-
Clemen- ricordia in pauperes ita excelluit, vt labor sit in
tia. numerum cogere templa, & in calculum reuo-
care aras, atq; cænobia, quæ erexit, vel auxit
pietas *Ferdinandi*. Illud citra controuersiam,
Ferdinandum pia sua munificentia, & munifi-
ca pietate, solis in Hungaria Diuis, nemini in
Bohemia Regum, nulli in Germania Cæsarum
secundum fuisse. Tot inter virtutes vna ab ini-
quis censoribus vitium audijt Clementia, vnde
diceret vulgus, *ad magnitudinem amicitiæ Cæ-*
saris præstare, priùs offendisse. Vlli hostium male-
dixisse nunquàm auditus, imò sępè in colloquiã
castigauit imprudentiã cauillantis, & sermonẽ
aliò diuertit. Laborum patientissimus, sæpe
dicere solebat, *id se maximum à Deo beneficiũ*
accepisse, quòd in tanta negotiorum multitudine,
labores amaret. Venatio frequens illi erat ad
corporis exercitationem. Musica ad animi ob- CCXXXI
lectationem. Castitatis, & continentiæ cultor *continẽ-*
præcipuus, vt cum nulla vnquàm etiam princi- *tia.*
pe fæmina locutus sit, quàm tota aula teste, aut
si res secretũ exigeret, ipsa saltem Augusta con-
iuge in colloquium aduocata; quod vsque in fi-
nem vitæ seruauit hoc viuum Pietatis, & sancti-
tatis exemplar, incredibili animi æquabilitate *constan-*
semper sui similis, vt nec secundis efferri, nec *tia.*
aduersis deprimi vnquam visus sit.

Formam corporis dicunt fuisse sanguineam, CCXXXII
mediocris staturæ, aspectu maiestatis pleno; vt
qui in ipsius benigno vultu figebat obtutũ nescio
quo occulto amoris illicio in eius amorẽ & vene-
rationem traheretur. Denique huiusmodi erat,
vt nec optare meliorem principem, nec habere
Christianus orbis potuisset: Et oppido vniuersus
Orbis indoluit, Bijzantij etiam permittente
Amurathe ob Oratoribus Principum parenta- CCXXXIII
tum est.

CAPVT TERTIVM.

Fiducia in Deo.

Quantum possit? pietas docet *Ferdinandi II.* cuius honore sequens adornatur elucubratio.

1. 5. 7. 8. *Fiducia in homine pessima.*
2 *Marij cunctatio quantũ Romanis profuerit.*
3 *Inconstantia rerum humanarum. 13. sit constans si Deo adhæreat.*
3 *Deus solus regna transfert. 4. non est consilium contra Deum.*
3 *Iulianus apostata irridet Christum. 4. tentat reædificare synagogam, & non potest.*
3 *Dionysij obiurgatio in filium.*
6 *Socrates seipsum laudat.*
6 *virtus est pretiũ sui. 7. constãtia sapientis est.*
8 *grauior vindicta, si sera.*
9 *Pompeij vana fiducia.*
10 *Spes in Deo. 12. 15. symbola. 16. non debet esse negligens. 21. etiam pauper speret.*
11 *Princeps fortis, si adhæreat Deo.*
14 *Fortuna permanens Deus.*
16 *adstat vigilantibus. 17 semper adstat.*
18 *mors non timenda.*
19 *numquam desperandum de diuino auxilio.*
20 *cur de tribu Iuda vngerentur Reges in Israel.*

I *fiducia in* SI de diuino quis hæret proloquio, *Maledictus*
homine *homo qui confidit in homine. Psal. 50.* Cim-
pessima. bros, Theutones, atq; Tigurinos respiciat, cum
ab extremis Galliæ profugi, & nouas toto in Or-
be quærerẽt sedes, ad Romanum misere Senatũ
petentes aliquid sibi terræ dari quasi in stipen-
dium.

dium. Negante Senatu; armis petere constituerunt quod nequiuerant precibus; tanto impetu vt Silanus, Manilius, Cæpio ter victi, castrisq; exuti, Romanam penè perdidissent Rempublicam, nisi Marius illo seculo contigisset. Eo congredi vel protrahente, vel formidante, donec
II inuicta illa barbarorum consceneſceret rabies: Quibus tanta erat vrbis capiendæ fiducia, vt quid de Romanorum spolijs ad vxores suas mãdarent, consulerent. Cum ad radices Alpium occurris Marius & aquam, quæ deficiebat, quia fluuium hostes tenerent) Romano flagitanti exercitui respondens. *Viri estis: en illic habetis*, hac voce adeò excitauit milites, vt tanto ardore pugnarint, tantaq; hostium cæde, vt victor Romanus de cruento flumine non plus aquæ biberit, quã sanguinis barbarorũ. *Florus lib. 3. c. 3.*

Breues & mutabiles rerum sunt vices (aiebat Persarum Rex Darius) humanarum; nec vnquàm fortuna simpliciter indulget. *Curtius*,
III *inconstãtia rerũ.* Deus est, qui res curat humanas: & sine prouidẽtia superna non retinentur imperia. Humana fiducia, ruinæ non securitatis est limen. Omne cum sub regno grauiore regnum sit; *nemo confidat nimium secundis*, monet Seneca *in Thyeste*, Interrogatus Æsopus, *quid Iupiter in Cælo ageret?* respondit, *Excelsa deponit, depressa extollit.* Et Seneca

Sequitur superbos vltor à tergo Deus.

Sciscitanti *Libanio sophistæ*, & impij Iuliani in Ethnica religione magistro *Ecquid faceret fabri filius?* vt sarcastico scommate religionem irrideret Christianam; Vir quidam pius respon-
Iuliani impietas dit, *Huius vniuersitatis opifex Deus, quem tu per ludibrium Fabri filium nominas, parat Iuliano loculum*. Nec multi præteriere dies, cum fama de Iuliani morte aduolauit, eiusq; cadauer loculo impositum ad sepulturam defertur, *Nicephorus* Moriturus ille fertur manum suo impleuisse sanguine, eumq; in aerem proiecisse, & Christũ debellatorem suum rabidè allatrasse, *Vicisti, Galilæe, vicisti.* Galilæos enim per contumeliam Christianos nominabat. Ita simul & victoriam confessus, & blasphemiam euomuit: ita volente Deo, vt qui blasphemando vixerat, & blasphemando moreretur. Christianam cum legisset doctrinam, breui reddidit cũ inscriptione libellum. *Legi, cognoui, damnaui.* Nicephorus *lib. 10. c. 25.* Cui mox responderunt illi: *Legisti, non cognouisti. Si cognouisses, non damnasses.* Sozomenus *lib. 5. c. 8.* Quis gloriari potest in malitia, & confidere in iniquitate?

Flectere cũ nequeas Superos, Acherõta mouebis. *Destructi sumus, sed reuertentes ædificabimus, quæ destructa sunt*, Idumea iactabat apud *Malachiam 14.* Quibus Dominus: *Hæc dicit Dominus Deus exercituum. Isti ædificabunt, & ego destruã, & vocabuntur termini impietatis, & populus cui iratus est Dominus.* Eia certemus ambo (prouocat Dominus) ille vt excitet, & instauret: ego vt destruam, & euertam: vter potentior? Iulianus supradictus, dicat Apostata, quum hyppocrita, animoq; doloso Iudæorum synagogam instaurare molitus. *Ita ille quidem laborabat* (ait *Gregor. Nazianz. orat. 1 in Iulian.*) *sed terra quod elaboratum fuerat, excutiebat. Ille vehementius adhuc obnitebatur, hac hominis ægra pietate præditi fundamenta capere detrectabat.* Mortui tan- IV
dem Apostatæ nulli funus deduxerunt, nisi multitudo scurrarum, empęctarum, & nequissimorum hominum, qui in exequijs saltantes gingrinis tibijs, apostasiam exprobrantes exclamabant, *Maxime fatue, vbi nunc vaticinia tua; Vicit Deus, & Christus eius.* Non est prudentia, non est sapientia, non est consilium contra Dominum. *Prouer. 21.* Qui celeres aquilas anteuertit, leones eneruat fortes, auxiliatores premit potentes. Vbi diuina prouidentia non commilitat consilijs hominum: nec vir consultus, consultus; nec fortis, fortis: sed etiam sapientissima consilia insipienter desinunt. *Non glorietur sapiens* (ait Dominus per Ieremiam prophetam) *in sapientia sua, non glorietur fortis in fortitudine sua: non glorietur diues in diuitijs suis, sed in hoc glorietur qui gloriatur, scire & nosse me: qui ego sum, qui facio misericordiam, & iudicium, & iustitiam in terra.*

Domitiani illud Imperatoris recogita somnium ob immanitatem, & flagitia iam iam perituri, cuius sic meminit Suetonius in eius vita c. 15 *Mineruam, Dionysio quam superstitiosè colebat, somniauit excedere sacrario, negantem vltra se tueri eum posse, quod exarmata esset à Ioue.* Veritatem habes in somnio. Exarmat quippe Deus humanã sapientiam, humanam potentiam, & sapientissimi Achitophelis consilium infatuat, cum principem ob peccata perdere statuit. Attendite Principes, humiliamini fortes sub potenti manu Dei. Sit vobis virtus in clypeum, & in murum Iustitia. Dionysio obiurganti filiũ, qui cuiusdam Siracusani stuprarat coniugem, nec tam indignum facinus in parente audisset, vel vidisset; cum respondisset filius, *Verè pater, hoc abste numquàm audiui, sed patrem Regem non habebas.*

bas. Redarguit parens: *Nec tu filium Regem habebis; nisi hæc facere desinas*. Ita contigit: patri cum successisset, mox Syracusis pulsus, Corinthi ludum aperuit, vbi tympana pulsando, & modulando vitam exegit. Agnosco fiduciam vt grandis animi argumentum, & virtutem impauidi, qui innocentia fretus, tyrannorum vincula spernit. Socrates, quùm iudices inter se disceptarent, qua pœna dignus esset: *Ego* (inquit) *ob ea, quæ feci dignum me censeo, qui ex publico alar in Prytaneo*. (Honoris locus, qui daretur de Republica meritis) Meritum agnoscens, cum remuneratorem non haberet; ipse sibi parauit meritum, designauit præmium. Fuit virtus virtutis pretium. Antigenidas cum scite canens populos minùs probaretur, *Mihi* (inquit) *cano & musis*: admonens prorsùs esse contemnendum imperitæ multitudinis iudicium, quòd artis abundè magnum præmium sit ipsa conscientiâ. Supra fortem sperat, qui fortunam virtuti quærit propitiam. Anacharsis ex Græcorum Athenæo reuersus in patriam, Scytharum leges reformare satagens, in venatione à fratre occisus occubuit, & moriens ita fatur: *Ob eruditionẽ meam incolumis è Græcia missus; nunc per inuidiã in patria trucidor*. Gemina virtus, quæ mereri sciat, & in aduersis constantiam non ignoret.

vt Socrates seipsum laudat.

Virtus pretium sui

vii Æmula laboris patientia, quæ virtutem non tã acquirere, quàm seruare doceat, & animi moderatione se supra fortunam erigat, vt & prouocatus irrideat. Pusillanimis tamen quandoq; est iniustam ferre repulsam. Lapidem mordere, vt faciunt canes quando percussi, brutale est, nec vindicat sed auget offẽsam confessione doloris. Percussorem non repercutere, quia vacua dentibus ora contingant, parcere est sibi non hosti quia potentiori. Cæterum iniustam non ferre repulsam, si vim repellere animus sint & vires, indolem existimo excelsam. Iulius Cæsar, quum Romæ Maximi Pontificis dignitatem ambiret competitore Q. Catulo, primæ apud Romanos dignitatis ac potentiæ viro, matri ipsum ad fores deducenti: *Hodie* (inquit) *ò mater aut Pontificem maximum habebis filium, aut exulem*. Excelsa indoles, omnisq; repulsæ impatiens. Sit porrò modus in rebus, & respice finem: Animi comprime magnitudinem, ne supra vires se excollat; & vana fiducia pereat, quia timere, vel præuidere & prouidere neglexerit. Maximinus quum nimium fideret corporis viribus, histrio quidam eum hisce arguit carminibus

Elephas grandis est, & occiditur,
Leo fortis est, & occiditur,
Tigris fortis est, & occiditur;
Caue multos, si singulos non times

Qui ab vno occidi non potest, à multis occiditur. Si vis timeri, time. Nulli faciliùs opprimuntur, quàm qui nil timent. Vt plurimum, qui nullum vnquàm timuit.

Non expectato vulnus ab hoste tulit.

Temeritas multis est causa malorum, aiebat Menander. Superba est fortitudo, si pericula contemnat, & prouocet.

In vento scribit lædens, in marmore læsus.

Vindicta nunquàm marcescit, imò acerbior quę maturior. *Tarditatem, supplicij grauitate compensat*. Quid quisque vitet, nunquàm hominis satis. Vndique angustiæ. Omne culmen suas monstrat ruinas. Mortalis (fabulosus licet fores Argus) non satis cerneres, Natura duos tantùm fronti oculos apposuit, vt millenos menti aperiret. Fabij maximi Romanam extulit Rempublicam metus: Caij Flaminij fiducia penè subuertit. Timendo aliquis victor euasit, nemo temnendo. *Spes metum sequitur*. viii *grauior vindicta si sera*

Ne timens, timuisse decet. Timor ille probãdus,
Tempore qui incolumes nos facit esse suo.

Pompeius, quibusdam hæsitanibus, quomodò posset Cæsari sustinere imperium, hilari vultu prohibens illos esse solicitos, inquit. *Simul ac solum Italiæ pede pulsauero, exilient affatim equestres, pedestraq; copiæ*. Præsens quidem animus (ait Plutarchus *in apoph.*) sed minimè fortuna respondit. Fortunam porrò Pompeio aduersam Lucanus excusat *lib.* I. Est quisque faber fortunæ suæ.

Pompeij vana fiducia.

Tu noua ne veteres obscurent acta triumphos
Et victis cedat piratica laurea Gallis,
Magne times: te iam series, vsusq; laborum
Erigit, impatiensq; loci fortuna secundi.
Nec quenquam iam ferre potest, Cæsarue priorem,
Pompeiusue parem; quis iustius induit arma?
Scire nefas: magno se iudice quisq; tuetur:
Victrix causa dijs placuit, sed victa Catoni.
Nec coiere pares: alter vergentibus annis
In senium longoq; togæ tranquillior vsu
Dedidicit iam pace Ducem: famæq; petitor
Multa dare in vulgus: totus popularibus auris
Impelli, plausuq; sui gaudere theatri:
Nec reparare nouas vires; multumq; priori
Credere fortunæ. Stat magni nominis vmbra.
Qualis frugifero quercus sublimis in agro
Exuuias veteres populi, sacrataq; gestans

Dona

Dona ducum: nec iam validis radicibus herens
Pondere fixa suo est: nudosque per aera ramos
Effundens trunco, non frondibus efficit umbrã:
At quamuis primo nutet casura sub Euro,
Tot circum siluæ firmo se robore tollant,
Sola tamen colitur. Sed non in Cæsare tantum
Nomen erat, nec fama ducis: sed nescia virtus
Stare loco: solusque pudor non vincere bello.
Acer, & indomitus; quo spes, quoque ira vocasset;
Ferre manũ, & nunquã temerando parcere ferro;
Successus vrgere suos: instare fauori
Numinis: impellens quicquid sibi summa petenti
Obstaret: gaudensq; viam fecisse ruina.
Qualiter expressum ventis per nubila fulmen
Ætheris impulsi sonitu, mundique fragore
Emicuit, ruptq diem, populosq. pauentes
Terruit obliqua præstringens lumina flamma:
In sua templa furit: nullaq. exire vetante
Materia, magnamq. cadens, magnamq. reuertens
Dat stragem latè, sparsosq. recolligit ignes.
He ducibus causa suberant.

x *Fiducia in Deo.* Vana itaque fiducia Pompeium impulit in exitium. Securitas cum in rebus secundis nutrix insolentiæ esse consuerit, vnum ei potest obstare repagulum, Timor Dei. Interrogatus Euchratides, *quali in vrbe quis securè habitare queat? Vbi* (respondit) *iustitia viget, & iniustitia languet.* Plutar. *in apophteg.* Parum interest altissimis muris cingatur ciuitas, si interna proditur impietate

Extruite immanes scopulos, attollite turres
Non dabitis murum sceleri.

Confœderationibus, opibus, munitionibus nemo nitatur: cum nihil tam potens in terris, tam fortunatum ac validum sit, quod humanum non sit, vt Iudæi sidentes Ethnicorum fœderi infeliciter sunt experti. In Deo spem habeas, non viribus humanis, quæ sine Dei ope vanæ sunt. *Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in homine. Bonum est sperare in Domino: quàm sperare in Principibus: Psal.* 117. Lemma fuit super Elephantem, qui recisa arbore, cui adhærebat, iacens non potest surgere:

Arboris ad truncos Elephantis carnea moles
Applicat, vt releuet nocturno membra sopore.
Proh miserum; quippe arbor erat præcisa latenter
Arte venatoris; fulcro ceciditque cadense:
Sic capitur, dum stare nequit, mansuescere discẽs.
Discite Mortales nullis hærere Potentum
Truncis deficient, caditisq. cadentibus ipsis;
Imminet heu casus; spes omnis in arbore fallax.

In Silo congregati Iudæi, vt Numinis figerent tabernaculum, Deumque humanis præesse rebus testarentur religiosis sacrificijs, & legalibus cæremonijs: *Congregati sunt omnes filij Israel in Silo, ibiq. fixerunt tabernaculum testimonij. Iosue c.*18. Quid tunc? *Et fuit eis terra subiecta.* Pacatum possident regnum, dum figunt Numinis tabernaculum: illos hostibus effecit religio terribiles, & de religione præ armorum potentia cunctis hominibus commendabiles. Pugnaturus Dauid aduersùs Goliat, *Tu venis* (inquit Dauid) *ad me cum gladio, & hasta, & clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum.* 2. *Reg.* 17. Hac fiducia turbauit Ionathas Philistinorum castra solus cum armigero suo, dicens: *Non est Domino difficile saluare vel in multis, vel in paucis.* 2. *Reg.* 14. Sic Iudas Machabæus ad milites suos: Non in multitudine exercitus victoria belli, sed de Cœlo fortitudo est. 1. *Mach.* 3. *In Domino confido* (aiebat Dauid, repetebat Ferdinandus II. Imperator) *quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer? Psal.* 10. Non semel regio honoratum lego titulo Christum; Cum in tugutiolo nascitur, Magi inuolant, & excitis liberisque vocibus recens natum *Regem* proclamant: *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum?* Inuidus tamen Herodes, Regis obliterato titulo, *puerum* vocat, splendorem Maiestatis obscurat: *Ite, & interrogate diligenter de puero:* modò puer, qui antea Rex. Hic idem, cum cruci penderet affixus, regis titulo coronatur, *Hic est Rex Iudæorum.* Titulum iterum obscurare aggressa inuidia, strepit furens, *dicebant ergo Pilato Pontifices Iudæorum: noli scribere, Rex Iudæorum. Io.* 19. Verùm irritus potentiæ conatus tituli militauit gloriæ, vt non solùm cruci affixus regalibus coronaretur litteris; sed etiam ipse titulus redimeretur victorijs. Stetit Pilatus pro veritate, qui steterat pro iniustitia; & qui iniquus abstulerat vitam, adduci non potuit, vt obscuraret tituli gloriam; *Quod scripsi, scripsi.* Sed cur recens nati regalem titulum expungit malitia, quem ligno Crucis affixum turbare nequit sacerdotum perfidia? Quia adhærebat cruci (quæ religiosæ victimæ ara erat) respondet Paulus *Heb.* 19. *Per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo.* Templo inhærebat titulus, ara fulciebat coronam, sacrificium maiestatem: hinc perstat immobilis: vt discant Principes suam augere, & æternare fortunam de exhibita Numini reuerentia, de religionis studiosè culta obseruantia. *Beati omnes qui confidunt in eo. Psal.* 2.

Al-

XI Alphonsus I. Aragonum Rex filium Ferdinandum ita instruebat, *Militares artes tibi profuturas scito, cum Deum tibi pietate, ac iustis factis reddideris propitium. Eum igitur, si vincere expetis, pura mente colito, spemque omnem victoriæ in eo reponito.* Barthol. Facius *lib.* 1. *Histor.* Optima regiminis ratio eo est in cardine, vt Dei quærat auxiliarem manum. *Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam; Psal.* 126. In Absalonem cum validas instruxisset Dauid phalãges, ducẽ quæres militiæ, ad dominum inquit, *Domine Deus in te speraui: saluum me fac ex omnibus persequentibus me. Nequando rapiat vt leo animam meam, dum non est qui redimat, neque qui saluum faciat; Psal.* 7 At qui collegit exercitum, & multos secum habet, dicere non potest (ait Chrysostomus) *Non est qui redimat, neque qui saluum faciat?* Fortissimo munitus exercitu, tota regnorum suorum fortuna subnixus, quasi inermis; & sine præsidio, *non est qui redimat, clamat*! Mysterium mysterio pandam. Syriæ Rex cum nihil illi succederet, sed Ælisæi causa, eius proderentur consilia, seriò statuit Prophetam de medio tollere. Dotham (vbi degebat propheta) copiosis militum agminibus cingit, cumque nullum remaneret effugium, Prophetæ famulus conspectis inimicorum turmis, de Elisæi suoque capite actum plangens, domino anxius discrimen renuntiat. Famuli porrò metum Propheta comprimit, seque fortioribus asserit obarmari militibus. *Plures* (inquit) *nobiscum sunt, quam cum illis.* Sed vnde plures fabulatur propheta, dum vno stipatur famulo aduersùs innumeras Syriæ phalanges? trepidus seruus, & de vita sollicitus socios, si qui sint, circumspicit; nec videns quasi delirum herum redarguit. Tunc Elisæus vt metum prorsùs à famulo arceat, nouos indit oculos, & periculo obturbatum oratione clarat adspectum. *Domine* (inquit) *aperi oculos huius, vt videat. Et aperuit Dominus oculos pueri, & vidit; & ecce mons plenus equorum, & curruum igneorum.* 4. *Reg.* 6. Cœlites descenderant in subsidium. Homo Elisæo non erat; erat Deus, exercituum Dominus, vnde propheta meritò gloriatur, *plures nobiscum sunt, quàm cum illis.* Modò habes cur Dauid fortissimo munitus exercitu, & tota regnorum fortuna subnixus, quasi inermis clamet, *non est qui redimat, neque qui saluum faciat.* Quoniam (respondet Chrysostomus) *ne vniuersum quidem orbem terrarum auxilij loco habet, nisi opem diuinam fuerit assecutus, nec se esse ducit in solitudine, licet solus sit, si sit illius auxilij particeps, & ideo dicebat. Non saluatur Rex per multam virtutem.* Totum belli, pacisque momentum ab vna virtute, cui auxiliaris Dei manus semper adest, omnino dependet. Totus Orbis ad eum saluandum, quem Deus oppugnat, siue ad eum expugnandum pro quo ipse pugnat, vel hilum valet. *Vitium etsi secum habeat vniuersum orbem terrarum, est omnium maxime imbecillum. Virtus etsi sola sit, est omnium potentissima: habet enim Deum secum stantem. Quis ergo seruare potest eum, qui à Deo oppugnatur? Quis autem potest perdere eum, cui ipse fert auxilium?* Antoninus Imperator quamuis Ethnicus, cum ab amicis argueretur, importuna clementia se gerere cum Accidio Cassio, qui in eum rebellauerat. *Quid si ille vicisset?* obiurgabant; ipse diuino fidens Numini, *Non sic Deos colimus, nec sic viuimus, vt ille nos vinceret.* Principes omnes, qui occisi sunt (aiebat apud *Vulcatium* idem Antoninus) habuere causam, quibus mererentur occidi; nec quisquam facile bonus vel victus à tyranno, vel occisus. Meruit Nero, debuit Caligula, Otho, Vitellius nec imperare debuerunt. Non Augustus, non Traianus, non Hadrianus, potuere à rebellibus superari, cum multi fuerint ab ipsis vel inuitis, vel inscijs extincti.

XII *Princeps in Deo confidat.*

Scalam conscende, quam tibi per somnium Iacob effingit. Rerum namque humanarum constantiam solummodo in somnis videre fas est. *Vidit in somnis scalam stantem super terram; & cacumen illius Cælum tangens, Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes super eam, & Dominum innixum scalæ. Genes.* 28. Quid sibi volunt Angeli descendentes & ascendentes? Reges sunt hi, quos ludendo deprimit potentia suprema. Iuxta humanam vicissitudinem nemo ascendit, nisi alter descendat. Altissima sit scala siue natalium splendore præfulgeat; siue armorum clypeo superbiat, descendere tamen est opus. Eodem tempore cum vides *ascendentes, & descendentes* occurrunt; ita mortalis conditio ludit. Ex plebeijs Principes; plebeij ex Principibus fiunt; pauperes è diuitibus, e pauperibus locupletes mutatione pulcherrima humanam exornant vicissitudinem.

XIII *humana vicissitudo.*

Fortunæ mirare iocos de paupere diues
Fit, qui necnon de diuite pauper erit.
Vix ridet diues vel subito cum flere tenetur
O nuper, sors homini proh mala quanta parit.

Si hæc est via rerum humanarum accliuis, de-

decliuisque, incerta, obnoxia casibus, per scalam illam significata? cur firma stare dicitur? *Vidit scalam stantem* ? forsam instabilitate constans?

Constantem fortuna rotam tunc esse fatetur,
Cum verijs semper ducitur illa modis.

Quali inhæreat (perpende) fulcro. *Erat Dominus innixus scalæ.* Angulari lapide solidata humanitas, *stabat*. Omnipotentiæ innixa humeris durabat: & germana *manentis fortunæ* pictura, quam sibi somniarunt Romani, cœlesti exarata penicillo, Iacobo monstratur, vt inde disceret, in quo speraret. *Ego Dominus Deus tuus* (dormienti Iacobo insonat Deus) *Terram in qua dormis tibi dabo, & semini tuo. Eritque semen tuum quasi puluis terræ: dilataberis ad Occidentem, & Orientem, & Septentrionem, & Meridiem &c. Et ero custos tuus quocumq. perrexeris.* Dormientis in sinum non Fortuna fallax, sed Prouidentia verax regna proijcit. *Terram in qua dormis, tibi dabo.*

xiv *Fortuna permanens Deus.* En Fortunæ gemina imago. *Permanentis* est prima, quam sibi apud Plutarchum *lib. de Fortuna Rom.* finxere Romani, quasi destructis Persis, & Assyrijs; Macedonia domita subacta Carthagine, *postremò in palatium se conferens, traiecto Tyberi, positis (vt credere par est,) alis, excussis talaribus, abiecta instabili, vestigiaque fallente pila, ita Romam ingressa fuerit, vt constanter permansura.* Altera est *Satagentis*, & *sollicitæ*, quam confingebant Gentiles in dormientis sinum opes, honores, imperia reponentis. Profanum herclè *fortunæ* nomen, & Prouidentiæ inuisum; sed odioso nomine liceat & sana Gentilium explicare mysteria. Seniori Theodosio, eiusque filio Honorio quid caneret Claudianus, & cui tantorum Cæsarum adscriberet triumphos, lege.

Victoria velox
Auspicijs effecta tuis: pugnastis vterque
Tu fatis genitorq. manu, te propter & Alpes
Inuadit faciles: cauto nec profuit hosti
Munitis hæsisse locis, spes irrita valli
Concidit, & scopulis patuerunt claustra reuulsis:
Te propter gelidis Aquilo de monte procellis
Obruit aduersa acies, reuolutaque tela
Vertit in auctores, & turbine repulit hastas
O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Æolus armatas hyemes, cui militat Æther
Et coniurati veniunt ad classica venti.

Vrgeant hostes, deficiant amici, coniuret cum Dœmone terra; *non timebo mala, quoniam tu mecum es: David psal. 22. 4.* Nauem Pinge impactam syrtibus, texe crucem in acatio, inscribe desuper *Aderit mox ventus, & vnda.* xv *Diuinæ fiduciæ symbola.*

Diuina hæc est fiducia, *In Deo speraui, non timebo quid faciat mihi homo. psal. 55. n. 2.* Super anchoras decussatas, medio Sole *Christo duce* sculpsit Richardus I. Rex Britanniæ, vel cum Richardo II. *In hoc ego sperabo: psal. 26. 3.* Itidem fuit, qui pinxit sub lemmate, *Diuino fœdere tutus*, vt in Domino spem describeret. *In te Domine speraui, non confundar in æternum. psal. 70.*

Humana porrò non sit sed superna fiducia nostra. Timore illa plena est, vnde Seneca *ep. 5. Desines timère, si sperare desieris. Spem metus sequitur.* Hæc autem plena gaudio: Vnde Paulus *Deus spei repleat vos omni gaudio. Rom. 15.* Beata spes est, si de Domino Christo: *expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei; ad Tit. 2.* Confidant itaque, sed ob securitatem non torpeant: gemini namque vitandi sunt scopuli, improuida confidentia, & exanimis ignauia. Mens dum iusto plus trepidat, confidentiam obscurat: qui nimium fidit, desidiam fouet. *Viri sancti* (ait Magnus Gregorius *lib. 9. in Iob. c. 18.*) *ita incerti sunt, vt confidant, atque ita confidunt, vt tamen ex securitate non torpeant.* Sapiens Salomon lectulum fabricat, vbi placidissimè dormiat: sed custodiæ exercitum apponit solicitus: *En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi. Cantic. 3.* Imitanda sapientia; sic fidit, vt timeat; sic timet, vt quiescat. Miscuit prudens angustiam, & confidentiam. Confidit in Deo, sed Deum inuocat xvi humilis & solicitus. Miscet timore fiduciam, & incertitudinem attemperat confidentia, vt nec ignauia timore torpeat, nec imprudentia nimis confidat; vt apud Salustium Cato exprobrabat Romanis, quia coniuratos in patriam sinerent impunitos: *Sed inertia, & mollitia animi, alius alium expectantes cunctamini: videlicet Dijs immortalibus confisi: qui hanc Rempublicam in maximis sæpe seruauere periculis. Non votis neque supplicationibus muliebribus auxilia deorum parantur, vigilando, agendo, benè consulendo prosperè omnia cedunt. Vbi socordiæ te, atque ignauiæ tradideris, nequidquam Deos implores: Irati, infestique sunt. De Coniurat. Catil.*

Fidendo itaque vigilet; & excubando speret. xvii
Leprosi illi, qui occurrerunt Domino Iesu, vt sanarentur iussi se ostendere sacerdotibus, *dum irent, mundati sunt. Luc. 17.* Mundantur, sed

dum itent. Minimè sedent desides,& ociosi,sed seduli pergunt, & vigilantiæ fructu, medio itinere salutem integram consequuntur, priusquàm se ostenderent sacerdotibus. Bona eo gradu veniunt,quo pergit pes confidentis. *Omnis locus,quem calcauerit pes vester, vester erit: Deut.2.* Vbi Bernardus *ser. 32. in Cant. Quemcumque locum calcaueris pes vester, vester erit. Magna si quidem fides magna meretur, & quatenus in bonis Domini fiducia pedem porrexeris, eatenus possidebis.* Repulsam fiducia nescit. *In te sperauerunt,& non sunt confusi:psal.21.6.* Hanc spem tenentes, seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Credamus quod qui hæc omnia creauit integra,possit reparare perdita. Consolamini pusillanimes,iam nolite timere, ecce Deus vester veniet, & saluabit nos. *Deus ad- per adest.* Nulla pressura nos terreat, nulla calamitas frangat: Dominus in proximo est, & pastor noster circa nos est. Etsi metuimus,clamemus ad pastorem nostrum, vt nos audiat. Clamemus in punctione cordis,dicentes: *errauit* sicut ouis, quæ perijt,require seruum tuum Domine. Tu spes mea, tu portio mea in terra viuentium. Numquid pastor noster, qui animam suam posuit pro ouibus suis, dimittet nos diutiùs errare,aut à feris,vel à bestijs dilaniari atque consumi?absit. Quinimo relictis in deserto nonaginta nouem, perrexit vnam ouem quærere perditam. Nec quia clamantem (notat *Augustinus de salutarib. documentis*) audiuit, ideo perrexit;sed antequam clamaret. Quid itaque prodest ante tempus cruciari,& inani prouidentia erumnis occurrere? Multa mala, quæ nō essent, sunt quia timemus. Stultum est fallacibus credere signis, quæ malum prænuntient, & falsis terreri imaginibus. Sæpè fallaci coniectura decepti,pericula dubia detorquemus in peius. Sed demus secura discrimina:est qui redimat,Deus qui saluos nos faciat. *Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis.psal. 118.n. 6. In te sperauerunt patres nostri, sperauerunt, & liberasti eos. 21.5.* Quid si non adueniat,& gradu calamitatis viam aperiat virtuti; vt per mortalia & caduca consequaris æterna? Stultum est ea timere,quæ vitare non possis. Stephanus inter lapides Deum animo præcatur pacato. Laurentius exultat in flammis: & se vltro in rogum proycit Apollonia Virgo. Sunt hi martyres Christi, quorum anima amore ardebat æterno. Cruciatus poscebant, & tyrannis insultabant, vt pati possent pro Iesu licet peiori tyrannide ne martyres caderent, ferrum quandoque prohiberent tyranni, vt de impio Iuliano legitur,quùm carnifici prohibuit,ne *Romanum* feriret, ne palmam consequeretur martyrij. Iratus verò exclamauit Romanus. *Romanus dignus non fuit, qui Christi martyr diceretur.* Sozomenus *lib. 5. c. 17.* Philosophos si obijcias XVIII Socratem, Anaxarchum, Senecam non timuisse mortem,& turbam irrisisse carnificum: redarguo,si tantum potuit naturæ lumen, quid debet gratiæ? Sub tormentorum pompa, quæ stultos territat,mortem non formidauit Gentilis:& Gentili Christianus deterior panico terrore vexabitur, vt laruam timeat,& mori trepidet,postquam in mundum venerit,vt moreretur! deme rebus tumultum,deme personam, redde singulis faciem suam;nihil in illis terribile esse videbis,præter ipsum timorem: Si vno rectore,Fato Fata subduntur; Cur de diuina prouidentia dubij, fallaci & inani consilio, rerum seriem turbare, & præcidere homines præsumunt. Spe diuina humanus munitus animus confidat per hæc rerum discrimina ad illum finem perduci, quem illi ab æterno suprema sapientia destinauit. Tantum homo potest, tantum habet,quantum sperat,& credit. Clamet homo, clamet ad Deum, vt à malis ab eo liberemur,qui orandi thema,materiam petendi, supplicandi normam paucissimis verbis ipse tibi,qui tibi exorandus est, indulsit, vt ex hoc tu petendi sensum sumas; intellectum postulandi capias,mensuram colligas impetrandi; & breuissimo magisterio, orandi latissimam capias disciplinam: simul quia ad amoris iudicium Rex ipse officio functus est aduocati, vt preces quibus ipse responsurus erat, ipse dictaret. Cunctatio ablata est impetrandi omnis, imò fiducia collata est tota promerendi, quando ipsum se legit in precibus,qui rogatur. Metus locum non habet,vbi à patre filius pietate interprete desiderat,quæ sancta sunt,impetrare. *Chrysologus ser. 70.* Placare si Deum quandoque non contingat;precari ne desinas,nec zelare pro Iustitia deficias. Facinorosi quidam ex tribu Beniamin cum peregrini Leuitæ vxorem incredibili furore libidinis vexassent,vt sub iugo moreretur venereo; reliquæ tribus in vnum congregatæ reos reposcebant à Beniamin. Cum negarentur;itum in arma. Quadraginta millia educentium gladium & paratorum ad pugnam inuenta sunt. Dux cum deesset, consuluerunt arcam Domini, *quis erit in exercitu nostro princeps*

xix *ceps certaminis contra filios Beniamin* quibus respondit Dominus: *Iudas sit dux vester. Iud.* 20. Tanto excitati duce, clypeoque armati non minùs ferreo, quàm iustitiæ, magno ardore vrbem oppugnare cæperunt. Quis crederet? Libido vicit, deuicta iustitia viginti duo millia virorum amisit. Planxere cœdem, non tamen facinus omisere, quod ad tutelam iustitiæ, & Deo inierant probante. Restituta Phalange, iterum consuluere arcam Dei, an fas esset iterum subire discrimen? *Quibus respondit: ascendite ad eos, & inite certamen*. Sed iterum debellati, militaribus impedimentis amissis, decem & octo millia exciderunt in ore gladij, quasi pugnarent aduersùs Deum. Quamobrem coeuntes in domum Dei, flebant coram Domino; & ieiunantes victimas obtulerunt & holocausta. Tertioque collecto milite, iterum consuluerunt Dominum; *Exire vltra debemus ad pugnam contra Beniamin, an quiescere?* Victus tunc Dominus Iudæorum fiducia, qui bis victi, adhuc fideles, & humiles sperabant in Domino, & pro iustitia zelabant, *Ascendite* (inquit) *cras enim tradam eos in manus vestras*. Inito certamine, tanta cæde grassati sunt Israelitæ, vt vrbe potiti, incendio sustulerint; nec hostium superesset, qui successoribus fidem faceret. *Ita Deo primùm quidem fauente secundo, & iubente* (exclamat Bernardus) *iusti iustum ineunt certamen, & succumbunt. Sed quo inferiores certamine, eo fides superiores inuenti sunt. Quid putas, de me facerent isti, si meo hortatu iterato ascenderent, iterato succumberent? Et tamen Israelitæ vnam, & alteram non reputantes frustrationem, tertiò parent, ac superant. lib. 2. de Consider.* Hinc discite Reges, de diuina non desperare prouidentia; etsi vitium quandoque præualeat virtuti, & arma cadant inermia, quamuis manu vibrentur iustitiæ. Ne à diui-

xx *cur de tribu Iuda Reges vngerentur.* no recedat consilio, quia non deseret, nisi eum deseras. Quàm fœlix sit, qui inter discrimina Dominum inuocat, clarè insonent Palestinæ Reges. Nemo fuit qui prior Hieronymo assequeretur mysterium, cur de tribu Iuda vngerentur Reges, vnde genesim Messias duceret? nodum soluit Hieronymus Oseæ manu c. 2. *Iudas autem testis descendit cum Deo.* Rubri maris transitum annuit; quum Pharaone insequente, & fugam Hebræo desperante, Moyses percussum mare diuisit, vt graderentur filij Israel per medium sicci maris. Nemo tamen erat, qui mendaci se crederet elemento. Seditionem meditantes clamabant. *Forsitam non erant sepulchra in Ægypto, ideo tulisti nos, vt moreremur in solitudine. Recede à nobis, vt seruiamus Ægyptijs: multò melius erat seruire eis, quàm mori in solitudine. Exod.* 14. Trepidabant Hebræi, ne rebus facillimè redeuntibus ad naturam suam, vnda frena laxaret, & terminos rumperet imperij. Solus Iudas diuino confisus consilio, inter vada descendit intrepidus, & terram nauigans, ac maria calcans, incolumis ex Salo transiuit in solum. Eius exemplum reliquæ æmulantes tribus cum sarcinis enatarunt innocuæ. Placuit fiducia Deo, qui adeo humano est delectatus obsequio, vt protinùs eodem in littore Iudam auctorem & ducem transitus, primum dixerit Patriarcharum, & Regem inaugurarit ad Orbis imperium. Quartus erat natiuitate inter Iacobi filios, sed imperium primus inuasit. Habuit posteros impios, Cœlo inuisos; sæpè punitos, ferè extinctos: sed confidentiæ merito inter descendentes Redemptorem habuit, qui in Iudæa passus, in Cælo regnat. *Cæteris tribubus* (inquit Hieronymus) *desperantibus salutem, & aut reuerti in Ægyptum, aut bellare cupientibus, solus Iudas fideliter ingressus est mare: vnde & regnum meruit obtinere.* Nimis longum esset, recensere quot diademata & thiaras Cœlum retulerit ijs, qui in passione socij, nec in morte sunt separati: sed confisi, & numquàm confusi, in Deo crediderint quòd vnà salus. Dei timore si mare calcas; non ipsum tumet, nec obruit, sed inter zephiros silet stratum, & nocentes demergit; *Adeamus ergo cum* xxi
fiducia ad thronum gratiæ, vt misericordiam consequamur. Heb. 4. Nemo quamuis pauper & egenus dubitet de auxilio superno. Confidant omnes, *quia in Domino sperans, non infirmabitur. psal.* 25. 1. Cum vidisset Ioannes librum signatum sigillis septem, anxius arcana legere quæ in eo claudebantur volumine, Leonem excitat, *Ecce vicit Leo de tribu Iuda, radix Dauid aperire librum. Apoc.* 5. vt sigilla solueret, sed in cassum. Frustra fatigante Leone, en agnus, qui cum accepit aperuit: ita diuina disponente clementia, vt Leo in specie agni librum aperiret; ne Leonis aspectu terrerentur fideles: quasi soli Leones Cœlum traherent in subsidium. Coronatorum primum spectate Dauidem: omnium felicissimum & miserrimum iuxta carneum Philistinorum propugnaculum Goliathem, quomodo vno lapide Rempublicam fundat, pendite: *Ego venio ad te in nomine Domini exer-*

cituum, inquit Dauid. 1. *Reg.* 17. hoc eſt, explanat Chryſoſtomus *homil. de Dauid*. *Tu venis ad me fidens in gladio, ego in Deo, tu in clypeo, ego in prece*. Myſticas Abrahami obſerua preces, *Loquar ad Dominum meum*. *Geneſ.* 18. Si Cæli & terræ Dominus eſt, quomodo Abraham Deum *ſuum* facit? Lippomanus reſpondit: *Obſeruantia ſimul, & fiducia ſupplicantis huiuſmodi pronomen meum congruit*. Fiduciæ ſecuritate Deum facit *ſuum*. Rogat, & quia impetrare non dubitat, *ſuum* dicit;

LIBER L.

CAPVT PRIMVM.

FERDINANDVS III. ET IV.

OCCIDENTIS IMPERATOR L.

§ *Ferdinandi III. ſcientiarum peritia.* 6. *idiomata callet.* 7. *tres habuit ſolumodò leges.* 8. *gladio donatur à patre.* 9. *eius honeſtas* 11. 15. 17. *victoria.* 12. *Ratisbonam expugnat.* 14. *virtutes.* 16. *pietas erga Sacram Hoſtiam.* 21. *nuptiæ.* 24. *electio in Cęſarem.* 34. *deuotio erga Deiparam.* 35. *ſpolia victoriæ ei ſacrat.* 37. *mors. verba in morte prolata. moneta.*

6 *Regis ſcientia qualis eße debeat.*

13 *Vvallenſteinij perfidia.*

26 *Ferdin. IV. quando natus.* 28. *quando mortuus.* 29. *votum de extirpandis infidelibus.* 30. *coronatur.* 31. *innocentia eius.* 32. *mors prodigio prædicitur.* 33. *ſymbolum.*

35 *Leopoldus ex gratia Deiparæ natus.*

36 *Pax Monaſterienſis.*

FErdinandi III. & IV. patris ac filij vno in ſymbolo habes effigiem: quorum in conſpectu *Honeſtas*, *Iuſtitia Commutatiua*, & *Diſtributiua* ſuſtinent Orbem, quia *Ferdinandus III.* dicere ſoleret ad filium, paucis ſtare regimen Orbis, & legum multitudinem diſſonare potiùs, quàm reſonare. Miſſa reliqua faceret, dumodò naturæ leges haberet præ oculis, *Honeſtè viuere*, *Alterum non lædere*, *Suum cuique tribuere*. Hæc Orbis eſt politia, quam impij *Macchiauellus* & *Bodinus* (quorum codices diſcerpti volitant) libidine deformarunt imperij.

ALLVSIO AD HIEROGLYPHICVM.

I.

LEgibus hiſce tribus dixit quod regitur orbis
Fernandus nato ac Imperij ſocio
Vis legis prohibere malum eſt & viuere honeſte
Lædere nec vllum, Ius dare cuique ſuum.
Iuſtitia & Charitas dilecti principis artes
Hæc ſunt arma quibus nulla nocere queunt.

Ægidius Peſſu Anglus.

II.

QVid ſibi vult iſtud par nobile fortè ſororum
Quarum vlnis mundi totius hæret onus?
Noſco; Diuarũ hæc iuſtiſſima, & altera honeſtas,
Auſtriaci vtramq; hanc excoluere Ioues.
His docet auſpicibus Cæſar, ceu legibus, orbem,
Et populum, & regnum maxima quæq; regi.

Franzinus. S.T.D.


Arnoldo van Westerhout Inventor.

FERDINANDVS III. & IV.

Salutis Anno 1625.

OCCIDENTIS IMPERATOR L.

ELOGIVM.

Veritatem à caula reuerfuram in aulam ne dubites,
Venit tibi princeps veritatis magifter:

V. *Anno ætatis 17. ſcientias omnes defendit publicè,*

Qui vbi arces deftruxit, Accademias erexit,
Minuiffe dicerem munitiones Imperij,
Si Palladi clypeus deeffet, & telum.
Prudentiùs cum dimicent capita, quàm manus;
Mufis ftipatus Apollo venit, euafurus in Martem
Tertius *Ferdinandus*.

VI.

Cum æque lædant Rex malus, vel ignarus,
Quorum alter prodeſſe cum poſſit, non vult
Alter cum velit, neſcit,
Sapere voluit fupra omnes,
Quia pro omnibus ſapere debet Imperator,
Plurium idioma gentium,
Omnia literarum excitauit genera.
Sufpexit in eo Theologus gratiam:
qua ſe Regi Regum ſubiectum agnoſceret.
Naturam Philofophus,
Probis ſimilem, improbis ſolùm diſſimilem.
Iurifta leges breui digeftas

VII. *tres habuit leges Ferdinandus,*

Honeſtè viuere, alterum non lædere, ſuum cuiq; tribuere.
Mores Ethicus,
quibus corruptum componeret Orbem.
Politiam Aulicus,
Ad Sacerdotij & Imperij concordiam.
Mundum Geographus
Vnius Auguſti deſcribendum imperio,
Mathefim
Vt diſcant Principes Cælum ſuſpicere.
Hæc rectè docere poterat *Ferdinandus Pius*,
Quia *Bene viuere* habuit à quo, & *Viuere*.
Iuftitiæ fimulachrum

VIII. *gladio donatur à patre,*

Vt *Ferdinando* mundus adoraret in puero:
Iam ab horofcopo libram habenti,
gladium addidit *Ferdinandus*,
In bonorum laudem, in malefactorum vindictam:
Imò & gladio addidit brachium fuum
Vt nodum Gordium Germanicus Alexander
Et ferro folueret, & ingenio:
Ac phanaticam religionem libellis pungeret, bellis expungeret;
In feipfum bellum exorfus,
Animam catenauit vinculis honeftatis,

IX. *honeſtas Ferdinandi.*

Regum antiquato iure
Si libet, licet,
Refcripfit
Non omne quod licet, honeſtum eſt.

Li.

Salutis Anno.

Licentiam execratus Libidinis,
Quæ Reges facit seruos
Viuere, & Mori voluit, qui natus erat
Vnius Dei famulus, cætera liber.
1632. Vesana Hæresis bestia licet caput amisisset,
Cum adhuc morderet frenum suum:
Extincto per patrem Rege, eam armatur filius in legem, X. *occisus Gustauus Rex Sueciæ.*
Qua meminerat laniatam patriam, saucium patrem, occisum Deum.
Rhenus, Danubius, Albis, Menus, Visurgis XI. *Victoria Ferdinandi III.*
pleno vbere dilecto puberi
laureati immurmurant victoriarum prodigia.
Donauerda, Nordlinga, Vbeslinga, Norimberga
Augusta, Vormatia, Friburgum,
aliæque innumeræ victori frontes inclinant turritas.
1634. Tàm sibi, quàm *Ferdinando* tunc *Mala*, *Ratisbona*
(Militare hoc *Ferdinandi* tyrocinium) XII. *Ratisbonam expugnat.*
aditum Germanæ reserauit victoriæ,
Postquàm *Fridlandi* perfidia ex suis sedibus conuulsisset.
Frequentes laureæ victorem dementarant superbum XIII. *Vvallensteinij perfidia.*
Sed ligare non coronare diadema poterat insanum caput.
Fasces ambijt, securim habuit: quæ iunctæ pergunt.
Purpuram proprio sanguine tingens.
Volauit Dedalus; Icarus cecidit:
Quia more Deorum vellet homo scandere Cælum.
Scelera, quæ ab Orco cum facibus suscitant Furias,
Deum ab alto ad fulmina prouocant.
Nunquàm Aquilas gens vlla impunè lacessit.
Fridlandi victima non expiauit, excitauit perfidiam. XIV. *Ferdinandi III. virtutes.*
Post fœdatum Succico sanguine regnum
Tot inter procellas ad clauum Palinurus sedere iussus
imperauit *Ferdinandus* ventis, & mari.
Salomone maior aberrantes à via regia reduxit *Sapiens*.
Infideles subditos reconciliauit *clemens*,
Patienti pauperi, subuenit *liberalis*,
Vacillantem Ecclesiam solidauit *Pius*.
Expurgatis *à fermento malitiæ* Regnis
Creatori restituto Orbe,
Ducta Bohemia, recepta Morauia, correcta Austria, curata Stytia
Liberata Carinthia, emendata Carniola
Orbem, Orbes suis impleuit victorijs. XV. *victoria.*
Vandalico prægnans *Ratisbona* ferro, sic cingitur:
Vt breui citra dolorem parturientis
Deum sibi, victoriam pareret *Ferdinando*.
Victoris renata natali vincta, & victa,
Mœnia & manibus & exemplo dedidit *Ferdinandi*.
Triumphum is cæcinerat ante victoriam:
Sed eum, qui via lactea esse solet ad laureas. XVI. *pietas ergo Sacram Hostiam.*
Mystæ sacrum ægro deferenti Viaticum,
Rudolphi insistens vestigijs,
Non dubitauit castra deserere,
Vt comitem se daret Deo Exercituum.
Pij satellitij inspice fructum:

Pri-

XVII. *Victoria breui tempore parta.*

Primo bellorum suorum impetu
Infra quinquaginta dies
Vrbes minimùm quinquaginta
Deditione, Vi, Amore, Terrore suas fecit.
Numerent alij victorijs annos, ipse dies.
Vix sparsas hic ab hoste exuuias collegerat miles;
Cum vastata Bohemia, desolata Franconia
excisa Bauaria, incensa Sueuia,

XVIII. *Ad Nordlingam Suecos profligat.*

Secundum Nordlingæ campum aperuit duobus socijs
Germano Herculi, Hispano Theseo.
Suos agnouit triumphatores Germania,

XIX. *Iungitur cum Ferdinando Cardinali Infante Hispaniarum.*

Vbi *Ferdinandos* audijt.
Insederat vni Nordlingano colli totius Germaniæ salus
Adhuc in *Hornio*, & *Vainmario* spirabat *Gustauus*.
Necdum Aquilo resederat aduersùs Aquilam.
Indignati *Ferdinandi* sub *Ferdinando Pio* tantum licuisse impietati
Inito prœlio fulciere Germaniam, seruarunt Orbem, firmarunt Cœlum.
Vnius campi pugna, plurium prouinciarum victoria
Seruauit Austriam, redemit Bohemiam, recuperauit Franconiam,
Purgauit Sueuiam, vindicauit Bauariam,

XX. *Moguntiam suo Electori restituit.*

Moguntiam suo restituit Electori.
Pater Patriæ, nolens eam sine matre,

XXI. *nuptiæ.*

vt Austriam Austria fulciret, Hispanam duxit,
In qua genus, paria essent & genius.

XXIII. *tres habuit vxores.*

Hippolyto castior Princeps,
quia sibi vni viuere non debebat,
trigamus moritur vel coniuge, vel
Orbi maritus, Orbi Cæsar, Orbi Pater.

XXIV. *electio in Cæsarem à Gallo sugillatur.*

Cuculet in eum Gallus, Aquila clangit, 1636.
In Austria imperium nidificasse Romanum.
Stabit hæc, quousque Religio stabit.
Vtramque deserere Deus posset,

XXV. *coronatur iubente patre Ferdinandus IV.*

Si posset Deus negare seipsum.
In filio rependere volens, quod acceperat à patre, 1653.
Quartum manu sua coronauit *Ferdinandum*, vt *Tertium Secundus*.
Magni vestigia Patris
Cum premeret filius minori pede, sed pari animo:
Cæsarum gigas totum patrem effigiebat in paruo

XXVI. *ex Maria Hispana nascitur Ferdinandus IV. Die natiuitatis Deiparæ.*

Ferdinandi III. filius, Secundi Nepos, Primi Pronepos.
In spem Solis Austriaci
Cum *Aurora Maria* VIII Septembris illuxerat;
Eo nascente, *Cœli* aperitur *Ianua*;
Ne sibi datum Mundus agnosceret.
Vnius in vtero geminam sortitus *Mariam* matrem
Alteram Naturæ, Alteram Gratiæ
Vnam coluit, alteram adorauit.
Ex illa hora eam cum accepisset in suam;
Maria Ferdinandum accepit in suum.

XXVII.

Tutelæ candidum ministerium Niue explicauit,
Nam die, quo ad Niues colitur,
Filio purpuram Bohemiæ tradidit.
Ne in niue crederes lubrica impressa vestigia

Fer-

Salutis Anno.

Feruente Æstate adiecit Hungaricam
Adde
Qui nascente *Maria viuere cœpit*,
1654. Eadem *Visitante* cœpit Mori.
Ante Occasum non defecit;
Vt festo completo vnà cum matre ingrederetur in patriam,
Annos suos præsciens diuturnos esse non posse,
Naturæ auaritiam sua correcturus industria,
tempus, quo nondum prodesse hominibus poterat,
Colendo Deo, more impendit auito.
Apostolico diademate cum zelum imbuisset Apostolicum
Manum Deiparæ vouit,
qua à Sarracenis Iesum redimeret,
Ratisbona fuit illi Ratis bona
Ad vltimum humanæ felicitatis fastigium,
Sed heu in portu naufragium:
A solo ad solium: à thalamo ad tumulum
Ferdinandus Austriacus
Interris *Quartus*, in Cœlo *Tertius*:
Cæsar inter homines XIV. inter Sanctos XIII.
Oh dura præproperaque Lachesis?
Suspende gressum cæca Potentia?
Erudiare, ne fallas,
Naturæ dum debitum exigis: Ordinem serua naturæ
Quartum Tertio ne præripe *Ferdinandum*,
Dum sic decepti cœteri lugent
Iacuit in cubili, ac si sedisset in cathedra *Ferdinandus*:
Dies octo laborauit, vt Reges docêret,
Quomodo mori.
Vel antea non ausit Libitina extendere falcem,
Quòd insolito Regum more Cæsarem inuenisset innocuum.
Crinito sydere cum ad fasces facem præferre crederetur Cœlum
Tedæ erant, quibus adhuc viuo Cæsari parentabat.
Cometæ radij, radij quidem fuere non diù duraturæ coronæ,
Ad triste spectaculum
Mundi oculus publicum passus deliquium;
Cum se occulere crederetur, vt maiestatem spectaret;
Se occuluit, vt fleret.
Regiæ inaugurationis die
Iris exurgens matutina vanitatem annuit felicitatis
indignæ ei, qui *prò Deo & populo* viueret.
Sola sine sensu terra esse non potuit;
quin communi commota contremisceret planctu,
Reges sunt Cardines terræ; super quos posuit Deus *Orbem*
Cum isti solio mouentur, stare solum non potest:
Sta hic si sine tremore licet, Viator
Vbi conuulso centro, cadere debuit Imperator.
An fleuerit pater? Quis dubitat amissa pupilla?
Vacantem locum cum sola natura implere non posset,
in subsidium aduocata *Maria*.
(*Quæ pijs semper obstetricata puerperijs*,
Vera Mundi Lucina est)

XXVIII. *Die Visitationis Deiparæ moritur Ferdinandus IV.*

XXIX. *Votum Ferdinandi IV. de extirpandis infidelibus.*
XXX. *Ratisbonæ coronatur.*

XXXI. *Innocentia Ferdinandi IV.*
XXXII. *prodigijs eius mors prædicitur.*

XXXIII. *Symbolum Ferdinandi IV.*
XXXIV. 1. Reg. 2.

XXXV. *Leopoldus speciali Deiparæ gratia Ferdinando III. datur.*

Præuiderat, & prouiderat ipsa *Leopoldum*.
qui vel dormiens vt Leo excubaret ad Religionis custodiam.
Cum dederit *Ferdinando* filium
ea ipsa quæ dedit Deo:
Inter miracula viuat,
Qui non creditur sine miraculo genitus.
XXXIV. *Deuotio Ferdinandi III. erga Deiparam.* Hanc semper *Ferdinandus* cum euocasset in pugnam,
& auxiliarem traxisset in aciem
Primam etiam voluit anteire triumpho
XXXV. *spolia victoria ei sacrat.* Imo hostium spolia ad Deiparæ tholos appendit,
Ne humano fastu Marianos corrumperet fastos.
Satis illi Terram alienis armis:
Cœlum suis expugnasse votis:
XXXVI. *Pax Monasteriensis.* Palmam obtulit, Oleam accepit.
Vt moriens pacem Orbi legaret.
Deus ipse non maiora legauit.
XXXVII. Cœlum à *Ferdinando* tot donatum triumphis,
Rependere volens ad se euocauit,
Ætatis Anno nondum Quinquagesimo, 1657
Quòd quinquagesimus Iubilæum Cœlitibus foret.
feria 2. Paschatis moritur Ferdin. III Christo tunc I. Aprilis resurgente,
Mox 11. die cecidit tot exercituum Imperator,
Vt hoc Paschate cum Christo ouaret tutiùs, resurgeret citiùs.
Commori Christo qui tota vita didicerat,
Eidem Resurgenti comes adiungitur,
XXXVIII. *ad mortis nuntium verba prolata.* Vt Vitæ, Morti obuians venienti
Voluntas Dei Vita mea:
Hæc dixit, & in Domino vixit.

MONETAM *FERDINANDI III.* VIDE *CAP.* 2. *N.* 2.

CATENA HISTORICA CAP. II.

gesta

gesta in Lusatia.

9 Vichetumius in Suecos.13.occiditur.

10 Io: Vverthius in Suecos Ehrenbresteinium capit.16.captiuus.46. liberatur. 47.fugatur. 57.Vinmarienses vincit.87.deserit signa Bauarica iubente Cæsare.

10 Bernardus Vinmariensis Gallorum ductor victus. 16. victus; victor, gesta. 17. vincit Gotzium.18.Lotharingos vincit. 19. periurus conditiones dedititijs non adimplet. Brisacum accipit.24.mors: genesis.

11 Ferdinandus Austrius Hispan. infans Cardin. Belgij gubernator Ruremundam capit. Bredam amittit.20.vincit Batauos.43.mors.

11 Batauorum victoriæ in Hispanos. 20. victi ab Hispan.

12 Boguslai Ducis Pomeraniæ obitus.

12 Guilielmi Hassiæ landgrauij obitus.

12 Caroli Ducis Mantuæ obitus.

12 Victoris Ducis Sabaudi obitus.

12 Thomas princeps Sabaudus tutela exclusus nepotum.21.Gallos vincit. 34.Taurinum intercipit.

12 Mauritius Cardinalis Sabaudus tutela exclusus nepotum.

13 Glitzingij gesta in Suecos.

14 Geblenius Meppenam intercipit. 69.gesta in Gallos.

14 Carolus Ludouicus Friderici Palatini filius vires in Cæsarem instaurat, vincitur. 25. à Gallis sistitur.48.effigies.

14 Rupertus Friderici Palatini filius victus. 15.captus: effigies.

15 7. Melchior Hatzfeldius Palatinos vincit. 42.gesta in VVestphalia.44.in Vbijs.85.effig.

18 Carolus Dux Lotharingiæ victus à Vinmariẽsi.125.custodiæ datur.127.vita facinorosa.

20 Vuilhelmus Nassouius Calloum capit.

21 Octauius Piccolomineus Gallos vincit. 27. gesta in Luzemburgo. 31.in Suecos. 38. in Franconia cædit Suecos. 94. in Bauaria aduersus Suecos.121.princeps Imperij.

22 Condæus victus.26.gesta in Catalaunia. 104.custodia datur.105.conspirat in Regem. 114.reus maiestatis dicitur.

23 Casimirus frater Vladislai Regis Poloniæ à Gallis intercipitur.

25 Ludouicus XIII. Rex Gallorum Brisacum accipit.27.expugnat Hesdinum. 34. militem in Pedemontium mittit.36. Catalaunios in protectionem accipit aduersus Hispanum. 54. progressus in Catalaunia.56.fœdus cũ Suecis.

28 Io:Christophor.Coningsmarch in Franconia gesta. 29. Cæsareos vincit. victus in Misnia. 57.gesta in Saxonia.88.infestat agrum Coloniensem. 95. occupat paruam Pragam. 123. etiam post initam pacem motus excitat. 131. Bremam expugnat.

30 Schlichius Pragam defendit.

30 Stephanus Palffius à Suecis occisus.

31 Mathias Galassius imperium militare Cæsari renuntiat. 57. reassumit. 61. fugatur à Suecis.

31 Leopoldus Archidux Austriæ Suecos Bohemia pellit.52.victus.53.fugitiuos punit. 65. victus. 76. cogit Suecos recedere ab Augustæ obsidione.106.gesta in Flandria.126.Leopoldi litera de captiuitate Ducis Lotharingi. 138. gesta in Gallos.140.præfecturã Belgij deponit.

33 Vilhelmi Badensis effigies.

35 Arcourtij gesta in Sabaudia.71. victoria in Hispanos.81.Ilerdam frustra obsidet.

35 Castilionij gesta in Artesia.

37 Io: Dux Bragantiæ eligitur Rex Portugalliæ.

41 Otto Christophorus Sparrius in Suecos. 100. in Leodienses.109.in Cliuenses.

43 Francisci Meli victoria.

44 Lambo ij captiuitas.97.gesta in Vvestphalia.

44 Guebriani victoria in Vbios. 45. victus. 57.mors.

48 Maximil. Henricus Dux Bauariæ fit adiutor Colon.

48 Leonardi Dorstensonij aduentus ex Suecia in Cæsareos prodigio illustratur.49.Glogouiam expugnat cum alijs vrbibus. 50.capit Ducem Lauenburgicum. 51. Silesiam subiugat. 52. Cæsareos vincit.57.gesta in Saxonia.59.in Danos arma conuertit.65.vincit Leopoldum. 66.frustra Brinnam obsidet.

50 Franciscus Albertus Lauenburgicus Suecorum captiuus.

53 Io:Georgij Madlonij fuga punitur.

55 Christianus IV. Rex Daniæ sequester pacis inter Suecos & Cæsareos.60 à Suecis victus.

58 Ludouicus Dux Anguiensis Hispanos vincit.64.victus.68.victoriæ: victus.69.Nordlingam occupat.81.Dunquerckam capit.

60 Gustauus Hornius in Danos.

61 Georgij Ragotzij irruptio in Hungariam. 143.in Polonos.

62 Franciscus Mercius in Suecos. Friburgum capit.63.pugna cum Turrenio. 67. Gallos cædit.68.iterum vincit, sed moritur.

64 Veneti mediatores pacis inter Reges.

EX *Ferdinando II.* Imperatore, & *Maria*
I *Anna* Bauariæ nascitur *Ferdinandus III.*
Grætziæ, quæ Styriæ metropolis est, Anno
Sal. 1608. III. Non. Iul.
Paterna Religio cum filio pietatis esset ex-
II *Studia.* emplum, eius pueritia pietate ac studijs bona-
rum artium ad summum exculta est. Mathe-
seos omnis, & Architectonices militaris exactā notitiam habuit, præter naturæ arcana, quæ viuido est perscrutatus ingenio. Prisca Sacræ, ac profanæ Historiæ monumenta, sedulò excussit, ducum exemplis, ac Sapientum monitis animum imbuens. Iurisprudentiæ auidus, antiqua Cæsarum rescripta accuratè euoluit; vt an-


VNVM SEQVOR
ELEONORA·II·MANTVÆ·VXOR·FERD·III·IMP
MARIA·LEOPOLDINA·VXOR·FERD·III·IMP
MARIA·PHILIPPI·III·HISP·R·FILIA·VXOR·FERD·III·IMP
HASSIÆ LANDGRAVIA
IO·BANNERVS·ARCHIMARSCHAL·SVECORV
VICTOR·AMADEVS DVX·SABAVDIÆ
RVPERTVS·PALAT·AD·RHEN

Sal. An. 1637. anno ætatis XVII. *publica ex institutionibus Iuris Cæsarei Iustinianei, & Erotemata Iuridica, Geographica, & Chronographica*, præsente patre sustinuit.

III Ea temperantia adolescentiam exegit, vt heroica eius indoles in Regia Fortuna, nec illecebris naturæ ad voluptatem flecti, nec aulæ otio ad segnitiem, & luxum detorqueri potuerit.

IV *Ferdinādi III. leges.* Tres sibi dicebat esse leges, *Honestè viuere: Alterum non lædere: Suum cuique tribuere.* Hisce naturæ præceptis, vel principijs, totius Orbis rexit imperium.

Vxores. Liberi.

V Tres habuit vxores *Ferdinandus* III. Imperator *Mariam* filiam *Philippi* III Hispaniarum Regis, Heroinam animi, & corporis dotibus præclarissimam; cum qua nuptias celebrauit Viennæ Anno 1631. Mortua est Ænno 1646. Mense Maio, cum Cæsare ex venatione reuersa, repentino catharro extincta. Erat partui proxima, ideo proles iam defunctæ matris exempta, adhuc viuens salutari est expiata lauacro. *Mariæ* nomen imponitur, sed statim viuere desijt.

VI Suscepit ex ea *Ferdinandum Franciscum* IV. inter Austriacos Principes, & inter Reges Bohemiæ, & Hungariæ, IV. Regem Rom. natum Anno 1633. die 8. Septemb. denatum 9 Iulij 1654.

Mariam Annam Hispaniarum reginam natam Anno 1634. die 22. Decembr. nupsit *Philippo IV.* Hispan. Regi VIII. Nouemb. 1649. viduata Ann. 1665.

Philippum Augustinum V. Viennæ natum Anno 1637.

Maximilianum Thomam, V. Anno natū 1638.

Leopoldum Ignatium Ioseph Viennæ natum Anno 1640. die 9. Iunij. *Mariam* VIII.

Secunda *Ferdinandi* III. Imperatoris vxor fuit *Maria Leopoldina* patrui sui *Leopoldi* comitis Tyrolensis, & *Claudiæ* principis Hetruriæ filia. Cum qua nuptias celebrauit Anno 1648. Mense Iulio. Breue tamen fuit matrimonium, anno 1649. Mense Augusto postquàm filium enixa esset, eodem die fato extinguitur repentino; incertum an obstetricum culpa, vel occulto puerperij morbo Infanti nomina data, *Ferdinandus Carolus Ioseph.* VII

Tertia fuit *Eleonora* Mantuæ Ducissa, cum qua nuptias celebrauit Neostadij, die vltima Aprilis, Anno 1651. Suscepit ex ea *Theresiam Mariam Ioseph* natam Viennæ Anno 1652. & *Ferdinandum Aloysium*, qui obierunt infantes.

Eleonoram Mariam Flauianæ natam An. 1653 eodem die quo *Ferdinandus* IV. electus est Rex Romanorum.

Mariam Annam Iosepham natā 20. Dec. 1654.

Claudiam Felicitam natam 30. Maij. 1653.

Mariam Magdalenam 16. Augusti 1653.

CORONATIO FERDINANDI III.

PAnnoniæ Rex coronatur Sal. Ann. 1625. Sexto Id. Decemb. Biennio post in Regem Bohemiæ, Anno tandem 1636. curante patre *Ferdin.* II. in Regem plauditur Romanorum (Vide symbola & monetas in eius honorem percussas *sub litera A.*) & III. Cal. Ian. solemniter inauguratur, felici omine, inclinante vndique Succorum fortuna. Paulo ante mortem *Ferdinandi* II. *Cæsaris*, supremus Succorum præfectus *Bannerius*, etsi media hyeme, cum subitaneo impetu Torgam in Saxonia expugnasset, in Lipsiam toties hoc bello captam, vires omnes conuertit. *Sueci Saxoniæ pulsi.* Præerat vrbi *Trandorfius* tribunus cum valida præsidiariorum manu, qui ferè ad mensem fortiter obsidionem sustinuit, donec adueniens Elector cum *Hatzfeldio*, & Cæsareis legionibus, *Bannerium* depulit, obsidione soluta, Torgam vsque, quam vt Belli sedem probè munitam, importato vndique commeatu, in longum prouiderat. Sed ingruente maiori Cæsareorum numero, cum clade etiam Torga repulsus, in Marchiam Brandeburgensem abijt, vbi iunctus cum *Ioanne Vrangelio*, VIII qui nouas ex Pomerania adduxerat copias, denuò à Cæsareis fugatus in Pomeraniam recessit, insequētibus Cæsareis, qui frustra tētato Anclamio, Tripsecium deditione Vvolgastum vi capiunt. Inde Duce *Bredanio* tribuno Cæsareo, extractis, quas Succi demerserant, nauibus in Vsedomiam Insulam penetrant, eiecto Succorum præsidio. Nec longè Dammino vrbe Pomeraniæ à *Goltzio* Cæsareo, & *Vichethumio* Saxone Duce expugnata; IX Luneburgum, Hallas, cæterasque in interiori Saxonia vrbes, Duces alij recuperant. *in Pomerania recessi.* Vt in extremum Baltici maris angulum Succi reiecti, tria tantumodò oppida Anclamium, Stetinum, & Stralesundam ægrè tenerent.

Non minori fortuna *Ioannes Vverthius* è Gallica expeditione redux Ehrenbresteinium apud Rheni, & Mosellæ confluentes validam arcem, accessu inuiam ad deditionem fame X *Ehrenbesteiniū Cæsarei capiunt.*

coc.

Sal. An. 1638. coegit, cæsis apud Montaburium Hassorum centurijs, qui commeatum laborantibus ferre nitebantur. Ita ad extremum Galli redacti Coloniensi Electori arcem dedere. Conabatur eodem tempore Dux *Vvinmariensis* rem Gallicam promouere: expugnata Ionuillæa, alijsque in Burgundia locis Rhenum supra Argentoratum traycit, eò audaciùs quod maior Cæsareorum pars in Saxoniam descendisset. Obuium porro *Vverthium* habuit, qui Lotharingis, & Sauellianis legionibus confirmatus, pluribus velitationibus conflictatus iterum trans Rhenum in Burgundiam *Vvinmariensem* reijcit, & pontem cuius capita ingentibus firmauerat munimentis, Gallo deiecto, suæ fecit potestatis. Felicior tamen *Vvinmariensi* repulsa fuit, quàm *Vverthio* victoria. Nam vigilum incuria, qui fauces Delspergensis Vallis custodiebant, in locum penetrans vberem, atque opulentum; liberalia habuit hyberna. *Vverthio* quamuis victori sterile obtigit præmium, Brisgouia, sterilesque Herciniæ saltus, & Sueuiæ deserta.

XI Bredam capiunt Hollãdi. In Belgio recuperato à Batauis Schenckiano munimento, quod interceperant Hispani, Bredam quam ante annos duodecim *Spinola* longa ijs, & difficili obsidione eripuerat, breui tempore ipsi *Duce Frederico Henrico Auriaco Nassouio* in deditionem recipiunt, præsidiarijs honesta conditione Mechliniam dimissis. Religioni catholicæ cum abundè consuluissent, falsa suspicione, quod in festo S. Catherinæ, Catholici magno numero nocte congregati, noua molirentur, data securitas violatur, solemnitate prohibita, plerisque catholicorum ex vrbe pulsis. *Ferdinandus* verò Cardinalis frustra tentata Bredæ liberatione, Venlonam primo, dein Ruremundam intercipit, & duarum vrbium accessu vnius damnum, impari tamen permutatione restaurat. Nam & in Africa celeberrimum *Guineæ* propugnaculum, quòd *Minam* vocant, post triduam oppugnationem Bataui eripuere Hispanis. Sic cum Mars vbique sæuiret; Annus plurimis principum funeribus clauditur mortuo *Boguslao Pomeraniæ Duce*, eius fa- *XII Principũ funera.* miliæ vltimo, quæ ditionem illam per annos septingentos obtinuerat; *Gulielmo Hassiæ Landgrauio*, relicta vidua *Amelia Elisabetha*: *Carolo* Mantuæ & Niuernij Duce. Sed omnium funestior fuit obitus *Victoris* Allobrogum Ducis relictis duobus filijs, vno sex, altero quatuor annorum, quorum tutelam prætentis fratribus Principe *Thoma*, & *Mauritio* Cardinali, vxori suę Regis Galliæ sorori testamento *Victor* mandauerat. Vnde exitiale bellum exortum, quod totam ferè inuoluit Europam.

Anni sequentis initio, qui fuit octauus supra *XIII Sal. An. 1638.* trigesimum huius seculi, aliquot Hassorum legiones Geisecam, dein Susatum expugnant. Cæsariani in Pomerania per concretum glaciε pontum in Rugiam insulam penetrare connixi, post vnum, alterumque conatũ, ab *Vrangelio* Suecorum præfecto repelluntur. Feliciùs *Glitzingius* tribunus Brandeburgicus, & *Vicethumius Saxo* rem gessere: ille Garcium ad Oderæ traiectum commodum oppidum subitaneo impetu, cæso præsidio: iste munimentum ad Vvarnemundam in ostio Rostochiano haud procul littore situm expugnant. Cecidit tamen inter primores ipse *Vicethumius* strenuus, & expertæ virtutis miles. Maiora tentassent Cæsarei, ni annona defecisset; cuius penuria fugiente milite, *Bannerius* tum Cæsareorum transfugijs, tum domesticis è Sueuia supplementis, breui exercitum supra viginti millium eduxit: quo recuperatis Garcio, Vvolgasto, Damino, breui Pomerania Cæsareos non ferro eiecit, sed egestate. Vnde *Galassius* in Bohemiam ad reficiendas copias secessit. *Succorum successus in Pomerania. Bannerius recuperat Pomeraniam.*

Sic in Vvestphalia ab Hassis intercepta Paderborna; Palatini fratres *Carolus Ludouicus*, & *Rupertus* auunculi *Caroli* Anglorum Regis, aliorumque Principum auxilijs instructi, exercitum collegerant non contemnendum, destinata noui belli sede Meppena, quam à Suecis multo auro redemptam suo ipsi instruxerant præsidio, magnumque commeatum importauerant. Hanc vrbem iam ante Suecorum magnis firmatam operibus, abundèque à Palatinis instructam præsidio, *Vehlentus* Cæsareorum per Vvestphaliam præfectus astu intercipere instituens, conuocata ex vicinis præsidijs firma militum manu, noctu summo silentio aggreditur. Superatis fossis, valloque modicum primò certamen, dein paulò acrius fuit ad Gustauianum munimentum. Vt tandem Cæsareorum fusi Palatiniani, victas dedere manus, captis quadringentis præsidiarijs, magnaque annonæ, & militaris instrumenti copia. *Nornerium* præsidij præfectum quasi puderet, amissæ vrbi superesse, sibi ipse exitium accersiuit, percusso in faciem Centurionum altero, qui inter se rixabantur de eo, veluti de opimo spolio; nam pulsatus centurio, ignominia accensus, inermem occi- *XIV Cæsarei Meppenã capiunt.*

Sal. An. 1638. occidit *Norneccium*. Nec longè post Palatinorum causa grauiori cecidit infortunio. Meppenæ restauraturi cladem, aucto exercitu Hollandicis Succisque subsidijs, dum Lemgouiam obsident; *Melchior Hatzfeldius* obuiam profectus, conserto prælio Palatinos profligat, desideratis eorum duobus millibus, captis impedimentis, inter quæ insigne Periscelidis Anglicanæ, iam pridem Palatinis ab Anglo Rege collatum. *Rupertus* vnus ex fratribus natu minor à Cæsareis captus Viennam mittitur. *Carolus Ludouicus* natu maior dum rheda vectus per Visurgim fugam præcipitat, submerso curru, equis, & auriga, ipse solus ægrè Mindam pedes euasit. Victoriæ fructus fuere Cloppenburgū; Vechta, aliaque minora oppida.

Cæsi Palatini. xv

xvi Vvinmariensis verò ex Delspergensium faucibus anno ineunte emergens, Rheno traiecto, Laufenburgum intercipit, inde Rheinfeldam ducens vrbem situ, ac munitione præualidam, Cæsareos excitauit & Bauaros *Sauellium*, *Vverthium*, *Sperreuterum*, *Enckefordium*, ac *Furstenbergium*, vt quicquid copiarum in proximo erat, contraherent, vt liberata Rheinfelda, Gallos trans Rhenum reijcerent. Prima pugna Cæsaris arrisit: pulsus ab obsidione *Vvinmariensis* Lauffenburgum recessit. Postridie verò reuersus confirmato exercitu, & delendæ hesternæ ignominiæ cupidus, nihil minùs opinantes Cæsareos, magno impetu inuadit. Capti duces prope omnes *Vverthius*, *Sauellius*, *Sperreuterus*, *Enckenfordius*, alijque minoris notæ. *Sauellius* haud multo post vigilum incuria elabitur: cæteri Parisios missi. Rheinfeldæ gubernator cognita Cæsareorum clade, desperato subsidio honestis conditionibus vrbem dedidit. Præsidiarij omnes more militari cum Sarcinis, atque impedimentis Brisacum dimissi. Friburgum dein in Brisgouia pari celeritate expugnat. Tubingam, Sturgardiam per duces suos intercipit. Inde Brisacum obsidet, natura, loco, præsidio satis munitum, solus deerat commeatus. Apparatum insuper militarem nouum sustulit infortunium, ignis vel iniectus, vel casu illatus, octoginta dolia pyrio plena puluere, & quingentos farris modios cum magna hominum, ædiumque, quæ in proximo erant, clade continuò corripuit. Brisaci discrimen euocauit ex Vvestphalia *Ioannem Gotzium*, qui cum parte exercitus semel atque iterum perruptis hostium stationibus, aliquantulum annonæ in vrbem immisit. Ad Vvittenuueyeram postea cum *Vinmariensi* acri prœlio congressus, post quinque horarum cruentum atque anceps certamen, præcipuis suorum funditur amissis. Captus tamen à victis *Tupadelius*, secundus post *Vinmariensem* hostium ductor. Cursus annona, & commeatu onusti supra octingentos in hostium venere potestatem. Gemina Cæsarei afflicti clade, non propterea liberandæ vrbis abiecere consilia: euocatis è Lotharingia *Carolo Duce*, ex Vbijs *Lamboio*, & *Gotzio* cum septem legionibus, vt hi cis, Lotharingi trans Rhenum hostium aggrederentur castra. Adfuere Lotharingi dicta die, sed nimio conciti ardore, & cupidine gloriæ, quam se nullo riuali adepturos putabant; si soli vel inuito *Vvinmariensi* tanti nominis duce, illati obsessæ vrbi subsidij decus ferrent; vel vt scribunt alij, cunctante ex diuersa parte *Gotzio*, facile à maioribus numero superantur, capto *Bassampierio*, multisque ex primaria nobilitate. Cladem hanc vlturus *Gotzius*, dum solus cum *Lamboio*, atque ideo hostibus impar, *Vvinmariensem* adoritur, expugnato vno, alteroque per *Lamboium* munimento, citò victoriam desperans, receptui canit; quasi valediceret obsessis; Brisacum extrema fatigatum fame, nam carnibus minimè pepercerat humanis, postquàm canes, feles, mures, coria in delicijs habuisset, deditionem fecit; non sine *Vvinmariensis* periurio deditionis conditiones fallentis, postquàm intellexit triginta ferè captiuos Gallos inedia per ergastula miserè perijsse, ex quibus septem à semiuiuis adhuc socijs in cibum absumpti. Brisaci deditio rem Gallicam planè in imperio stabiliuit. *Gotzij* negligentia magnam culpæ partem sustinuit. Iussus à Cæsare causam dicere, Bauaro protegente, absoluitur.

Vinmariensis victus.

Cæsi Cæsarei.

Brisacum deditum Succis.

xvii *Cæsi Cæsarei.*

xviii *Lotharingi victi à Vinmariensi.*

Gotzius victus.

xix *Brisacum deditum.*

Tantas clades Cœsareis apud Rhenum illatas reposuere Hispani in Belgio, atque in Hispania. Mense Iunio Calloum propugnaculum non procul Antuerpia occupauerant Batauí, duce *Vvilhelmo comite Nassouio*, vt ibi belli figerent sedem. Hispani (duce *Ferdinando* Belgarum ProRege) collectis vicinis præsidijs, nihil tale opinantes Batauos, maiori numero, ac vi, priusquàm illi necessaria ad defensionem parassent, inuadunt, fugant, magna ex parte cædunt, in flumē conijciunt. Captis fere bis mille & quingentis cum nauigijs octoginta, vexillis quadraginta quinque, tormentis nouendecim, annona, & militari apparatu. Cruenta tamen victoria, nam Hispanorum vel in prœlio vel ex vul-

xx *Hollandi cæsi ab Hispanis.*

Sal. An. 1638.

vulneribus ferè sexcenti periere. Hollandorum cladem auxit mors *Mauritij* filij Comitis *Guilielmi Nassouij*, qui dux infaustæ fuerat expeditionis. *Mauritius* decoris auidus cum in Hispanos acriùs esset prouectus, primò captus & in fidem acceptus: vbi suos resumptis viribus nouā in hostē facere vidit impressionem, elabi manibus Victorum, & effugere conaretur: tribus glandibus traiectus interijt. Vltores Superos credimus eius necem maturasse. Siquidem is ipse *Mauritius*, qui pridie antequàm occumberet, Deiparæ vrbis Antuerpiensis Patronæ tutelaris imaginem, quæ in Calloano templo religiosè colebatur, ignibus tradi: proximasque SS. Petri & Pauli effigies ibidem comminui, & in frusta secari impiè iusserat. Omnia prospera cum sint colentibus Deum, aduersa spernentibus meritas luit pœnas *Mauritius*.

xxi Ab altera etiam Belgij parte, quę Galliam respicit, *Octauius Piccolomineus*, & *Thomas Princeps Sabaudiæ* Gallos adorti, qui duce *Castiloneo* Audomarum, atque Hesdinum obsidebant, prœlio conserto, captisque nobilium Gallorum plurimis, quos Bruxellas adduxere in triumphum, obsidionem soluerunt. Non meliorem experti fortunam Bataui in Geldriæ obsidione, vbi irrumpentibus aquis, cum munitiones suas perficere prohiberentur, ab accurrentibus Hispanis, *Lamboij* auxilio, insigni clade funduntur.

xxii Condæus etiam dum Fonterabiam celebrē portum ad maris Cantabrici præsidium ab ineunte Iulio in Septembrem continuata obsidione, omnique penè aditu occluso ad vrbem accessisset, subuersaque mœnium parte, victoriam caneret, repentè erumpentibus Hispanis, per hostium stationes custodiam negligentiū, victoriæ fiducia; magna clade repellitur, duobus millibus ferro cæsis, vel aqua submersis, amissoque bellico apparatu qui opulentissimus erat.

xxiii Eodem anno *Casimirus* frater *Vladislai* Poloniæ Regis cum animi causa in Hispaniam nauigaret, fortè Massiliam prouectus, dum in littore vires reparat, à Gallis in custodiam abductus, quòd legionibus immixtus Cæsareis in Gallos militasset, per biennium detinetur. donec intercedente Pontifice, & *Vladislao* Rege, dimittitur; data priùs sponsione de custodia non vindicanda.

xxiv Sortem tamen Gallis restituit mors sui victoris; cuius obitu non tam fortunæ, quàm bonorum hæredes, alieno parta labore occupantes, terribiles inde Austrio euasere nomini. Capto Brisaco, in Burgundia *Vvinmariensis* hyberna disposuit grandi incolarum incomodo, quos miles victoria tumidus fatigabat. Pontarlinum modicis viribus vrbs cum aditu ac portis exclusisset victorem, penè vltimo excidio fiduciam luit inconsultam, incolis propè omnibus trucidatis. Vna erat Brisaci possessio, quæ excitata inter Gallos, & *Vvinmariensem* discordia, rem poterat promouere Austriacam; dum vterque vrbem Rheni potentissimam, & clauem Germaniæ ad se pertrahere nititur. Ille quia aurum, & milites: hic quòd laborem, & pericula commodasset, suaque virtute rem difficillimam ad exitum perduxisset; hinc *Vvinmariensis* magna præmiorum spe in Gallias euocatus venire non sustinuit. Cæterum simultatem hanc *Vvinmariensis* mors opportuna compofuit. Adulto iam vere, cum è Burgundia educeret, febre Neoburgi correptus diem obijt extremum, annorum quinque & triginta, quorum maximam partem absumpsit in bello contra Cæsarem. Pronepos erat *Ioannis Friderici* Electoris Saxoniæ, quem Anno 1547. *Carolus V.* prælio apud Mulbergam captum, Electoratu, & magna ditionum parte mulctauit. Natus erat Anno huius seculi quarto, minimus vndecim fratrum, qui ferè omnes aduersùs Cæsarem arma gerebant. Fama fuit, à socijs veneno peremptum eius gloriæ inuidentibus. Vel populi opinio sit, virum magnum extra aciem sine veneno perire non posse; ametque vulgus de insignium heroum exitu atrocia credere, & prædicare. Duces, amisso capite, discordes, dum alter alteri parere recusat, totam æstatem inglorij transiere. Auro tandem Gallico deliniti, Galliarum Regi sacramentum dixere. Ita Gallo Brisacum, Friburgum, multaque Burgundiæ tradita loca; absente *Carolo Ludouico Palatino*, qui Anglica tunc instructus pecunia dum per Galliam duobus tantùm aut tribus comitibus iter facit, à Gallis sistitur, detineturque, donec rebus cum Vvinmariensibus compositis, nullus ampliùs metus fuit, ne ille nutantes ad se legiones sua præsentia pertraheret.

Sal. An. 1639.

Vvinmariensis mors.

milites Vvein. marij Gallo Sacramentum dicunt.

xxv Palatini effigiem habes in. fran. 28.

Condæus interim collecto apud Narbonam exercitu, in Catalauniam, vbi incolæ tributis, & militum stationibus fatigati ad seditionem spectabant, descendens, Salcesio potitur, quod Catalauniam à Gallia Narbonensi disterminat.

xxvi Condæus in Catalaunia.

Sal. An. 1639. maiora non patravit in Sabaudiã reuocatus, relicto *Espernonio* cum valida militũ manu, omniq; apparatu ad tolerandã obſidionem. Hiſpani verò bis Gallis magna clade reiectis, qui commeatũ in vrbem inferre tentauerant, præſidiarios fame oppreſſos ad deditionem compellũt.

Non minori felicitate *Octauius Piccolomineus* in agro Luzemburgenſi eodem tempo-
xxvii re Theoniſuillam obſidione liberarat, cæſis magna clade *Castilioneo*, & *Fecquierio* Mareſciallis, qui Gallicas legiones ducebant, *Fecquierio* capto, & magna nobilium manu interfecta. Parem tamen retulit *Castilioneus* cladem, recentibus confirmatus copijs, quibus Rex ipſe *Ludouicus XIII.* aderat, expugnato Heſdino valido Arteſiæ oppido.

Sueci, vere ineunte, confirmata neutralitate cum circulo inferioris Saxoniæ, Albim traijciunt, & Luneburgio conſpirante in Saxoniam atque Thuringiam irrumpunt, præmiſſo *Coningſmarchio*, qui in fines Franconiæ
xxviii *Coningſ marchij irruptiones.* minitabũdus irruens, Marchiam percurrit Brãdeburgicam occupatis Landſperga, Francofurto, Rattenauia, Hauelberga, Brandeburgo partim vi, partim ſolo nominis terrore. *Salisium*
xxix *Salisium a Suecis occupatur.* Cæſareorum ducem cum ſeptem legionibus in hyberna euntem profligat, ducem ipſum capit. Inde Naumburgum, Vveiſſenfeldam, Leitzam, Eglenburgum, Grimmam, Altenburgũ, Suickauiam, Chemnitium, pleraq; alia minora oppida in poteſtatem accipit. In Miſniam poſtea progreſſum Fridberga Saxonicorum Ducum monumentis clara ſiſtit, impetum remorata victoris non modica Suecorum clade.
Cæſi Cæſarei à Succis. Breui tamen ignominiam vindicauit *Bannerius*, cæſo apud Chemnitium *Merazinio* altero Cæſareorum duce cum magna legionum parte, quas ille è Sileſia, & Bohemia tumultuariè collegerat. Venere in manum Suecorum ſigna equeſtria quadraginta, pedeſtria duodecim, machinæ bellicæ ſupra viginti, cum impedimentis, atque militari apparatu. Victoria hæc *Bannerio* Bohemiam aperuit, quò bellum inferre decreuerat. Prius tamen retentata Fridberga, cum iterum reijceretur, ne maiores occaſiones elaberent, illa relicta, Pirnam aggreditur, qua præter arcem potitus, præmiſſo *Stalhanſio*,
xxx *in Bohemiam Sueci irrumpunt.* in Bohemiam mouet. *Stalhanſius* primo impetu Leutomeritium, *Bannerius* paulò poſt cũ reliquo exercitu adueniens Brandiſiũ, cæſis octo Cæſareorum legionibus, quas ad tranſitũ prohibendum *Galaſſius* Praga ſubmiſerat, occupant. Inde tanto rerum ſucceſſu tumidus, Pragam aduenit, caſtra diſponit, mænia verberat. Nihil tamen extimuit Comes *Schlickius*, *Pragam obſident.*
regius in vrbe vicarius; rebus omnibus ad defenſionem paratis; vnde *Bannerius* amotis caſtris, rurſum per vniuerſam Bohemiam graſſatus, ne vltra progrederetur, hyemis ſæuitia prohibuit, comeſq; *Hatzfeldius* obiectis Cæſareorum legionibus. *Stephanus* verò *Palfius* Hungarorum tribunus, dum parua Hungarorum equitu manu, incautiùs hoſtibus illabitur, ſeptem vulneribus confoſſus interficitur. Ductoris corpus Hungari magna vi victoribus extorſerunt. Porrò Cæſar quomodo hoſtes imperio depelleret ſollicitus; nouos per prouincias hæreditarias delectus conquirit. Eius imperium (ſe xxxi
ob valetudinem excuſante *Galaſſio*) fratri ſuo Archiduci *Leopoldo* committit, eique euocatum è Belgio *Octauium Piccolomineum* cum Exercitu adiungit, cuius conſilio bellum adminiſtraret.

Hyems rigebat adhuc, cum *Leopoldus* exercitu triginta millium Bohemiam petit, & Reginogradecium, opportunam Bohemiæ vrbem, paulò ante à Suecis captam recuperat, ſexcentis præſidiarijs in poteſtatem acceptis. Inde Suecos *Sal. An. 1640. Leopoldus Archid. Austria.*
reliqua Bohemiæ non magna vi expellit, excepto Leitomentio, & Brandiſio. *Bannerius* verò, paulum in limitaneis Bohemiæ montibus moratus, donec prædam, & impedimenta præmitteret (quorum tamen maiorem partem vel incendio corrupit, vel inſequentibus reliquit) ſe in Miſniam mox in Thuringiam Erphordiam inſequente *Leopoldo* recepit, nec ſine clade; ex- xxxii
tremum agmen carpente *Leopoldo*, qui magnã ſcelectiſſimorum equitum turmam deleuit, qui ad præſidium relicti, inſequentium curſum remorari nitebantur. Aduenientibus verò Gallo-Vvinmarienſibus, & Haſſis cum Luneburgicis, fruſtra renitente *Leopoldo* in tutum euaſit. Tantis auxilijs confirmatus *Bannerius* non dubitauit apud Salam fluuium iuxta *Leopoldũ* caſtramentari; mutuo tamen metu pugna dilata, quaſi nouiſſima hæc foret diſcriminis alea. Solis itaque velitationibus anno conſumpto: in agro Bruſuicenſi hyberna Suecus diſpoſuit: Cæſarei per amicas prouincias.

Inter ipſa bellorum incendia, pacis auidus xxxiii *Comitia Ratiſpona.*
Ferdinandus Imperator, media æſtate comitia Ratiſponam vocauit, vbi ad Proceres ibi congregatos *Guilielmus Marchio Badenſis* Cæſaris nomine tria in medium propoſuit. 1. Qua

via

Sal. An. 1639. *via finito tandem cruentissimo bello pax Imperio possset restitui? 2. Si ea obtineri non posset, quibus modis bellum administrari debeat? 3. Quomodo iudiciorum ordo plurimùm turbatus, & impeditus posset restitui, vt cuilibet, nullo personarum discrimine ius redderetur?* Et quo facilius ad votum peruenirent, indulsit Cæsar comitijs adesse etiam Principes, & Ordines, qui hostibus in Cæsarem erant coniuncti; vt communi omnium consilio, querelis satisfieri posset. Cæterum hæc vsque in annum sequentem protracta sunt.



BELLVM SABAVDICVM An. 1640.

xxxiv CRudeli conflictata bello Germania, ne vacaret Italia, tutela obstitit, quam filiorum suorum testamento legarat *Victor* Dux Sabaudiæ, coniugi suæ Gallorum Regi sorori, præteritis fratribus *Mauritio* Cardinale, & *Thoma* Principe Sabaudiæ, qui iure agnationis ad se pertinere nepotum tutelam asserebant, vel tutelæ spetie ditioni illi inhiabant, Marte itaq; decidenda lite, Viduæ Gallus: Principibus Hispanus arma subministrauit, quo instante Cæsar *Victoris* testamentum nullum dixerat; & iam anno superiore Gubernator Mediolanensis infestis armis Pedemontium inuadens, Astium, Villam, Crescentinum, Veruam, Pontesturam, aliaq; loca expugnat. Sabaudi Principes Inuream, Nicæam, & alias maritimas vrbes occupant. Taurinum regionis caput, Ducū sedem noctu Princeps *Thomas* interceperat.

xxxv *Arcourtij gesta Symbola.* Ceterum hoc anno missus à Rege Gallorum Comes *Arcourtius* cum valido auxilio, ab Hispanorum clade suam expeditionem exorsus, Gubernatorem Mediolanensem, Casalium obsidentem magna clade profligat, capto bellico omni apparatu. Inde obsesso Taurino, non semel profligatis Hispanis commeatum inferre laborantibus, in potestatem redigit; quò solemni pompa viduam principem reduxit.

Suspice *Arcourtij* symbola. Quorum in primo *cataphractus equus* velut pronus & effusus in cursum sub lemmate *In quem tua classica* exprimit generosum ardorem, quo se in hostes erumpere paratum tantus comes ostendit, quoscumque Rex iusserit aggredi, & in quoscunque illum clangor bellicus euocarit. Quippe buccinarum clangore etiam equus ad congressum & pugnam, æquè ac homo excitatur. Consonat symbolum quod *Arcourtius* regio Stabulo esset præpositus. In altero symbolo brachium exhibetur ensem ex ima rupe stringēs sub illo *Claudiani* carmine, *Emitur sola Virtute Potestas.* Annuitur hoc symbolo ad *Ægeum*, qui Patria excedens *Æthram* vxorem studiose monuit, ne *Thæseum* filium priùs Athenas ad eum transmitteret, quàm ensem *Elopeum* antiquis nuncupatum, euersa rupe (*Troezena* vocata) sub qua latebat, excussisset: vt eundem secum afferret ad patrem in virtutis, ac fortitudinis testimonium. In tertio symbolo *equus marinus* inspicitur lauro coronatus, &

Sal. An. 1640. cauda mari demersa, pedibus verò supra terram consistentibus sub lemmate, *Ponto, terraq; triumphat.* Hunc equum non *hippopotamum*, siue fluuialem credas, sed qualem vehendæ *Neptuni* rhedæ destinatum fabulæ confixerunt. Quo non tantum subalpinas plagas annuere intendit hostibus illatas, sed & mari vt videbis infra sub *n.71.*

Deseverat fortuna Hispanos, & vbique vexabat. Nam & in Artesia *Castilionens* Atrebatum validam, ac præmunitam vrbem post longam, & difficilem obsidionem, spectante Hispanorum exercitu expugnat.

Grauiùs tamen Hispanis incubabat Gallus in Catalaunia. Vbi excitati populi aduersus hybernantium militum iniurias, & ProRegem, qui carceri dederat vnum ex *Iuratis* (nomen est Magistratus) quia pecuniam subiectam ciuitatis arbitrio, in militum stipendia recusaret distribui, Barcinone Catalauniæ metropoli Regio expulso præsidio, occiso ProRege, expilato ærario, tandem veniæ desperatione ad vicinum Gallorum confugiunt auxilium, electo in principem *Duce Andegauense* Regis Gallorum filio, hoc anno in lucem edito, ac trium mensiū infantulo. Hoc successu animati Lusitani, qui alterum Hispaniæ incolunt littus, eisdem ex causis, vel quod naturali in Hispano odio iugū excutere sæpius tentassent, modò fauente fortuna maturatam iam diù defectionem Olysippone ordiuntur, interfecto *Vasconcello* Secretario, & regiarum partium ministro primario. Inde nouum sibi eligunt Regem *Ioannem Ducem Bragantiæ*, qui ab *Emanuele* Rege Lusitaniæ genus ducebat, affinitate regij sanguinis, & opum magnitudine inter Hispaniæ magnates prævalidum. Arcana hæc etiam priusquàm Hispano innotescerent, minimè latuere Gallis, qui vnà cum Hollandis submisso liberaliter bellico apparatu, atq; omni armorum genere Catalaunios, atq; Lusitanos instruxere.

XXXVI Catalani rebelles.

XXXVII Nouus Rex à Lusitanis eligitur.

XXXVIII Sal. An. 1641. Vndique cum tem Austriacam fortuna impeteret, *Bannerius* postquam paucis mensibus in agro Brunsuicensi copias refecisset, ad disturbanda comitia per Misniam, & Thuringiā in superiorem contendit Palatinatum, occupatoq; mox Chamo, Glatrauia, Sulsbachio, ad ipsa excurrit Ratisbonæ mœnia, non sine Cæsaris discrimine, si *Bannerius* omissis populationibus totius exercitus vires vni vrbi impendisset. Dum enim per Franconiam Sueci vagantur, milite ad signa euocato Cæsareo, mox versa fortuna *Schlangium* cum validiori equitum manu apud Neoburgum oppidum non procul sylua Bohemica *Piccolomineus*, & *Mercius* ita circumueniunt, vt cum nulla esset erumpendi copia, in captiuitatem abduxerint. Quatuor mille fuere captiui. *Bannerius* tentata in cassum *Schlangij* liberatione, ne & ipse eodem victoriæ cursu opprimeretur, se in Misniam omni celeritate proripuit, vbi eum *Vuinmarienses* excepere. *Bannerij* tamen præmebant vestigia Bauarici, & Cæsariani tanta festinatione, vt per vndecim dies, ne depositis quidem ephipijs, equitatus vix quicquam moræ ad quietem sibi tribuerit. In hac deproperatione *Bannerius* multa milia iumentorum amisit, nec paucos militum, qui vel profugere à signis, vel ab insectantibus oppressi fuere. Porrò Sala fluuius fugientes protexit, obstitito; insequentibus ne vltra progrederentur. Dum enim VII. Id. Mai. ad Vveissenfelsam gemino strato ponte traijcere tentant, infirmo opere, & malè compacto, quale esse solet tumultuarium, irrumpentibus *Gallo-Vveinmariensibus*, retro Cæsarei in pontem egere, qui conserto refugientium pondere solutus, plurimos dimisit in vortices; alij ferro periere; alij in vincula fuere retracti. Quare cum ibi res non succederet, Cæsarei locum opportuniorem nacti ad Berneburgum in oram aduersam delati, Bannerianos Mersburgum retrusere. Sed & ibi notabili clade repulsus *Bannerius*, Halberstadium se recepit, qui locus *Bannerio* fatalis, nam morbo in itinere contracto lethali, cum eum militaris homo parui faceret, XIII. Cal. Iun. moritur. Rogatus ante mortem, quē exercitui successorem daret, *Leonardum Torstensonium* nominauit, qui in Suecia erat. Probauit electionem Sueciæ Senatus, sed antequā dux adueniret, tres interim regendo exercitui præposuit, *Adamum Phulium, Carolum Gustauum Vrangelium*, & *Arfurtum Vvittebergium*. Legitur, superiore anno cum *Bannerius* in Bohemiam moueret, auditam à vigilibus vocem, iterum atque iterum repetentis, *Abi Bannere, abi*. Quod infaustæ expeditionis omen susceptum est; nec multo post obijt vxor eius, ipse Bohemia pulsus, tandem eodem in loco morbo tentatus, vbi ea vox excepta fuerat.

Suecorū clades.

XXXIX

XL Bannerij mors.

Nec omittendæ binæ obsidiones Nohentueilæ, & Vvolffenbeutelij situ, præsidio, gloria, memoriaq; dignæ. Illam situ, ac propugnaculis validam *Otto Christophorus Sperrius* rei tormentariæ præfectus cum Bauaris, & Cæsareis tota

XLI Sparrij effigiem habet.

Sal. An. 1641. tota ferme æstate circumsederat. Hoc Duce Luneburgicus, Hassi, Vvinmarienses tandem vna iuncti præmebant. *Sparrius*, etsi nullo optimi ducis neglecto munere, hyeme ineunte, necessitate coactus, re infecta exercitum lacerum, ac multis cladibus imminutum in hyberna reduxit. Vvinmarienses cum nihil proficerent, alueum fluuij, qui vrbem interfluit, infernè obstruxere: vnde amnis intercepto cursu, omnis aquæ vis circum, atq; intra vrbem collecta, crescente in dies inundatione iam penè submersisset ignium, & ferri victores, nisi in tempore adfuissent auxilia. Defensionis gloria *Ioanni Reuschenbergio*, fuit immortalis.

Aduersam fortunam passæ Gorlitium in Lusatia inferiore, & Dorstena in Vvestphalia non inualidæ vrbes. Illud elector Saxoniæ cum

XLII *Gorlitiũ Dorstena captæ à Cæsareis.* Cæsarianis legionibus sub tribunis *Gotzio*, & *Goldackero* post acerrimam oppugnationem ad deditionem compulit. Dorstenam *Melchior Hatzfeldius* in potestatem acceptam Coloniensi restituit Electori. Inde in Thuringiam progressus Heldrungam, Mansfeldiam aliaq; non nulla recuperat oppida.

Interea Ratisponæ à Cæsare in frequenti *comitia Ratisbonæ.* Procerum imperij conuentu hæc veluti pacis præludia fuere composita. Primo omnium, *ad intestina Imperij tollendi diffidia decretum, vt vniuersalis Amnestia publicaretur. Deinde vt cum Regibus Galliæ, & Sueciæ, separatis conuentibus Monasterij, & Osnabrugæ in Vvestphalia tractaretur. Vt grauamina religionis, quæ hucusque tantis tumultibus nõ exiguam causam dederint, per vtriusq; religionis designatos amicè cõponantur. Vt transactio Passauiensis, & ex illa constituta pax Religionis Augustæ Anno 1555. sanctè seruetur. Causa Palatinna, quam Cæsar à generali Amnestia exclusam voluit, separatis tractatibus ageretur, & postea recessibus imperialibus inseratur.*

Præterea quoniam adhuc exigua pacis spes apparebat, de promouendo, ac continuando bello actum est, prouisumque in primis *vt hyberna militaria prò imperiali exercitu iuxta belli necessitatē ex æquo, & bono describerentur.* Et quia omnium querelis satisfieri haud poterat, cum necessariò vicinæ hostibus prouinciæ plus patiantur; ita conuentum est, *vt prouinciæ liberæ, ijs, quæ hybernis, atq; hospitijs grauantur, alio conuenienti succurrant subsidio, vt in omnibus imperij Circulis, atq; Ordinibus æqualitas seruaretur. Tum vt imminuto Ducum, atq; inutilium Præfectorum numero Legiones compleantur.* Eumq; in finem ordinatæ, & communi omnium statuum consensu approbatæ *centum & viginti pensiones menstruæ intra quinque mensium spatiū persoluendæ, illo vbiq; valore, vt Thalerus Imperialis ad Floreni Rhenensis & triginta crucigerorum precium, non carius, viliusque computetur.* Ad illas autem colligendas generalis Imperij Quæstor, germanus ipse, atq; Imperio subiectus constitueretur. *Additæ* his constitutionibus *aliæ centum, & viginti pensiones intra vnius anni spacium persoluendæ.* Deinde de militari disciplina salubriter ordinatum, *vt in delicta militum præfecti ipsorum seriò animaduertant, vt nulla itinera, aut profectiones instituantur, nisi prius Circulorum directoribus præmonitis, per quos iter faciendum erit. Neque hac in parte, quicquam amicitiæ, aut gratiæ dandum, vt vno Statuum præterito, alter grauetur. Itinera autem, vbi necessario instituenda sunt, vt sine incommodo Prouincialium fiant, quantum fieri potest, Præfecti militum curabunt.* Prohibitum præterea, *ne hostibus diribitoria concedantur; neue cum ijs neutralitates Imperio noxiæ ineantur. Ne commercia, & negociationes cum ijsdem boni priuati causa in publicum detrimentum cedant.* De reformatione Iudiciorum imperialium, quod erat tertium punctum Cæsareæ propositionis, quoniam tempus comitiorum in annum vsque excurrerat, nihil actum; sed decretum *vt anno insequenti ad Cal. Maij super ea re, certorum Principum conuentus Spiram, aut Francofurtum ab Electore Moguntino ediceretur; sanctionibus dein imperij inferendum quicquid illi prò iusti regula decreuissent.* Denique quoniam Belgico Hispano vicini Ordines querebantur sibi contra Imperij sanctiones in cursu Iustitiæ à tribunali Bruxellensi sæpenumero vim fieri, promisit Cæsar effecturum se apud Hispaniorum Regem, ac fratrē eius Cardinalem infantem, Belgij gubernatorem, ne quid deinceps priuilegijs imperij abrogaretur. Huius comitij fidem facit numisma cusum Ratisbonæ in honorem Ferdinandi III. cuius effigies gemino circundata Cornucopiæ, populorum ornauit plausum, & *Extat nummus in Museo* lætitiam, pro Sancto Imperatoris regimine *Petri Mauroce-* qui vel inter bellorum turbines, bonorum om- *ni Patri-* nium largitus sit abundantiam. Stant exaduer- *tij Vene-* so Electorum insignia, loco, & tempore adno- *ti.* tato conueutus. Habes etiam effigiem *Philippi Treuirensis*, qui Viennæ adhuc, & *Caroli Ludouici Palatini*, qui in Gallia detinebantur.

Sal. An. 1641. tur. Porrò Cardinalis Infans Bruxellis mense Nouembri moritur, postquàm Belgio præfuisset Fratris nomine per annos septem, magna sapientiæ, ac fortitudinis fama inter duos vtrinq;



xliii *Infantis Cardinalis mors.* hostes Gallos, & Hollandos. Successorem habuit *Franciscum Melum*, qui cum exercitu viginti quinque millium, & triginta maioribus tormẽ- *Sal. An. 1642.* tis Atrebatũ validam Artesiæ vrbem circum- *Meli victoria.* sedit, omnibusque ad obsidionem expeditis, postea repente conuerso cursu Leodium inuadit, atq; inde Bassæam contendens, post duram obsidionem vrbe potitur. Inde cum toto exercitu in Picardiam mouens, haud procul Castelletto oppido, quod est prope fontes Schaldis in Veromanduis Gallicanum profligat exercitum duodecim millibus militum instructum. Capta Gallorum duo millia; totidem in acie cæsa. Victoria hæc cladem retulisset Catalaunicam, ni *Melo* omisso victoriarum cursu reuocatus fuisset ad obseruandos Mosæ transitus, prohibendosq; Vvinmarienses, qui agrum Coloniensem populabantur. Hassici namque mense Nouembri Anni superioris in inferiores Vbios xliv *Lamboij clades.* irruperant, cum *Lamboius* illuc è Belgio cum decem armatorum millibus illico profectus, XVII. Cal. Feb. prope Kempenam, ad S. Antonium & Hulstæ statiua habuit, copias *Hatzfeldij* operiens, sine quibus nolebat pugnam con- *Guebriani Gesta.* serere. At Gallo-Vveinmarij, Guebriano duce, Idib Ian. impetrato ab Hollandiæ Ordinibus transitu, ad Vvesaliam nautico ponte Rhenum transmisere. Sed nemo credebat ipsos in Vbijs inferioribus hostile quicquam ausuros, locis omnibus milite, & popularibus centurijs sic infessis, vt nihil imminere videretur. Verum iunctis cum Hassico milite viribus, Ordinga, & Luna occupatis, recta mouerunt in *Lamboium* Hulstæ, & in agro Anroniano degentem, ipso die D. Antonio Sacro, qui XVII. est Ianuarij, hora circiter vna ante meridiem attigère aggerem, cuius opposita dictio clauditur. *Lamboius* eadem hora mensę accubuerat: & iam cognouerat hostem esse in propinquo, sed eo neglecto, cum sibi persuasisset ad manus eum non venturũ, velut incuriosus pergebat cibum capere, donec monitus hostem iam adesse vallo, festinus occurrens cum duabus legionibus & aliquo equitatu, *Guebrianum*, qui in limitaneum aggerem moliebatur ingressum, repressit. Reliquus hostis iam vicinum campum, ordinibus ad pugnam instructis, occupabat. *Lamboij* miles hac, illac sparsus tam subito in aciem duci non potuit, quin hostis triplicem loricam, totidemque fossas è regione Hulstæ, perruptis repagulorum longurijs superaret. Aditu itaq; aperto, infunduntur alarij iuxta, ac legiones. Tametsi *Lamboij* copiæ iustam aciei formam non referrent, certauere tamen ad duas prope horas, dubia victoria Magnis animis pugnantes tandem obruit hostis, deditque in fugam, potitus omnibus

prope

Sal. An. 1642. prope militaribus signis, & impedimentis, vnà cum machinis æneis, cæteroq; instrumento. Occubuere in vestigio bis mille quingenti, capti quater mille, in quibus ipse *Lambotus*, & *Mercius* supremus vigilum præfectus. Ex hoste pauci desiderantur. Victoriæ fructu, *Guebrianus* Oetam arcem, & Nouesium (cum oblatas ab Electore suppetias respuisset) post breuem vnius diei obsidionem occupauit. Képenam ciuitatem septima Februarij, die x. arcem suæ ditionis fecit. *Rosa* Tribunus dum agit de deditione cum Marcoduranis, immissa per portam legione, oppido potitus, ciues miserum in modum afflictos, grandi annona, rebusque omnibus spoliauit. Inde Vriecta, Vvillensteinium, cæteraq; Vbiorum inferiorum oppida hostem admisere. Ne pari modo superio-
xliv ribus potiretur, vetuit *Hatzfeldius*, qui Bonnā aliaq; loca præsidijs firmauit: hostiles stationes Brouilerij, & Berchemij oppressit. Nouo postea Bauarico adueniente firmatus auxilio, nonnihil *Guebriani* fregit conatus, qui nihilominùs Halkeradum, Zulpicum, EisKircum, & Eiffliæ monasterium inuasit, tota circum expilata exactionibus regione, terrore, quod minabatur, incendij.

Stitit eius progressus Lechenicum infirmum
xlv oppidum cum arce parùm munita, in qua alebantur canes venatici Electoris Coloniensis (& hæc à Francis contemptim caninum stabulum vocabatur) Mediocre loco inerat præsidium, & tanto exercitui impar. Aprili exeunte *Guebrianus* vim admouet, tredecim muralibus machinis mœnia verberat; quibus ad iustam impressionem apertis, sæpius expugnationem aggressus, sed luculenta clade repulsus, oppido tandem potitur. Sed arce frustra tentata, ex ipso etiam oppido expellitur, cum nonnulla existimationis iactura, multis viris fortibus in oppugnatione amissis, *Floncourtij* legati sui interitu mæstus, diruptis aliquot ex crebra eiaculatione tormentis, cum Bauaricæ copiæ cum *Hatzfeldico* exercitu ipsi imminerent, irritam soluens obsidionem, dolorem suum, multorum circum pagorum (quos excussit) cineribus obruit, edoctus *à cane non magno aprum sæpè teneri.* Ita Vvinmarienses, & Hassi in sua demùm apud Ordingam castra compulsi sunt.
xlvi Sub idem tempus *Io: Vverthius* ex Gallica captiuitate cum *Gustauo Hornio* permutatus à *Maximiliano* Bauaro equitatui præfectus, Grauenbruckum ab hoste desertum, sexcentorum virorum præsidio, nouisque operibus communiuit. *Sparrius* ei loco impositus, *Latomum* legionis protribunum, prædis è Iuliacensi agro onustum, ad Erckelam assecutus, vita exuit, & spolijs. Cum *Latomo* occubuit supremus vigiliarum præfectus, capti centum viceni septeni, equi ducenti. Porrò Vveinmarienses Botbergam excedentes castris, cum bis mille equitibus insecutus *Vverthius* cum pabulatores, supra nongentos, bis mille poritus equis, profligasset, & semel iterum postremum abeuntis hostis agmen lacessiuisset, ab ijsdem circumuentus, permultis amissis, ægrè cum paucis elabitur. *Lamboij* exercitu profligato, Electores Catholicos grauis cura incessit, ne Rheni confinia hostis obrueret. Moguntiæ itaq; conuenere Moguntinus, Coloniensis, & Bauarus, Electores (Treuirensis adhuc Viennæ detinebatur). Sed cum plurima ibi proposita citra frequentiorem conuentum expediri non possent, decreuere, in proximas Augusti Calendas, Francofurti aliud vocare comitium. Interim Romā legatus mitteretur, vt Summus Pontifex Regem Galliæ ad pacem cum Imperio ineundam solicitaret. Post hæc *Coloniensis Elector Ferdinandus Dux Bauariæ* non magis de liberanda ab hostibus patria, quàm adsciscendo in partem curarum socio sollicitus, vt sibi Coadiutor daretur à Metropolitano obtinuit Collegio, *Maximilianus Henricus Dux Bauariæ*, Electoris ex fratre nepos.

Latomi cadet.

xlvii *Vverthius fugatur.*

xlviii *Coadiutor Coloniensis datur.*

Interim huius anni initio *Coningsmarchius* tota prope Saxonia eiectis Cæsareis, *Leonardū Dorstensonium* Succorum copijs in locum *Bannerij* præpositum, cum maioribus viribus Suecia venienrem excepit. Aduentum eius clarum fecerant Cœli prodigia: Globus igneus, qui Ianuario mense supra Vvolfenbeutelium, terribili fulgore conspicuus, ab occasu in ortum descendens, instar ingentis tonitrui disparuit, & hoc mense Ianuario. Visus etiam supra ipsa Succorum castra ensis cruentus, cum annexa virga, cuius aciem versus Marchiam Brandeburgicam protendebatur. Lustrato itaque *Dorstensonius* exercitu, punitoque tribuno *SecKendorpio*, qui cum Cæsareis colludere dicebatur, repentè decursa Saxonia in Lusatiam, dein Silesiam perrupit, & Glogouiam maiorem cum toto exercitu circumsedit. Belli sedem cum hac vrbem parassent Cæsarei, trecenta modiorum millia, bellicique apparatus compor[illegible] ex qua tueri Silesiam, & hostem prohib[illegible] constitue-

Dorstensonius Succorum præfectus

prodigia.

Sal. An. 1642. stituerant. Præerat vrbi cum firmo præsidio *Augustus Mauritius Baro Rothauius*, quo deditionis liberales conditiones respuente, & strenuè locum defendente, tanto impetu irrumpunt Succi, vt vno eodemq; die vrbs caperetur, cæsis præsidiarijs prope omnibus, & ciuibus, vrbeq; direpta. Victoriæ appendix fuere IrKetsnauia, Gurania, Hermstadium, Prausnitzum, Vvarta, Dracoberga. *Stalhansius* bis mille stipatus legionarijs, & octo alariorum turmis, trans-Veadrum, in ora Lusatica Treystattclam inuasit, expugnauit castrum Vvolauium, vbi trecentos è præsidio deleuit. Rebus vsque adeo secundis, *Dorstensonius* accepta Heiga, ad Schuueinizium properat, præmisso *Coningsmarchio*. Is medio ab oppido milliari obuium habet Ducem *Frã, ciscum Albertum Lauenburgicum*, qui à Præs. Iauia cum septem armatorum millibus Schueinizio firmam sclopetariorum manum subsidium missurus venerat in *Couinsgmarchium* facile fugauit *Luneburgicus* vsq; ad *Dorstensonij* castra. Nondum eò peruenerat, cum accepto de totius exercitus aduentu nuncio, gradum figit *Coningsmarchius*. Dux *Luneburgicus* fauentem Martem secutus, in vtrumque acre reintegrat prælium, Sed hoste viribus, ac numero superante, breui certamine victus, à suis desertus, & duplici vulnere sauciatus, ab hoste captus decima sexta post pugnam die, ex putrescente plaga extinguitur. In hostium manus venere *Hanouius*, quatuor chiliarchæ, duo vigilum præfecti, quadraginta minoris notæ ductores, bis mille equites. Sex legiones cæsæ, amissis quadraginta signis militaribus, quatuor machinis castrensibus, cum cætero instrumento, bis mille equis, & argentaria duorum mulorum sarcina. Hinc Schuueinizium primo, dein Nissa Episcopi Vratislauiensis sedes ac tota propemodum Silesia à *Dorstensonio* subacta est. Flexo inde in Morauiam itinere, multa minora oppida expugnauit. Brigam sub hæc in Silesiam regressus obsedit, sed frustra industria consumpta. Tantum fuit propugnatoribus animi, vt nonnihil mori machinarum fulminibus, subterraneis irruptionibus, intestino ciuium, & gregariorum militum aduersus ductores tumultu, punicis ignibus, obsidentes multatos bis mille fortibus viris repulerint. Omni tamen Morauia, Silesiaq; direptis, firmissimoq; præsidio communitis, quæ conseruare decreuerat, in Saxoniam regreditur, Lipsiamq; quæ Electoris tenebatur præsidio, cum omni exercitu circumsidet. Obsidio hæc exciuit Cæsareos. Archidux *Leopoldus* post frustra tentatam obsidione Glogouiam cum *Piccolomineo* contractis quicquid vbique virium erat: Electori Saxoniæ in auxilium properat. Horum aduentu Succi certiores facti, omissa Lipsia obuiam veniunt, eodem prope loco, quo ante decennium Rex *Gustauus* cum *Tillio* confixerat. Pares erant vtrinque vires, campus neutris æquior, vtrisque commodus ad explicandum equitatum, quo multum valebat Archidux. Postridie itaq. Calend. Nouemb. prima luce, instructa vtrinque acie, vbi primùm venere in mutuum conspectum, certamen tormentorum explosione exordiuntur, Alam Cæsareorum dextram regebant *Annibal Gonzaga* & Comes *Brueus*. Læuam curabant *Bomiualius*, *Bucheimius*. Dextrę pręerat Archidux, leuę *Piccolomineus*. Prælium cœptum est à Cęsareorum sinistro cornu cum dextro hostium. Restitit aliquantum Archiducis equitatus, sed vbi incurrit in pagum Breitenfelsum, quem Sueci loco paulum edito, sclopetarijs infessum muniuerãt, laxatis ordinibus ad fugam inclinatus, nec subsidiariorum ope, imò nec Archiducis exemplo fortissimè pugnantis in aciem reduci potuit. Interea Cæsarianæ machinę loco percomodo locatæ stragem edebãt in Succorum agminibus; cum Suecicæ altius positæ innoxia ferè tonitrua ederent. Cæsareorum ala dextra secundiore Marte hostium sinistram mox disiecerat: dum peditatus leuæ Cæsareæ quamuis ab æquitatu desertus, Succorum dextram pariter fregit, tormentis, atque vexillis multis potitus.

Suecis ad triarios res redierat, quos habebant in subsidijs, qui & ipsi sæpius pulsi, ac confusi. Collegerat se dextra Succorum acies, quæ repetito certamine in leuæ Cæsarianæ latus inuecta, sic eam fregit, vt effusa in fugam terga verteret. Conabatur eam subsidiarijs aliquot equitum emisis turmis *Piccolomineus* remittere, sed et hic equitatus, ne inito quidem certamine dilapsus laborantes destituit. Anceps tamen adhuc victoria erat, cum Archiducis dextra acies vniuersa adhuc infracta sinistræ hostium victrix esse videretur. Verum vbi dextra Suecica ipsius terga præmere cœpit, Cæsareus equitatus quasi circumsceptus, fugam capit, quicquid *Archidux*, & *Piccolomineus* quà minis, qua precibus, animos addere fugacibus

Marginal notes: xlix *Regnuiã expugnat.* — l *Dux Luneburgicus capitur.* — li *Succi Silesiam subigunt.* — lii *prælium Lipsiense.*

Sal. An. 1642. bus niterentur. Peditatus itaque vndiq; desertus, à fronte, à tergo, ab vtroque latere circumvectus, acriter quidem in hostem incubuit, sed hostium multitudine obrutus, desertis ordinibus se cædendum præbuit. Prima equitatus fuga orta ab Hungaris ad dextrum cornu, post à Croatis ad læuum, ad cæteros eorum valuit exemplum. Desperata victoria, cum adhuc Archidux imperterritæ fortitudinis exemplo manus consereret, ductorum præcibus sibi passus est persuaderi, vt cum prætoriana legione, quæ adhuc immota steterat, comitante *Piccolomineo* cum suis item prætorianis per medias hostium phalanges sibi ferro viam ad receptum aperiret. Peditatus, quem hostile telum non sustulit, vitam exorauit, cætera captiuus. Tormenta quadraginta duo cum reliquo castrensi apparatu habuit hortis in spolio. Captiui cecidere Comes *Suysius*, *Fernamontius*, quatuor chiliarchæ, octo legionum: legati capti ex gregario milite vltra quater mille. Ex hoste cecidere supremus rei tormentariæ præfectus, Generalis Commissarius, *Schlangius* summus Ordinum structor, tribuni tres, tres legionum legati, *Stalhansius*, & *Contingsmarchius* vulnera non lethalia reportarunt. Re ad votum peracta *Dorstensonius* Lipsiam redit, quæ aliquot dies magna vi oppugnata, cum cæsis auxilijs, nulla amplius spes liberationis superesset, se hosti dedidit. *Archidux Leopoldus* accepti incomodi culpam a fugitiuis reposcens, ad cæterorum terrorem animaduertere statuit. Tenebatur eo crimine

IIII Fugitiui puniūtur. præcipuè legio *Ioannis Georgij Madlonij* quæ consistente adhuc acie, & reliquis grauiter pugnantibus, prima omnium propudiosa fuga prælio excesserat. Præsente itaque Archiduce, & *Piccolomineo*, alijsque primarijs exercitus ducibus, RocKezanæ in Bohemia (vbi tum statiua erant) sex legiones, quæ rem strenuè gesserant, in armis præsto esse iussæ sunt. Dein euocata legio Madlonica, atque in medium à reliquis sex accepta. Mox à supremo rerum capitalium quæsitore, fugæ & destituti exercitus, insimulata, ac grauiter reprehensa. Simul iussi omnes ex rea legione ad pedes *Piccolominej* arma deponere. Signa à circumstantibus militibus fracta, ac direpta sunt. Dein quæsitor pauca præfatus cur legionem illam ex albo deleri oportet, hanc in inermes sententiam pronuntiat. Turmarum ductores, eorumque Vicarios pœna gladij: Signiferos suspendio plectendos; atq; ad eandem pœnam ex gregarijs decimum quemque antiquo more sorte legendum. Postridie de reis sumptum supplicium. Concessit tamen Archidux deprecantibus, vt commutata pœna, à suismet commilitonibus more militari, sclopetorum iaculatione confoderentur: vno alteroq; conseruatis, qui rem aliàs præclare gesserant. Chiliarca *Madlonius* in custodiam datus, Pragæ post examinatam causam capite plectendus. Ita punitis sontibus, ad reparandum exercitum Archidux comitem *Hatzfeldium*, & *Vvahlium* ex agro Coloniensi euocauit. Hæc in Germania.

IIV Gallorum progressus in Catalaunia. Dum Galli in Catalaunia adiuti rebellantiū viribus, cæsis non procul Barcinone Hispanorum copijs, Colibram vi capiunt. Perpinianum post fere sex mensium obsidionem deficiente commeatu in deditionem accipiunt. Perpiniani casus Salsulas fortissimum in illa ora aduersus Gallos propugnaculum secum traxit, præsente Gallorum Rege, quo propior præsentia suis audaciam, rebellibus animum adijceret.

PRÆLVDIA PACIS. An. 1643.

IV

Atroci extinguendo bello, quod tot annos Germaniā vexauerat, manum dabat *Christianus IV.* Rex Daniæ, cuius opera Francofurti conuenerant omnium legati, exceptis Brandeburgicis. Securitatis tesseras miserat Cæsar Há

Questus Regis Dani in Gal. los. burgum, vbi Gallicus degebat legatus. Huic Rex Daniæ, quo efficacius susceptas, conciliatoris partes tueretur, litteras Coppenaga postrid. Cal. Mart. dedit, quibus querebatur, non sine singulari animi commotione non adhuc probari literas securitatis à Cæsare, & Hispaniarum Rege impetratas, tametsi ea forma forent, vt ex illis errores omnes, & scrupuli sublati esse viderētur; quod non sine grandi Christiani Orbis discrimine præuidebat futurum; cum tam lentè & languidè in ipso tractationis limine Galli procedecent. Se igitur impensè rogare, vt diē ad traditionem istorum diplomatum adprobent, quo tandem ad pacem gradus fieri possit. Vt verò maiore auctoritate, susceptō munere fūgeretur, terra mariq; iusti exercitus delectus habuit. Cæsar *Ferdinādus*, & *Maximilianus* precibus Deū vrgebant, ne in tantis eos desereret periculis. *Maximiliani* num-

Sal. An. 1643. mus extat votiuus, in quo Bauarus ad pedes Deiparæ, ita fatur, *ò Maria ora pro me.* Interea licet Hamburgi fama percrebesceret, tam Gallis, quàm Suecis pacem in voto esse, tamen in sequentem vsque annum tractatus inchoari haud potuit. Preliminares tamen articuli partium consensu tempestiui editi fuere; Dum Stockholmiæ coactis comitijs de promouendo bello Germanico, & in quas conditiones pax ineunda agebatur. Renouatum ibi fœdus inter Gallos, & Suecos, *vt interim quisque omni conatu bellum prosequeretur. Cum Cæsare, eiusque socijs nulla pax, aut conuentio fieret, nisi vtriusque partis consensu; Regina Sueciæ triginta peditum, & sex equitum millia totidem Regina Galliæ præter ducenta Imperialium millia, quæ ex Anno 1633. adhuc debebat, singulis deinceps annis quadraginta millia persolueret. Si alterutra pars bello impeteretur, mutuo sibi auxilio ad decennium adessent.*

lvi nouum fœdus in- ter Gal- los, & Suecos.

lvii Bellum interim strenue progrediebatur *Dorstensonius*, depulsis Olomucio Cæsareis, Vratislauię incensis suburbijs, quia ciues pecuniam, & commeatum negauerant postulanti. *Coningsmarchius* etiam in Saxonia Halberstadio in suam potestatem redacto, Albiq; transmisso, generalem vigiliarum præfectum *Craconium*, quem *Gallassius* (cui iterum Cæsar summam præfecturam obtulerat) in Pomeraniam emiserat; collatis castris profligarat: recuperatis Camino, alijsque locis, quæ Cęsarei interceperant.

Vvinmarienses populata Thuringia, Marchionatu Badensi, agroq; Vvartenbergico, nouo Gallorum aucti auxilio, quod dux *Anguiensis* adduxerat, Nouembri mense, *Gebriano* duce Rotuuilam obsidione cingunt. Ipse *Gebrianus* dum dirigendis in vrbem tormentis post corbes vimineos assistit, minori petitus machinæ brachium amittit; quo ex vulnere paucos post dies in capto oppido victor obijt. Mortem Ducis clades exercitus sequitur. Nam dum Vvinmarienses hostium securi in propinquiora oppida distributi quiescunt, à superuenientibus Cæsareis, Bauaricis, & Lotharingicis copijs, quę summo silentio coierant, nullo prælio opprimuntur. Dutlingæ iuxta Danubium primaria erat statio Vvinmariensium. Non procul tormenta, & bellicum deposuerant apparatum. His omnibus exploratis Cæsarei, præmisso *Ioanne Vverthio*, Dutlingam cum maxima exercitus parte subitò circumueniunt, tanto silentio, vt iam cum omnibus copijs ante vrbem consisterent, priusquàm de eorum aduentu hostes cognoscerent. Pars exercitus Danubium vado transgressa, occurrentem cum aliquot legionibus *Rosam*, qui hostium aduentum ex propinqua statione audierat, primo impetu absterret, in fugam conijcit. Ita facile potiti Dutlinga, reliquas hostium stationes, vti inter se composuerant, aggressi diuisos ad deditionẽ compellunt. Pauci cum *Rosa* fuga euasere. Reliqui omnes cum pecunia, & bellico apparatu citra vllum discrimen in potestatem venere victoris.

Gebriani mors.

Vverthius Vvinmarienses vincit.

Longè aliter in Belgio fortuna Hispanos habuit. Rocroam ferè ad deditionem *Melo* compulerat. Cum ecce *Ludouicus Dux Anguiensis* contractis omnibus copijs laboranti accurrit. Inclinabat in vesperam dies, quum in conspectum vrbis venit amicæ. Nox imminebat, liberandæ tamen vrbis cupidine accensus, quamuis itinere fessus *Melum* aggreditur, sed graui clade repulsus, ad curanda corpora militi spatium indulget. Postridie albescente Aurora, maiore impetu Hispanos aggreditur. Nec audentem fortuna destituit: fusis fugatisq; Hispanis, comes *Fontanus* oblatam ab hostibus vitæ gratiam constanter repudians, cladi suæ immori maluit. Comes *Ioannes Ritbergicus* septem vulneribus saucius in hostium venit potestatem, amissis tormentis cum bellico apparatu. Magna pars equitatus Duce *Albuquercio* maturata fuga insequentes euasit. Post victoriam *Anguiensis* Theonisuillam obsedit, & secundo postquàm obsederat mense, magna suorum strage ad deditionem compellit.

lviii Hispani clades.

BELLVM SVECO DANICVM. An. 1644.

lix ANno exeunte huius sæculi quadragesimo tertio, *Leonardus Dorstensonius* à Germanis in Danos nulla facta denuntiatione repente arma conuertit, adeò festinatis itineribus, vt interuallo quindecim dierum è Marchia Brandeburgica in Holsatiam cum maxima exercitus parte mouens, centum ferè milliaria germanica conficeret. Itaque Kyla primùm ad aditum maris Baltici, dein Christianopolis, Flensburgum, Itzehoa, Bredenburgũ aliæque in eo tractu vrbes, vi dolo, aut deditione vno velut impetu interceptæ, atq; occupatæ. Repentinæ irruptionis causam iactabantur Sueci, quòd Danus naues Succicas fretum

Se-

Sal. An. 1644. Selandicum transeuntes attinuisset. Quod cum Duce Moscorum *Michaele Federowicio* societatem iniisset Suecis semper inuisam, misso adhoc in Moscouiam filio *Voldamaro*, qui in obseruantiam percussi fœderis filiam in matrimonium acciperet. Præterea quòd Danus occultè in Suecos cum Cæsareis coiret eis subministrata pecunia.

Hoc inopinato hostium aduentu turbatus *Fridericus* Rex Daniæ, mox legatos Monasterium missos promouendæ paci Germanicæ reuocauit: Inde ad arcendos hostes militem vocat; cum iam *Dorstensonius* in Iutlandiam penetrasset, cæsis mille & quingentis Danicis militibus, qui ei ad Koldingam temerè occurrerant. Inde vt Danorum vires distraherentur, lx *Hornij victoria.* *Gustauum Hornium* cum octo millibus armatorum in Scaniam miserat, quò ingressus, Elsinburgum, Coronam, Lundonum, Christianopolim, summa vi expugnat, totamq; Scaniam facile in potestatem redigit. Neque terra tantum, sed & mari res agebatur. Danus Rex ipse classem conscenderat, tamen Suecis prosperiore fauente fortuna, expugnata insula Bornholmia, classem Danicam ad Femeram insulam nacti, magno Danorum damno, quod ad duodecies centena Imperialium millia æstimatum est, cædunt, totoq; mari profligant. Sic tota æstas consumpta est magno Suecorum incremento, qui se in prædiuite patria, & rerum omnium affluentissima, rebus ad militiam gerendam necessarijs abundè instruxere. Ne grauiora succederent, Elector Brandeburgicus, & Hollandi partibus susceptis, hostem reconciliarunt.

Flagrante hoc bello, miserat per *Galassium* Cæsar auxiliares copias, quod expediret communem hostem, retardato saltem impetu, bello externo distineri. Prosperè etiam se dederunt initia. Sed Cæsarem ne omnes in rem vnam vires conferret, nouus repentè hostis ad distrahendos exercitus compulit, lxi *Ragotzij bellum.* *Georgius Ragotzius* princeps Transsyluaniæ non dubiè a Suecis concitatus. Libertatem præferebat Hungariæ violatam, quodq; Cæsar contra pactum plurima innouaret. Septuaginta millium instructus exercitus Cassouiam tentauit; sed resistente comite *Bucheimio* cum parte exercitus Cæsarei, & firma Hungarorum manu, licet *Bucheimius* esset numero longo inferior, retrocedere *Ragotzius* cogitur, & pacem accipere. Libentiùs quieuit Cæsar, quia *Dorstensonius* non adhuc reconciliato Dano, præsidio munitis, quæ oc-

cupauerat locis, improuisò erumpens, *Galassium*, qui in confinibus Holsatiæ castra fixerat, expellerat, & Magdeburgum fugientem obtrito ferè omni peditatu, capta magna impedimentorum parte fuerat insequutus. Ibi *Galassius* aliquandiu circumsessus, relicto ibi valido præsidio, depositisq; tormentis, & reliqua impedimentorum parte, cum eo qui supererat equitatu, & paucis peditibus ægrè in Bohemiam euasit.

Bauarici porrò cæsis apud Dutlingam Vvinmariensibus, Vberlingam deditione capiunt. lxii *Friburgi deditio.* Inde Friburgum in Brisgoia Duce *Francisco Mercio* (quem dux Bauariæ *Maximilianus* summa cum potestate præfecerat exercitui) spectante *Turrenio*, intercipitur. Biduo post receptum Fridburgum, nascente Augusto, Dux *Enguiennus* cum decem millibus Brisacum aduenit, iunctis cum *Turrenio* copijs, Vfnausium versus, vbi statiua *Mercij* prætoria, ferò animaduersus promouit, per opaca syluarum, & densas nemorum arbores, quas paucis horis ingens non agrestium modò, sed militarium etiā operarum multitudo succidit, vt peditatus primùm, deinde equitatus productis in longum ordinibus, extra saltum penetraret. lxiii *Mercij cōflictus cum Turrenio.* Id vbi *Mercius* comperit, quatuor legiones, & turmas aliquot obuiam misit. Vt venere in mutuum conspectum, hostis in Boicos furenter inuectus, dum credit se eorum aciem obruiturum, vi tanta excipitur, vt ab hora quinta vespertina per totam omnino noctem, vltra horam diei posteræ quartam matutinam, catapultarum procella continuaretur, hostili acie sepiùs fluctuante, & à tergo reiecta. In hoc primo conflictu captus est Gallicus tribunus (plures signiferi, vexilla duo, *Hatsteinius* tribunus interfectus, duo legionum legati, duabus legionibus ferè laceratis. lxiv *Anguienus vincitur à Mercio.* Inter hæc cum dux *Anguienus* Rauschenburgicam stationem vallo munitam pari ferocia oppugnaret, bis ab eadem cum clade repulsus, tertio tandem impetu munitiúculam inuasit. Periculum erat, ne ex eo loco Boica castra inuaderet: quamobrem *Mercio* visum, auocato inde cum tormentis *Rauschenbergio*, totis copijs migrare in collem Friburgio imminentem, vbi *Rouyerus* cum sua legione curabat. Nec difficile fuit, noctis beneficio. Post vbi diluxit, hostis migratione comperta, in aperto campo, instructa acie, castra à Boicis deserta insidens, eo die, densis imbribus, an alia causa prohibitus, nihil tentauit. Sequenti ma-

Sal. An. 1644. ti mane ratus Bauaricos esse in procinctu, magna eos vi aggreditur. Tenuit totam prope diem conflictus hosti valde cruentus, plurimis desideratis tribunis, ac grandi numero gregarijs, idum ceritorum more in collem, & valla Bauarica enituntur. Potuissent ea die iusta pugna Galli deleri, ni duplo maiores Bauaris fuissent. *Anguienus* in castra reuersus, sex millibus desideratis, castra longiùs à Friburgo remouit. Supererāt tamen *Anguieno* integri milites octodecim mille. Bauarus non vltra mille, & ducentos amisit; qui commeatuum inopia, & pabulationis locum relinquere coactus, in victi potestate reliquit Germersheimium, Vvormatiā, Spiram, Moguntiam, atque ipsum Philippiburgum, cuius deditio pensauit omnem Gallis illatam cladem. Pari Fortuna Galli in Flandria Grauelingam post bimestrem obsidionem occupauerant. Hispani verò in Catalaunia Ilerdā magnis viribus, diu, multumq; oppugnatam è manibus Gallorum recuperant. Sic Annus aduenit quadragesimus quintus huius seculi; faustus cum crederetur, quia iam pacis sequestres, & Regum conuenissent legati, noua protelatio & infausti euentus rem omnem propè subuertit.

de pace cōuentus

Antequàm eo veniretur, pacare oportuit Succorum offensionem natam ex intercepto Legati Lusitani funere, quod ipsis restitutum, Bremam fuit auectum ita mortui etiam suggerebant materiam discordiæ. Venerant iam ex Hispania mandata ad normam, quam pacis sequestres proposuerant. Venerant legati omnes. Veneti mediatores (quos arma Otthomanica præmebant) modis omnibus vrgebant pacem, vt Christianorum Principum ope adiuti, ad tam periculosum bellum fortiores essent. Idem optabat Roman. Pontifex, annuebat Cęsar, & generalis amnestiæ edictum vulgauerat. Spes vndique affluebat, cum improsperi rerum euentus, Succorum, Gallorumque fouentes audaciam, vt iniqua postularent, vanam spem declararunt.

lxv Veneti mediatores.

Receperat *Galassius* se in Bohemiam anno superiore cum lacero exercitu, Cæsar in eo instaurando totis viribus laborabat: nec ferias agebant Succi, qui nouo militum delectu legiones firmabant, vt Cæsareorum inclinatam fortunam faciliùs impellerent. Bauari Gallorum timore, qui in confinibus magnos instruebant apparatus, fortunam obseruabant ancipitem, & Catholicis periculosam. Cæsar quò meliùs Bohemię prospiceret, Ianuario exeunte, Pragam venerat, vbi collectis exercitus reliquijs, iūctis cum suppetijs à *Maximiliano* Electore missis *Leopoldum Archiducem* præposuit, huius legatum dixit comitem *Hatzfeldium*. Equitibus imperabat *Io: Vverthius*, peditibus *Raufchenbergius*. Succi verò duce *Dorstensonio*, ad Zeirzam lustrato exercitu, sexdecim millia habuere sub signis. Hisce viribus cum octoginta ænearum machinarum instrumento in Bohemiam mouerunt per Circulum Sarzensem, nec procul Ianckouio (qui vicus distat Tabore tribus ferè passuum millibus) consisterunt. *Leopoldus* relictis impedimentis partim Tabore, partim Budouitij cum omnibus copijs obuiam hosti progreditur. Nec *Dorstensonius* certamen abnuit & si æger ex podagra lectica per aciem circumferri debuerit. Mense igitur Februario acerrimo prælio concursum. *Getzius* qui primam Cæsareorum aciem ducebat, tumulum in quem tendebat hostis occupaturus, se induit in viarum angustias, è quibus difficile erat, citra damnum eluctari, cum à fronte haberet stagnum obiectum, à leua, & à tergo syluam apprimè densam, loco cætera tam arcto, vt frequenter non nisi vna cohors posset explicari. Vltra stagnum stabat hostis in cliuo, qui *Getzio* dexter erat, & tormentis verberabat stipatum *Getzij* equitatum. Haud procul operiebatur campus laxior quidem, sed interierat cursus inter duas syluas aditus incapax aciei; & iam hostis eam syluulam, quæ *Getzio* erat ad dexteram, insederat. Ergo non nisi properando poterat per istas fauces penetrari: periculum enim erat, ne antequàm emergeret, hostis præcluso exitu ipsum velut obseptum hinc à peditatu, qui dextram tenebat, illinc à sylua, & fronte validis agminibus clauderet. Dum *Hatzfeldius* sic laboranti auxilio properat, hostis in arcto deprehensum inuadit. Conferuntur manus; sed cum *Getzius* ordines explicare nequiret, mox fusus ipse, ac fortiter pugnans, occisus est. Recepere se nihilo seciùs trepida, ac turbata signa ad læuam *Hatzfeldij*, vbi legiones & aliqua tormenta constiterant, nouem enim tormenta iam *Getzius* amiserat. *Hatzfeldius* vtrosque reduxit in locum editiorem, in quem procinùs secutus hostis, cæpit legiones cum Cæsareis committere. Arrisit fortuna Cæsareis, nam Succi, amissis vexillis sexdecim; & aliquot signis equestribus, fuere retrusi.

Cęsar Pragam petit.

Leopoldi pugna cū Suecis.

cæsi Cæsarei ad Ianckauiam.

Ex

Sal. An. 1645. Ex altera parte incubabat hostis ijs, quos cum *Gatzio* fugientes *Hatzfeldius* in edito colle locarat, vt iterum inclinarent ad fugam. In cornu sinistro Cæsarei iam eò processerant, vt hostis desertis tormentis, victoriam desperaret. Præcox prædæ auiditas, quæ æquitatum Cæsareum in hostium impedimentis distraxit, spatium hosti fecit sese colligendi. Vnde instaurata pugna, pulsus Cæsareus equitatus. Supererant nudæ ab alis legiones, in quas demùm hostis tota vi cum incumberet, stipatæ, confusis ordinibus, in vnum velut globum confluxere. Re desperata, per hostium cuneos *Hatzfeldius* elabitur, sed non longè à duobus decursionibus in sylua deprehensus, manus cogitur dare captiuas. Pugnatum fuit prid. Non Mar. per octo horas. Capta è gregarijs ferè quattuor millia, cum tormentis viginti sex, & vniuerso militari apparatu. *Vverthius* & *Reuschenbergius* cum maiore equitum parte fuga se eripuere. Cæsar audita clade, noluit Archiduces liberos suos Viennæ relinquere: eos proinde Græzium iussit proficisci: Ipse Praga Viennam venit, ac inde repararet exercitum, & hostem irruentem Danubij transitu prohiberet. *Dorstensonius* victoria haud segniter vsus, transcursa raptim Morauia, Iglauiam primo, dein Cremsium, Steinam, aliaq; Morauiæ loca nemine iam resistente, facile in potestatem redigit. Olomucinm, quod Comes *Vvallensteinus* iam diu obsederat, fama aduentus sui liberat. Brinna supererat munitissimum totius Morauiæ propugnaculum, hæc veluti maris arenosum littus, Suecorum fluctibus terminum posuit. Hanc *Dorstensonius* ante triennium æquè improsperè, atque Freibergam irritus obsederat. Voluit rursùs eodem loco, fortunam, & vires experiri. Addebat stimulos opum ingentium fama quas Moraui in ciuitatem, arcemque, velut spei suæ reliquias, comportarant. Aprili ergo Mense, totis castris antè circumsedit. Præerat Vrbi *Stucheus* Gallus, cuius industria, & hortatu propugnatores inutile hostium reddidere conatum. Quatuor menses obsidio tenuit. Hanc sibi *Dorstensonius* nouissimam decreuerat victoriæ palmam, nec labori pepercit & sanguini, vt metam pertingeret. Plus ibi militum perijt, quàm si iusta acie decertasset. Cognito tandem inter Cæsarem & *Ragotzium* certò pacem conuenisse, supremam vim in obsessos putans adhibendam *Dorstensonius*, totis castris per quina omnino arcis vrbisque latera, generalem indicit impressionem. Incurritur summa vi, nec minore fortitudine subsistitur, victoria stantè penes obsessos. Re itaque desperata, plenus mærore obsidionem soluit, suæque felicitati termino imposito, paulò post excusata valetudine & fasces positurus.

lxvi Brinna frustra obsessa à Suecis.

Cæsareorum interim cladem vindicauerant Bauari. Cum Halam Sueuorum Vvinmarienses ductore *Turrenio* deditione cœpissent, ac Mense Aprili Mergentheimium, Rotlingam, aliaque ad Tubarum loca, dispersis hinc indè per Franconiam legionibus eodem tempore circumsederent *Mercius* Bauarorum ductor, lustratis apud Teuchtuuangam copijs, tertia Maij, summo silentio hostem apud Merghentheimium adoritur. Galli quanquàm inopinato aduentu consternati, impetum venientium strenuè excipiunt, ac magna virtute non solum sustinent, sed reprimunt, vt victoria ad eorum partes inclinare videretur. Inclinatam porrò aciem restituit *Ioannes Vverthius*, & *Tribunus Kolbius*. Concussum acriter, donec profligati Turrenici palmam Bauaro concessere, protrito toto peditatu, equitatu cum ingenti clade in fugam acto. Capti ex hoste quatuor Generales, *Smidibergius* castrorum præfectus, *Rosa*, Vice Comes *Morta*, Passagius, tres protribuni, sex vigiliarum præfecti, triginta duo centuriones, triginta octo vicarij, quatuor supra centum minoris notæ ductores, bis mille quingenti gregarij, machinæ curules omnes cum vniuerso instrumento, signa equestria XXIIX. pedestria XXXII. *Turrenius* fuga elapsus in Hassiam, additis ad se *Coningsmarchio*, & *Dubadello* Hassicisque copijs breui maiorem Bauaris exercitum refecit. *Coningsmarchio* verò in Saxoniam reuocato, dux *Anguienus* cum nouis Gallorum suppetijs superueniens Vvimpfenam occupat, aliaque loca, gradatim Bauaris imminendo *Mercius*, cui è Circulo Vvestphalico Comes *Gelhenius* quatuor millia, & quingenta adduxerat in subsidium, facta apud pagum Allesrheimium pugnandi potestate, atrox prælium conseritur. *Mercius* ante omnia pagum valida sclopetariorum manu munierat, in quem primus fuit hostium conatus, qui ad duas horas pertinaci vtrinque fortitudine fuit productus. Franci vt Bauaros ea statione depellerent, tectis iniecere flammam, qua con-

lxvii Gallorũ clades.

lxviii Anguieni gesta. vincitur.

Sal. An. 1645. contempta, quamuis à latere, & tergo incendio, à fronte hoste præmerentur, ne latum quidem vnguem cessere, grandi Gallorum strage, cum ex pagi templo continua scloporum procella hostes pererentur, Stetit Victoria Bauaro, sed funestus triumphus ob cædem *Mercij* infelici pila è templo secundum ceruicem in imum pectus temere excussa, à suis interfecti. Certamen subinde inerudiit inter alarios, nouo Bauarorum infortunio, nam *Gelhenus* venit in hostium potestatem. Franci, sublato vtroque stratego iam erectiores turmas reducunt in pagum quasi in eo occupando victoriam crederent. *Rauschenbergius* qui isthic curabat, tanta eos constantia recepit, vt denuo rejecti, terga verterent.

Inter hæc *Vverthius* qui in ala stabat sinistra, totum cornu dextrum ingenti strage profligarat. Ex aduerso dextra Bauarorum ala amisso *Gelheno* duce dispersa fugiebat. *Turrenius* qui læuos ducebat ordines, perrupta acie eam turbauerat, semel iterumque restitutam euerterat, non sine tamen *Angueni* ducis discrimine, qui fortissimè dimicans, secundum brachium fuit sauciatus. Annales referunt Bauariei, Bauarorum peditatum, alamque sinistrã immotam stetisse ad serum vsque vesperum; ne vero hostes potissimam partem fusum persequerentur, noctis incerta vetuisse. Habuisse interea Gallos spatium sese colligendi. Nocte Bauari dispositis excubijs, tormentorum suorum, ac hostium, quæ occupauerant, displosione in commune deliberarunt; videretur ne pugna in crastinum repetenda? vicit porrò sententia, vt receptui canerent, quòd plerique tormentorum vectores cum dextro cornu, vel abductis equis diffug erant, vel in acie ceciderant; vnde machinæ forent inutiles, nitrato etiam deficiente puluere, quòd ea pars, quæ in dextro cornu fuerat, in hostium venerat potestatem. Visus itaque tutiùs Donauuerdam abire. Fuit vtriusque euentus conflictus, voluisset vterque

Mercij mors. non pugnasse. Bauarorum maxima iactura fuit in funere *Mercij* inter clarissimos æui sui Heroes meritò numerandi, qui partis de hoste palmis dubium reliquit, maiora ne decora à Comite Gebbenensium illustrissimo sanguine fuerit assecutus; an suos ipse natales militari sapientia magis nobilitarit.

lxix Anguienus interea occupata Nordlioga, dein Dinckelspula, cum Heilbronnam frustra tentasset, exercitum in hyberna reduxit. Eius discessu Vvimpfenam, nonnullaq; alia loca Bauari iterum sua fecere. *Gelhenus* permutatus cum *Grammontio* Francorum castrorum primæ notæ præfecto, qui Ingolstadij captiuus attinebatur, condonato vtrinque lytro, & Bauaricis copijs à *Maximiliano* Electore præfectus, illico ad Donauuerdam instructo exercitu, iterum castra mouit in hostem, diurnisque velitationibus victor, omnia redemit, quæ eis Rhenum hoc anno occupauerant Galli. Iidem cum mense Nouembri nunciarentur vnà cum Hassis ad Treuiros subigendos mouere; ne vim adhiberent, intercessit Elector *Philippus Christophorus*, à Cæsare, ex summi Pontificis sententia, post longum exilium hoc anno in integrũ restitutus, Cal. Sept. redux eum substitisset Confluentiæ ad medium vsque Nouemb. Gallis iam vrbi imminentibus, modico stipatus milite, Treuiros profectus, medias veluti partes agens, à Gallis obtinuit, vt ab oppugnatione abstinerent; à ciuibus verò, vt bis mille, tum recens lectos tirones, tum Treuirensis agri colonos intra mænia reciperent, exclusis Gallis, quibus tamen transitus per ciuitatem, pontemque in aduersam Luxenburgici ducatus oram fuit permissus. Sic Treuiris cedentibus Hispanis Electori est restituta. Secutum exinde inter Electorem, & Canonicos Metropolitanos graue dissidium. Nàm penè omnes Elector vrbe pulsos dignitatibus exuit; Sed implorato Pontificis, ac Cæsaris patrocinio, in pristinum fuere remissi. Hæc in Germania. lxx Treuirensis Electoris manumissio

In Hispania Comes *Arcourtius* à Rege Gallorum in Catalauniam titulo ProRegis missus occupata Rosa, insigni apud Mare Gallicum portu, mox conuerso cursu ad Sicorim Fluuium conserta manu, Hispanos profligat. In potestatem victoris venere Marchio *Mortara* Dux veteranus, & ducenti Ordinum ductores plerique omnes primaria ex Hispanorum nobilitate. Profugit cum magna equitum parte *Andreas Cantelmo*, sed ab eodem *Arcourtio* Balaguerij (oppidum est ad Sicorim) obsessus, & captus cum tribus Hispanorum millibus Fonterabiam deducitur. lxxi victoria Gallorũ in Catalaunia.

In Flandria dux *Aurelianensis* viginti sex millium exercitu fortis Mardicum occupauerat, frustra ad mænia Durquerchæ objiciente *Piccolomineo*. Id tamen non sine sanguine frustra effuso, nam Hispani non multo post per insidias amissum recuperarunt, eodemque tempore Hulstum oppidum à tergo Hollandi lxxii

Sal. An. 1646. landi interceperunt. Aduenit paulatim annus quadragesimus-sextus iuxta mundanam vicissitudinem risu, planctuque permixtus. Mense Maio moritur *Maria* Imperatrix soror *Philippi IV.* Regis Hispaniarum, & ipse non sine
lxxiii luctu ob mortem *Philipi V.* filij sui, Gestabat illa in ventre prolem, quæ ex vtero iam defunctæ matris exempta adhuc viuens, salutari est expiata lauacro. Non longe aduenit *Ferdinandi Francisci* primogeniti Cæsaris inauguratio
Ferdinādi IV. inauguratio. Bohemica, Pragæ peracta, præsente patre, post nouum præstitum ei sacramentū ab ordinibus regni. Anno verò 1647. Posonij Rex Hungarorum coronatur. Postea classicum resonante *Gustauo Carolo Vrangelio*, qui à Sueciæ Regina *Dorstensonio* fuerat substitutus, quòd is excusata valetudine, se suprema militiæ præfectura, post quadriennales victorias abdidisset, iubet
lxxiv Vrangelius. Cæsar militem aduocari sub signis. In Thuringia hybernauerat *Vrangelius*, mox Vere ineūte Hexania domita, transmisso Visurgi, Padebornam, Lengouiam, & Statbergam munitissimum aliàs locum, sed non satis pro ea necessitate prouisum intercipit. Interim Archidux *Leopoldus* cum *Melchiore Comite Hatzfeldio*, *Gelhento*, *Renschenbergio*, *Vuertio* & omni Cæsareo, atque Bauarico exercitu in Hassiam, & Veterauiam progressus; recepto ad se *Meleandro*, postea dicto *Holtzapfelio* (qui postquàm Hassicæ militiæ magna nominis existimatione, partisque pluribus de hoste trophæis præfuerat, Sacramento solutus, ad Cæsarem, & Electorem Coloniensem transiens, ab eodem Cæsare generalis Orbis Vvestphalici factus strategus, in Electoris Coloniensi verba iurarat, in *Gelbent* locum fuerat suffectus) castra apud Ilmenstadium haud procul Nidda fluuio posuit. Sueci vero reducto in Hassia prope Kirckainium consederant. Dein tantis exercitibus alendis impare solo, inter continuas velitationes (in quibus *Gelhenus* secundum brachium, latusque sinistrum, vulnus illetale tamen accepit) *Vrangelius* castra Cæsareorū fæliciter transgressus, simulata in agrum Moguntinum irruptione, subito in Franconiam, elusis Cæsareis diuertit: eaque raptim transcursa, Nordlingam, Donauuerdā, atque alia ad Danubium
lxxv Sueci Augustā obsident. loca inuadunt, transitoque Danubio Rainam octo dierum obsidione expugnant. Inde ad Augustam Vindelicorum totis viribus conuersi, cum non esset sufficienti instructa præsidio, eam etiam insidiosè delinire tentauit *Vrangelius*, misso *Alexandro Eskenio* ad magistratum, qui vrbis hosti dedendæ conditiones proponeret. Non erant alieni Acatholici: immo ferebatur clanculum hostem inuitasse. Horum votis intercessit Magistratus Catholicus, quo auctore admisso præsidio Cæsareo, salutare fuit inuitari illud consilium, non modò ad sustinendam arcem, sed ad coercendam hostilem licentiam, & ad intercipiendos fæderatorum progressus.

Eskenio itaque repulsam passo, Gallo Succi VIII. Cal. Octob. designata Augustæ obsidione, rati neq; diuturnam, neq; arduam fore expugnationem, cis, & trans Lycum copias mouetunt. Vndeviginti diebus obsessio tenuit, extra hoste viginti tormentis verberante mænia; cuniculis suffodiente muros, igneis pyrobulis incendendo ædificia, intra verò conspirantibus Lutheranis, quorum matronæ, virgines, pueri flexis genibus, planctu, & vlulatu omnia miscētes, deditionem poscebant. Neglectæ tamen preces apud Duumviros, & rei militaris præfectos, spretæque minæ Protestantium dira omnia, si res malè cederet, minitantium.

Interim *Archidux Leopoldus* Danubio in Straubingam transmisso, Landishutam primo lxxvi
deinde Mosburgum, & Frisingam, demum XII. Oct. veniens in Augustæ conspectū infra Fridbergam adhuc ex incendio fumantem, aciem explicuit; eoq; die hostem ex munimentis Lyco impositis, centum obtruncatis, captisq; duabus machinis, depulit. Postridie, (qui D. Simperto Augustę patrono sacer est) hostis, obsidio
castris ab vrbe motis, trepidum agmen ad a- soluitur.
renarium montem agens, pagos, quos antè in fęderat, frustraneæ obsidionis futuros testes, incendit, obsidionemque soluit. Inde per Sueuiam grassatus incendijs, festinato ad Lycum itinere; Landspergam III. Nouemb. obsessam, ac deinde expugnatam fædè diripuit. Eandem fortunam subijt Vvelheimium, Schōgauia, Mindelheimium, iterumq; amissa, ac recepta Donauuerda, Brigantium ad lacum Podamicum, siue Constantiensem oppidum insuperabile, si tam fuisset rebus, hominibusq; ad defensionem necessarijs, quàm situ, ac propugnaculorum parte munitum. Plurimum intererat seruari istud præsidium, è quo patet lxxvii
aditus in Italiam, Rhætiam, Enggadinos, Ty- Brigantiū
rolim, Heluetiam, potestque ex eo totus lacus Succi
cum proximis ciuitatibus reddi infestus. Ibi expugnāt
ingens auri, argenti, rerum pretiosarum, vini,
fru-

Sal. An. 1646. frumenti velut in tutissimo loco finitimi reposuerant. *Acherus* chiliarca cum infrequente præsidio loco præerat. Magna ex agrestibus, sed inconsulta fiducia. Non deerant machinæ bellicæ, sed pectora à quibus regerentur. Adueniente *Vrangelio*, fugerant è syluestri receptu agrestes, quos è vestigio sequutus, appulit ad claustrum Brigantij, vbi erant peruptæ alpes, in quibus generoso constiterant animo. In has tamen immissæ centuriæ, momento in subiectum pagum depulerunt. Neque hic tamen, tametsi locus aggere protectus defendi posset, fugaces homines diu sustinuere vim militarē. Noua itaque fuga in aliud munimentum è grandis scopuli supercilio prominens, quò aditus erat per pontem subductarium profundę voragini impositum, se recipiunt. Sueci verò rusticis immixti, pontem, ipsamque munitionem recipiunt. Supererat ad receptum vnum Brigantium; sed *Vrangelius* tormentis ad lævam quà descensus erat, dispositis, infestus fugientium latera verberabat miserabili cæde. Illi, quos fortuna fouit, in auersum collem, camposque, pars in naues, quæ ad Brigantium stabant in anchoris euasere Brigantiū ipsum post duarum horarum certamen manus dedit. Sex mille ea die periere coloni, Capto *Aschero* præfecto, cuius iussu arx etiam Pfannenberga, quæ Brigantio imminet, Vrangelio dedita. Hinc quanta, & qualia vicini passi sint incomoda, dabit futura infortunij series.

lxxviii *Meleādri victoria.* Meliori fortuna in agro Coloniensi *Melander*, iam à *Leopoldo* Archiduce digressus, Zonsam oppidum, quod Hassi circumsidebant, obsidione liberat; inde in superiorem diæcesim profectus, EusKirchium eiecto Hassico præsidio, suis copijs confirmat. Maiori felicitate per *Baldumum Remontium* VVidembrugæ gubernatorem Padebornam tertiò impetu, cæsis vel captis præsidiarijs expugnat.

lxxix *Orbitelliū Gallimas obsideat.* Nec ferias agebant Galli, quatuor exercitibus rem Hispanicam præmentes, *Princeps Thomas* Dux Sabaudiæ captis apud mare Thyrrenum Telamone, & S. Stephani portubus, cum insigni classe, & viginti millium exercitu Orbitellium in eodem littore obsidebat. Præerat loco *Carolus Gatta* Hispanus, qui etsi media æstate, ac summo æstu acres hostium, & continuos insultus strenuè sustinuit: Donec adueniente Neapolitana classe (quæ cum Gallis congressa vicit) succedentibus insuper terrestri itinere alijs, atque alijs auxilijs, cum semper ferè victoriam reportaret, eò Gallos adegit, quorum exercitum crebræ irruptiones, & intensissimus ijs locis æstus plurimum imminuerat, vt omissa obsidione satiùs putarent reliquas copias reficiendi causa reducere, atque in Pedemontium collocare. Ita Orbitellium discrimini exemptum, magna *Gattæ* gloria, cuius perenne monimentum distichon illud est ab Italo concinnatum,

Venere Galli, miseri rediere capones
Quis castrauit eos? credite Gatta *fuit.*

Ignominiam porrò eluit *Mille reus* Gallorum ductor, Plombino, & Portu Longone captis: quæ tamen paulò post rediere ad Hispanos adeo incerta sunt & infida, quæ iure armorū alternante habentur, & amittuntur. Nam pari exitu hoc ipso tempore Cataluniæ, & Belgij res steterunt, cecideruntque vt est Mars communis, & victum sepè erigit, & affligit victorem. ProRex *Harcourtius* Ilerdam obsidebat munitam vrbem ad Sicorim, ac præpotentem, sed pari euentu cum Orbitellio. Nā post quinque ferè mensium obsidionem summis viribus, & magno Gallorum sumptu, detrimentoque continuatam *Marchio Leganes* cum xxv. millium exercitu castra Gallorum adortus, vrbem periculo exemit. Galli relictis impedimentis, & machinis bellicis supra sexaginta cum reliquijs exercitus Balaguerium recessere. Multo tamen sanguine victoria Hispano constitit, quippe hostem munimentis clausum aperto è campo adorientibus, difficile fuit statione sua Gallos pellere. lxxx *Ilerda obsessa à Gallis.*

Tertius Gallorum exercitus, cui *Anguienus* præerat, quadraginta millibus virorum instructus erat: hoc Cortracum primò, dein VVinoxberga, & Mardicū, quod Hispani nuper per nocturnam aggressionem receperāt, capta; DunquercKa quæ caput expeditionis fuerat, circūsideri cæpta. Is munitissimus Flandriæ portus est, & solus ferè ex quo ijs locis rem maritimam gerunt Hispani. Quatuor millibus constabat præsidium duce *Marchione Ledeo*. Milite cum abundaret *Anguienus*, sanguini non pepercit, Hollandi, ne quid externi aduenirer auxilij portum classe sua obsederant. Sic excluso vndique auxilio, honestis conditionibus vrbs dedita, communicata Hollandis gloria, non felicitate. Nam Venlona ab ipsis per idem tempus obsessa, tædio rerum malè procedentium, irrito effectu recesserunt. lxxxi *Dunquercha capta.*

SE-

Sal. An. 1647. *SEDITIO NEAPOLITANA.* An. 1647.

SEquitur Annus huius sæculi quadragesimus septimus Neapolitana nouitate clarissimus, Hispanisque periculosus. Neapolim vrbem postquàm domus Austriaca acquisiuit, LXXXII veluti efrenem equum clementer habuit, & præcipuè *Ferdinandus* Rex, ac *Carolus V.* insignibus priuilegijs donauit, vt solùm *Donatiui* titulo tolerabilia tributa Regi penderet. Hæc ingruente temporum necessitate aucta, & publicanorum rigore grauia esse cœperunt, ea maximè, quæ publicæ annonæ imponebantur. Hoc tributi genere, cum Neapolitanus populus (cuius est Neapoli ingens numerus) grauaretur, eò questus processit, vt plurimi se exactoribus opponerent, præcipuè quod pomis, oleribusq; etiam vectigal fuisset impositum. Horum tamen contumaciam paucorum supplicio præfecti compresserant, donec non cessantibus querimonijs, repertus est homo abiectus, atq; ex infima plebe, qui se liberatorem patriæ profiteretur, & abrogandi vectigalia negocium in se susciperet. *Masaniellum* eum vulgus appellabat (*Thomas Agnellus* nomen erat) iuuenis audax, & temerarius, qui vili officio in foro piscario fungebatur, (Eius coniunx lotrix erat) sed lingua promptus, & manu audax. Accidit verò vt *Masaniello* pisces, quos ad forum venales deportabat, iussu Præfecti rerũ forensium auferrentur, quia tributum soluere recusaret. Irritatus propterea *Masaniellus* circuibat fora, & vendentium tabernas, vbique propalam singulos hortando, ne tributum penderent: promouendo se propediè effecturum, vt vectigalia omnia tollerentur. Ridebant quidam hominis vanitatem, eius capite castigandam, ni desisteret. Præuiderat & ipse, ni præueniret. Septima itaq; Iunij, quæ fuit Dominica, in forum prodit cum parua puerorum manu, cui se alij, atq; alij è plebe adiunxerunt. Orta ibidem rixa inter eos, qui canistrum ficorum ex vicinis pagis venalia deportabant cum exactoribus, accurrit præfectus *Andreas Anaclerius* ad comprimendum tumultum, sed quia multitudini auerraretur, pomorum iactu è foro pulsus, ad ProRegem *Ducem de Arcos* contra plebanam insolentiam accurrit. Nihilo tamen multitudo territa magis tumultuabatur, vnaque voce clamabat, *viuat Rex, tollatur malum regimen*. Interim *Masaniellus*, qui adhuc in foro stabat, in proximam ibi mensam consurgens, magna ad

Masaniellus.

populum voce concionatur. Summa erat, eum ducem sequerentur, si vectigalibus vltimam eam vellent diem. *Nam ipse pro patria li-bertate honesta morte iam occumbere cogitasse.* Annuit iam concitata plebs, qua insequente *Masaniellus* tabernas omnes, vbi soluebantur vectigalia, igne incendit subiecto; ProRegem inde adit; abrogationem postulat vectigalium, exemplum priuilegiorum *Ferdinand.* Regis, & *Caroli V.* exposuit, ostentata vi, ni postulatis satisfieret. Frustra tẽtauit ProRex animos pacare furentium, nam numerus eorum ad quinquaginta iam millia excreuerat, vixque fuga euasit ipse ProRex proiectis aliquot nummis aureis. Postero die centum mille in armis fuere, quibus veluti dictator *Masaniellus* præerat, eo imperio, atq; obsequio, vt Regi viderentur parere.. Primo omnium in armis esse eos iussit. Deinde pretium pani, cæterisque edulijs impo. suit; reliquas publicanorum tabernas igne corripuit. Inde in domos eorum, qui vectigalia exigebant, conuersus, bona eorum veluti pauperum congesta sanguine in publicum lata igni tradidit; idque tanta seueritate, vt nemo vel rẽ minimam ab igne subtraheret, vel in suum vsũ conuertere auderet. Si quis edictum violasset, dato spacio vt se ad mortem pararet, puniebatur, nullo facto personarum discrimine, vnde terror, & obsequium. Quarto post tumultum die, cum *Dux Matalonius* ac eius frater *Ioseph Caraffa* quingentos ferè equites, qui omnes proscripti erant, ad interficiendum *Masaniellum*, & præcipuos turbarum auctores submisissent, re explorata, equites iussit comprehendi, suspendio dari; quòd protinùs factum. Inde in Ducem inquiri; Extractus è latebris *Ioseph Caraffa* frater Ducis, qui & ipse in furcam non fuit actus, quia à furiosa plebe interemptus, eiusque caput à lanione quodam grandi cultro abscissum, & perticæ affixum veluti in triumpho ad *Masaniellum* perlatum fuit. Excepit is vultu ridenti, & crudeli sarcasmo subsannasse, fluentemque adhuc cruore barbam per ludibrium dicitur contrectasse: grandi nobilium metu, præcipuè ProRegis, cuius in capite iam fabula canebatur, quia vulgus prò certo habe. ret, suadente ProRege, *Matalonium* in plebem conspirasse. Iam *Masaniellus* edixerat, nequid eduliorum in castellum, vbi erat ProRex, asportaretur. In tanto rerum discrimine *Cardi-*

Concio Masaniel

Sel. An. 1647. *nalis Philomarinus* vrbis Archiep. magnam operam nauabat, vt tumultum compesceret, & per omnes Ecclesias exposito Venerabili Sacramento, preces indixerat. Postea *Masaniellum* adijt, iureiurando se obligans, quòd *à ProRege primo Amnestiam Generalem impetraret, vectigalium omnium abolitionem, & obseruantiam priuilegiorum, quæ Ferdinandus Rex, & Carolus V. Cæsar indulserant*, His facile, postquàm à ProRege subscripta fuere, *Masaniellum* ad quietem composuit. Adiectum his ab Archiepiscopo menstruum donarium prò *Masaniello* ducentorum coronatorum, quod tamen ille recusauit. Pace perfecta, *Masaniellus* suadente *Philomarino* ProRegem adijt, pacta confirmat, populo pronuntiat, simulque vt pacificè, ac modestè inter se agerent, seuerè indicit; porrò armis non depositis, donec à Rege Hispanorum, confirmatio adueniret. Hæc vnius hebdomadæ acta fuere. *Masaniellus* re vt putabat egregiè peracta, in delirium actus est, vel potione illi à ProRege machinatum, quum sequestre *Philomarino* colloquium cum ProRege *Masaniellus* habuit in arce, populo interim foras expectante. Cumque *Masaniellus* moram traheret, & dubitaretur perijsse, irrumpere tentauit plebs magno ProRegis discrimine. Quod vt effugeret, *Masaniello* suasit, se è podio spectandum furenti populo præberet, & poculo propinaret, Paruit *Masaniellus*, vnaq; vice, elauata manu silentiũ indixit: quod tanto acceptum obsequio, vt nec mussitare quis auderet: & bibendo in salutẽ Regis, ac populi, mortem sibi hausit, quam ei ProRex in poculo destinauerat. Vel negotiorum molestia, nam eo octiduo somnum, & cibum vix cœperat. Delirus itaque homo cum multa præposterè gereret, suis odiosus, à quatuor nobilibus hac occasione in tempore visis, interficitur. Caput à lanione cultro absectum, & perticæ oblongæ impositum, truncus à scurris aliquot per plateas tractus diu spectaculo fuit. Hunc exitum habuit *Masaniellus* decimo post rebellionem die, *Rex sesqui-hebdomadarius*. Masanielli morte respirauit nobilitas, quæ eius imperio oppressa in singulas horas supremam perniciem expectabat, Paulo tamen post quasi plebem pæniteret libertatis suæ imolasse auctorem, eumq; ProRegis dolo fuisse sublatum, conquisitum cadauer in Ecclesiam Montis Carmeli asportarunt, ac regia ferè pompa iusta soluerunt. Inde ferociores excurrentes, nec ampliùs *Philomarino* credentes, resumptis armis, postulatis suis pertinaces insistebant. E contra nobiles cum ProRegi adhærerent (vnica hæc fuit Hispanorum salus) res paulatim in ciuile bellum exarsit. Plebs vrbem, Nobiles cum ProRege arcem, & portum tuebantur. Populo nihil deerat preter ducem, Hinc misit Rex Galliæ *Carolum Lotharingia Ducem Guisium* in

lxxxiij veneno perit.

lxxxiv regia pópa tumulatur.

Dux Guisius.



[illegible] huius regni Roma euocatũ. Venit *Guysius* magno triumpho; atq: plausu acceptus; cuius aduentu firmata multitudo diù partes suas [illegible] aduersus ProRegem. Sed mox mutato consilio more vulgi, cui præsentia fastidio, insueta desiderio sunt, de eo in captiuitatem

tatem

Sal. An. 1647. tatem agendo, repentè eorundem proditione
qui vocauerant; decidit; expertus suo damno,
imperium cupientibus, nihil medium inter
præcipitia, & summa: ac sepè inter fortunam
maximam, & vltimam nihil interesse. Data ita-
que pænitentibus venia, paulatim belli tædio,
lxxxv amor & obsequium erga Regem redijt; recep-
Io: Austriacus. tique in gratiâ nomine Regis à *Ioanne Austria-*
co ad quietem se composuere. Dux *Guysius* re-
prehensus è fuga, in potestatem venit Hispa-
norum. Hoc forsan annuit *Guysij* symbolum,
in quo intertexta spineæ coronæ Lotharingica
crux exhibetur, sub lemmate, *Fortes non lædunt*,
Patientiæ scilicet hieroglyphicum, & constan-
tiæ, qua æquanimiter tulit captiuitatem. Conso-
nat symbolum alterum *Gagate* lapide insigni-
tum, cuius ea natura est, vt si aquam infun-
das exardescat; si oleum superfuderis, ex-
tinguatur. Inde lemma, *Feruet in aduersis*.
Virtus enim, quæ in sacris literis nomine
aquarum adumbrari solet, languet imo ex-
tinguitur inter delicias. Sedato tumultu, *In-
frenis* equus, qui est Neapolitanorum insigne,
cum freno visus est, fremente populo, sed se-
ditioni minimè idoneo, quod Hispani arces
tenerent.

INDVCIÆ SVECORVM CVM BAVARO.

BRigantinis occupatis faucibus ab *Vrangelio*
Menauiaque insula in lacu Acronio, me-
dia hyeme ad obsidendam Lindauiam animũ
adiecit. *Maximilianus Vvilibaldus comes
Vvolffegius* vrbi præerat, qui cognito hostium
consilio omnia parauit ferendæ obsidioni ne-
cessaria, septingentos, qui ex agrestibus in vr-
bem confugerant, armat, præsidioque immi-
scet; reliquam turbam ad fodiendum, & mili-
tantibus ministrandum accingit. Ipse omnibus
consilio adest, & exemplo. Venit *Vrangelius*, &
ignitorum, lapidumque iniectu diu, noctuque
grauiter muros, hominesque flagellauit. Fru-
straneo tamen labore, nam post duorum men-
sium obsidionem hostibus sponte recedenti-
bus conseruata est. Postea re cum Heluetijs cõ-
posita, rursum transmisso Danubio in Franco-
niam concedens, Sueinfurtum expugnat. Inde
vt Bauarum à Cæsare seiungeret, particulares
clam offert inducias, vel nouam irruptionem
minatur: Eligeret, quem malet. *Maximilianus*,
lxxvi duodetriginta annorum bello fatigatus, exhau-
sto ærario, prouincijs afflictis ad quietem pla-
cuit adspirare. Tametsi enim venturæ essent à
Cæsare suppetiæ, id tamen incomodi euitari
non poterat, quia belli sede apud Bauaros con-
stituta, non ab hoste modò, sed etiam ab ami-
cis iam alioqui exhausta prouincia obrueretur.
Accessit Ministrorum simultas, qui prò Cæsa-
re, & Bauaro generales tractabant inducias. Hi
cum minimè conuenirent, vel quòd vterque
belli molem in ditionem socij transferre cura-
ret; vndè præpropere clam rem suam ageret,
Bauarus particulares composuit inducias prò
se, & Coloniensi Electore fratre suo, priusquã
Cæsarei ab Imperatore mandata acciperẽt ne-
cessaria. Patuit arcanum, cum *Maximilianus*
tres ciuitates, Memmingam, Hailbrunnam, &
Vberlingam cum Rhaina, Donauuerda, Min-
delheimio, Vvisenstaichio, Vvembdinga, &
Haidenheimio commutauit, & tres illas in ha-
rum vicem Francis, ac Suecis permisit, quæ ad
Imperium spectabant, & *Maximiliani* curæ
fuere commissæ. Res confecta est Vlmæ, XIV.
Martij ea lege, præcipuè *vt copias suas Baua-
rus ab exercitu Cæsareo retraheret. Ciuitates v-
trinque restituerentur. Augusta media staret, li-
bera ab externo præsidio. Instauretur commerciũ.
Dimittantur captiui. Intra octo hebdomadas Co-
loniensis pactum adprobet aliter in numero ho-
stium habeatur.*

His pactis, *Vrangelius* in Bohemiam mouit, lxxvii
atque in ipso Cæsareorum conspectu Ægram *Ægra*
difficili sanè, & cruenta obsidione in potesta- *expugna-*
tem redegit. Porrò induciæ dictæ magno mox *tio.*
dissidio Cæsarem, & Bauarum collisere. Cæsar
namque publicato edicto, copias Bauaricas, vt
pote sibi, atque imperio sacramento addictas,
quasque ipse magnis aluisset impensis, reuoca-
bat, atque vt in sua castra, ac signa transirent,
hortabatur. Paruere pauci, inter quos *Ioannes
Vverthius* supremus Bauarici equitatus præfe-
ctus, *Sporchius* quos magno honore, muneri-
busque Cæsar affecit. Contra *Maximilianus*
exercitum hunc ad se pertinere affirmans, sibi
iuramento obstrictum, suis sumptibus susten-
tatum, suis etiam auspicijs, ductuq; licet prò
Cæsaris commodo, atque imperij gubernatum;
seuerè edixit, ne quis euocanti Cæsari pareret.
Cognito *Vverthij*, aliorumque transitu, & quã-
tum ille commilitones sollicitasset: multò im-
pensiùs ad retinendos in obsequio milites labo-
rauit, constitutis seuerissimis pænis in tran-
sgressores, atque in ipsius *Vverthy* caput decẽ

Sal. An. 1647. millibus Imperialium, quis eum morti traderet. Erat porrò Bauarus vndique pressus angustijs. Cæsarē armorum separatione offenderat; metuebat, ne eo conniuente, crederent Sueci *Vverthium* cum socijs ad Cæsarem defecisse: propterea non amplius vnum, sed geminum hostem in posterum habiturus. Accedebat, si totus exercitus ipsius ad castra Cæsaris transiuisset, ipse omni præsidio nudatus, cuiusque pateret incursibus. Succos itaque Gallosque primùm admonuit, ne quid sinistri in eum suspicarentur, seque de hoc transitu prolixè purgauit. Cæterum induciæ tanto opere, fideque initio seruatæ paulatim refrigescere cæperunt, ac grauibus de causis ab ipso Bauaro repudiatæ. Inter has præcipua erat, quòd vniuersalis pacis negotium, quod in ianuis & prope confectum Sueci promiserant, modò iniustis comperendinationibus protrahebant; iniquissima postulando à Catholicis, vt interim, debellato Cæsare, tutiùs in Bauarum insurgerent, & quos iunctos non potuerant, separatos profligarent. Postulabant ad hæc pro sua tantùm militia viginti milliones thalerorum Imperialium, quos soli Ordines Catholici cum Cæsare dependerent. Adhæc in senatu, ac sessione Imperij principum secularium, quem locum dux Bauariæ à multis iam annis obtinuerat, ipsi eo exturbato, primum locum, ac suffragium petebant. Cumque *Maximilianus* eorum postulatum acriter impugnaret, responderunt ipsi se non voce, & calamo, sed flammis ferroque eam querendi licentiam vturos. Tandem eò etiam sunt progressi, vt Cæsari inducias offerrent, quò foret expeditior ad Bauari,

lxxxviii *Coloniensem agrũ Sueci infestant.* Armistitij vltionem. Adhæc non parum ponderis addebat, quod *Coningsmarchius* ditiones Electoris Coloniæ infestabat, expugnando Vechtam, aliasque arces quæ Cæsareo tenebantur præsidio, neque eas Electori ex pacto restituebat. De constitutionibus Hassicis nihil remittebatur, neque Landgrauia ratihabitionem suam iuxta conuenta mittebat. *Maximilianus*

induciar renũciat Bauarus. itaque de nouo rebus cum Cæsare compositis, XIV Sept. Suecis Vlmenses renuntiat inducias: easque cum Gallo seruare paratus, vsque ille non deficeret. Mox Memmingam, quam Suecis tradiderat, post obsidionem, in deditionem accipit. Nordlingæ etiam vis illata, sed frustra. Erat tunc *Vrangelius* in Bohemia, occupataque Egra, contra Cæsareos considebat. Cæsar ipse, defuncto *Galassio*, cui ad supremam belli præfecturam substituerat *Melandrum*, in castris erat, oblata *Vrangelio* pugnandi copia. Cum is refugeret, eum cum maiore exercitus parte Bohemia, ac Morauia procul remouit. Hassiā inde populatus, nonnulla centena florenorum millia nomine redimendorũ incendiorum exegit, *Landgrauia* Vidua ad eam petitionem vicissim cædes, flammas, excidia finitimis Episcopatibus, & cœnobijs minitante. *Comes Holtzapfelius*, quo locum aliquem firmum haberet in Hassia, Hombergam arcem, anno abhinc septimo dirutam, restitutis munimentis, præsidio, & idoneo ad defensionem commeatu instruxit. Inde in hyberna diuiso milite, *Fernamontius* rei tormentariæ præfectus Marpurgum obsidendum accepit. Expugnauit quidem ciuitatem; Arx tamen propugnante tribuno *Stauffio* in potestatem Hassorum permansit, graui Cæsareorum damno. Nam Hassus cognita domo, vbi *Melander* diuersabatur, septem tormenta illuc dirigi, & explodi vno impetu iussit. Neque res periculo caruit. *Melander* & *Marchio Badensis* muri, & tabularum dissilientium fragmentis grauiter sauciantur. Vrbs itaque cum sine arce retineri haud posset, spoliatur, atque deseritur.

lxxxix Cæsar pugnam offert Vrangelio.

Interim iubente Cæsare, Comes *Buchemius* pulso Bohemia, ac Morauia *Vrangelio*, Octobri mense, Iglauiam insignem Morauiæ vrbem adhuc à Suecis infessam obsidet: Tenuit obsidio ad octauam vsque Decembris, qua Sueci vitam, libertatem, & sarcinas pacti, incolumes excessere Gloggouia.

xc Iglauiam recuperat Cæsarei.

Accessit per id tempus alia res, qua nulla opportunior Cæsari accidere poterat, seditio *Vvinmariensium*. Quæ stipendiorum defectu orta, eò vsquè prorupit, vt deposito palam obsequio à signis Gallicis discederent, ac militiam detrectarent. Creuitque contumacia aduentu *Turrenij* à Rege missi, vt motus sedaret. Crescente namque contumacia, postquàm *Turrenius* reconciliationem desperauit, partem exercitus, quæ sub obsequio remanserat, in refractarios immisit. Illi tamen in vim præuisam probè muniti, ad *Coningsmarchium* defecerunt, à quo bimestri placati stipendio, excepti sunt. Huius seditionis cum auctores dicerentur *Rosa, Schmidbergius*, & *Fleckenstrinus* à *Turrenio* dati fuere custodiæ Eclingæ.

Vvinmariensium seditio.

Annum claudit Electio *Ioannis Philippi*, Episcopi Herbipolensis ex illustri *Schonbornioru̅* fa- xci

Sal. An. 1648. familia in Archiep. Moguntinum, XIX. Noueb. | in locũ *Anselmi Casimiri* qui fatis concesserat.

PAX MONASTERIENSIS. An. 1648.

PAcem aggredimur Monasteriensem, sed prope funestam, nam solum post soluta Bauariæ funera composita est. Distracto in Hassia exercitu Cæsareo, coactis *Vrangelius* ad Oldendorfium copijs, Visurgim traiecit. &*Turrenio* iunctus apud Aquatrudingam cũ viginti quatuor armatorum millibus, rectà mouebat in Boicam. Fuerat Herbipoli *Vrangelius* ab Electore Moguntino, qui in medias partes concesserat, honorificè exceptus; Vvinsheimium XII. Martij post bidui obsidionem, ducentis sexaginta Bauaricis se eius arbitrio dedentibus, extorserat, præmissoque *Coningsmarchio*, credebatur propediem totus Fœderatorum exercitus adfuturus. Sponte interea Bauari Donauuerda excessere; exusto ponte, credentes contra tantam multitudinem hostium defendi haud posse: Magistratus vt hostem clementiorem haberet, ciuitatis claues vltro obtulit. Patuit fœderatis pari ratione Dilinga, Hechstadium, Guldenfinga, & quicquid intra Lauingam, & Nortlingam arctabatur. Non minori crudelitate, ac barbarie arma gerebat *Turrenius*, ac *Vrangelius*; locus cum adhuc eis non esset munitus in Bauaria, nec memorabilis, sed oppida tantummodò, & pagos, ac vrbes minimè præsidio, & propugnaculis validas intercepissent, cæde, incendijs omnia vastabant, vt rapinas potius, quàm bella gerere viderentur in muros vsque sæuiendo. Plurimis velitationibus congressi, cum longe numero superiores Bauaro-Cæsareis essent, semper euasere victores. Danubio apud Lauingam traiecto, cum in postremum Cæsareorum agmen, qui haud procul Augusta tendebant, præmisso *Coningsmarchio*, inuectus, locique opportunitate vsus, in quo ob angustiam acies explicari non poterat, feliciter etiam pugnauit. Frontem obuerterat oppidò *Melander Holtzapfelius*, qui agmen curabat, & fortiter pugnans inter primos, dextrum humerum, pectusque traiectus, gemino vulnere, ex eo sub noctem extinguitur. Eius cæde perculsus exercitus, transmisso propere Lyco in interiorem Bauariam recessit, relicto aditu *Vrangelio* vt Bauaria pro voto poti-retur; quasi in fatis esset, vt per eam portam Suecus excludi non posset; cum etiam Rex *Gustauus* eodem prope loco Lycum fluuium traiecisset. Dein expugnata Frisinga, superato

Bauariã vastat Vrangelius

Cæsarei victi à Suecis prope Augustã.

XCII Meládri cædes.

Isara fluuio, nemine resistente, totius intra Oenum Bauariæ potitur, paucis oppidis exceptis, quò *Maximilianus* Elector peditatum præmiserat. Quantam predam, quantam cladem sit passa Bauaria, hostis ipse, si non ingemuit, saltem expauit, cum patrata pensaret facinora. Landishuta iam bis ante ab hoste capta, semel à *Vveimario* expugnata, accensa, & propè excisa, cum nuda esset ab omni præsidio, nè se temerè imminenti exitio committeret, litteras misit ad vtrumque Gallorum, & Suecorum ducem, quibus se eorum permittebat clementiæ. Duces ista facilitate mulciti, literas dedere securitatis, sed parũ vtiles, nam expilatis horreis, imposito lytro, cum ciuitas moram gereret, auarus miles suburbia incendit. Mitiùs tamen Sacra tractauere Sueci, quàm olim Vveinmarienses: timentes vt infaustas huiusmodi rapinas Religionem recenti confirmabant exemplo. Eques qui pridie sublatam P. P. Dominicanis planetam ephippio post tergũ aptauerat, ferali glande traiectus, mox luerat temeritatem. Alius duos calices argenteos restituit, recusato redemptionis pretio, veritus ne in se Nemesim prouocaret diuinam. Exemplo Dingelfingæ edoctus, vbi Suecicus miles Deiparæ minuta statua per contemptum in conclauis angulum abiecta: vt primum Imago terram attigit, simul irrisor exanimis concidit. Maiore fama aliud prodigium celebrat *Historia Bauarica part. 3. lib. 33. n. x.* Tres equites cum in templo statuam S Mariæ Magdalenæ Christi è cruce pendentis pedes amplexantis conspexissent; eiusque in indice annulum aureum, voti causa more Catholico olim insertum, hunc eorum vnus digito detraxit. Tẽplo egressus vix equum conscenderat, cum obtorto collo, ad tergum obuerso ex equo præceps effunditur. Alter ignarus tam subitum funus pænam esse sacrilegij, inter demortui spolia annulum legit: vt passus aliquot procedit, pari & iste plectitur pæna. Tum tertius veram causam subitæ vindictæ subodoratus, annulũ iconi restituit. Ad bellica redeamus.

Trisinga capta.

Lãdishuta occupata.

XCIII Sacrilegiorum vltio.

Oeni transitum apud Muldfordium cum diu frustra fœderati tentassent, magna semper clade repulsi ab excubantibus in aduersa ripa Bauaricis; superuenit in tempore *Octauius Picolomineus Dux Amalphitanus* à Cæsare XCIV

im-

Sal. An. 1648. immissus, & *Melandro* in præfecturam exercitus substitutus. Qui cum *Ioanne Vverthio* instructus viginti duobus millibus militum, collatis contra castris, hostilem licentiam, sua vigilantia compescuit. Dum interim *Iustus Maximilianus Gronsfeldius* ductor Bauarorum ad reddendas rationes Ingolstadium euocatur; quia eius moræ nupera Cæsareorum imputaretur clades. Hæc in Bauaria.

Dum in Bohemia Sueci, in Vvestphalia Hassi partibus suis non deficerent. *Coningsmarchius* cęso apud Augustam *Melandro*, in superiorem Palatinatum regressus, varia ibi nullo obstante occupat loca. Inde in vicinam Bohemiam excurrens, Glattauiam, & Falchenauiam in potestatem redigit. Cum autem validiores Cæsaris copias in Bauariam dimissas dignosceret. Pragam, vastam illam tergeminam ciuitatem totius Bohemiæ principem, cum sciret exiguo præsidio oscitanter teneri, inuadendi cupido incessit. *Coloredus* qui prò Cæsare locum gerebat, ob populi frequentiam, & imbecilles *Coningsmarchij* vires, nihil minùs, quàm vim aliquam metuebat; vulgari videlicet errore, quo quæ potentiora sunt, hoc ipso secura esse cum creduntur, omnium sunt intutissima. Expeditionis consilia suggessit *Odouualdus Strenbergius* vir fortis, & rerum Pragensium apprimè gnarus. Is viginti trium annorum egerat stipēdia. Dextro brachio ad Plauiam in prælio velitari aduersus *Bannerium* confracto debilitatus, impetrata ab Archiduce *Leopoldo* missione, ab Anno 1639. curato vulnere, vitam in agro coempto non longè ab Egra ad Annum vsque 1648 tolerauit. Egra per *Coningsmarchium* occupata, absque lytro dimissus fortunis omnibus exutus, ad Cæsaris quæstores confugit, sed cum frustra, rei melioris desperatione ad Suecos concessit, quibus auctor fuit Pragam inuadendi. Tanti refert homines strenuos seruare, & benignè habitos demereri. xxv. itaque Iulij, mouens *Coningsmarchius* sub noctem mediam venit in Album montem, vbi audito antelucanæ comprecationis apud P.P. Capucinos signo; de rei euentu trepidus, suspicatusq; monitos de suo aduentu Pragenses, *En* (inquit) *in vrbe indictum concurrendi ad arma.* Reponit *Odouualdus* conuocari ad matutinas preces Religiosos, nihil in vrbe militare agi. Tecti ergo nocturnis tenebris, Pragæ mœnibus appropinquant; Iam sonuerat hora post mediam noctem sesquisecunda, cum datum est impressioni initium. *Odouualdus* cum sua centuria post P.P. Capucinorum cœnobium inter duo valla progressus, inclamatusque ab excubitore, euadens in aggerem, binos vigiles vnà cum excubitore in imum deturbat; fugit speculator, ille rectà ad portam mouens, sic oppressit excubias, vt non ante obseruaretur, quàm omnes semisomnes obtruncasset, Tunc disiectis longurionum repagulis, effractis foribus, demisso ponte, socios admittit. Hi confestim inuolant in vrbem, occupant forum, sternunt obuios, turrim ad pontem inuadunt. *Coningsmarchius* ponè cum equitatu subsequutus, arcem, reliquamque Paruæ ciuitatis partem inuadit. In tres namque ciuitates *Praga* diuisa est, *Veterem, Nouam, & Paruam*. Hæc sita ad flumen Moldauum, interposito ponte lapideo iungitur *Veteri. Noua* quæ olim à *Veteri* muro dirimebatur, quamuis nomen retineat, hodie tamen in vnam quasi coaluit. In parua Praga est Ratschinum regia sedes, magnifica procerum palatia, ædes amplitudine, & forma nobiles, multæ opes, ciuium locupletum domicilia. Est præterea Regium armamentarium. Hæc omnia Succus occupauit, ædes direptioni patuere; ingentem prædam miles collegit. *Coninsmarchius* incredibilem opum, rerunque nobilissimarum thesaurum congessit. Capti ibidem præcipui ex nobilitate viri; aderat ipse *Cardinalis Harachius*, præsules alij. Hi omnes captiuorum more censi, immane quantum lytrū persoluerint. *Coloredus* ægrè euasit in ciuitatē *Veterem* per porticum, cum hostis ipsius contubernij fores iam emoliretur. In eam *Coloredus* cum peruenisset, omnia subito tumultu perturbata deprehendit. Sed mox excusso panico timore; expediri arma, aditusque *Veteris*, & *Noua* vrbis vnà cum ripa Multauiæ, quæ hosti obiecta erant, diligenter iubet obseruari. Sub vesperam Comes *Bucheimius* laborantibus auxilio accurrit cum aliquot equitum turmis. Eodem die, non ciuis modò, sed ex vrbana & litteraria iuuentute sub suis quique signis fuere recensiti, diuisique in certas stationes; libratæ etiam in hostem ex turri præsertim, quæ pontem protegit, machinæ grandiores. Creuere ex ea die in immensum propugnantium animi. *Coningsmarchio* auxilia adduxit *Vvittenbergius*: idem exeunte Iulio, octo curulibus machinis mœnia veteris ciuitatis, qua parte credebat esse debiliora, cæpit acriter arietare. Edidit equidem aliquam ruinam, sed

Marginal notes: XCV Varna Praga capta à Suecis. — XCVI Coloredus Pragam defendit in Suecos.

cum

Sal. An. 1648. cum loricam aliaq; munimenta extima, adhuc à viris fortibus, nec impari numero defenderentur; nihil ausus vltra tentare abijt prohibiturus, ne Cæsarei ferrent suppetias. Subinde arcem Canopiziam præsidij ignauia deditam accepit. Taborrem ciuitatem prævalidam septidui obsidione expugnauit: demum Pragam reuersus, Moldauum ponte strauit, castris ad *Veterem, Nouamque* locatis, in quibus nouas *Caroli Gustaui* comitis Palatini è Suecia suppetias quas ille ad octo millia sub quintam Octobris adduxit, opperiretur. Obsessorum tamen tanta alacritas, ac fortitudo extitit, vt ad initium Nouembris tolerata obsidione, conatus hostium inutiles reddiderint, donec pax Monasteriensis sub id tempus certamen omne diremit; incertumque reliquerit, an rictus oppidanorum, oppugnantium pertinaciæ tandem cessisset. Cæterum non sine prouidentia Dei hoc accidisse creditur, vt Bohemia, eiusque Metropolis, quæ olim sua perfidia prauissimo huic triginta annorum bello initium dedit; eodem nunc cognito errore, sua fide, & constantia eidem bello finem imponeret; & priorem culpam sera licet pœnitentia emendaret. Hæc in Bohemia.

Dum in Vvestphalia *Lamboius* copiarum circuli Vvestphalici supremus præfectus, Gisecam obsidet, in quam *Ioannes Geissius*, Hassorum ductor cum tribus circiter armatorum millibus se receperat, relicto Lipstadij, ex negligẽtia curatoris rei tormẽtariæ, nitrato puluere, qui dum postea Giseram veheretur, à Cæsareis fuit interceptus. Habebat in castris *Lamboius* ad sex mille viros, paruum aduersus propugnatores numerum, sed eò fidentiores, quod obsessi nihilo plus haberent pulueris tormentarij, quàm quantum singuli de catapultarijs balteis circumgestabant. Versabatur in magno discrimine obsessi, cum *Santandrius* Lipstadij gubernator, mira felicitate, per omnino inobseruatos equites, sub nascentem Auroram, quinque millia sulphurati pulueris pondo laborantibus submittit, tempestiuum quidem auxilium, sed non satis Premebantur enim Hassi equites pabuli inopia, iamque annona fiebat angustior, nec diu obsidio tolerari poterat. *Geissius* ergo de subducendo equitatu consiliũ init. *Santandrio* significat, post id sine periculo fieri, si cum equitatu, qui ex Hassicis præsidijs colligi posset, Cæsareos à tergo, obsessi ex vrbe erumpente, à fronte simul aggrederentur. Dies dicta huic impressioni vigesima quinta Martij sub diluculum. Quingentos auxiliares duxit Princeps *Ernestus Hassiæ Landgrauius*: qui *Lamboij* tota ferè castra obequitans, cum exploratorijs excubijs occurrisset (tam remissa erat castrorum custodia) progressus ad Holsteiniam stationem, extimas vigilias reiecit in castra. Nactus inter hæc *Princeps Holsteinius* tantum temporis, vt sex turmas irrumpenti opponeret, post forte certamen nihilo secius à statione dimouetur. *Geissius* qui ex condicto qui ad portam signum irruptionis expectabat, audito conflictu, erumpit, sed ob portis angustias longo, lentoque filo, cum nondùm diluxisset, viæ dux, siue metu turbatus, siue fallentibus tenebris (*Geissium* sic ducit per locorum anfractus ad paludes, vt hinc viarum, & cænosæ vliginis profundo, inde *Lamboij* loricis prohibitus, se *Landgrauio* sociare nequiret. Interim *Landgrauius* à Lamboiano equitatu interceptus, multitudine obrutus, venit in potestatem *Lamboij* vnà cum turmis, *Geissio* cum cætero equitatu in tutum elapso. Successu lætus *Lamboius* vrget ad deditionem obsessos. Detrectantibus, vim intenrat die imbribus fœdo, adeoq; solo lubrico, & instabili, adeo insigni clade repulsus, soluit obsidionem exercitu tempestatis iniurijs non mediocri imminuto. Quamobrem lectis, quanta potuit celeritate, legionum supplementis, Dortmunda Coloniam, indeque in agrum Iuliacensem transgressus, Bredenbendã arcem haud procul Linnickio apud Ruram amnem, quæ præsidio Hassicò tenebatur, circumsidet, & post xxxv. dierum obsidionem, ad deditionem compellit. Arcem iam tormentorum ictibus laceratam muro nudauit, ne hosti deinceps receptaculum foret, neue præsidio ibi relicto imminueret exercitum. Post occupatam Bredenbendam, Sonsam appellit mediam inter Coloniam & Nouesium. Habebant tunc Hassi castra apud Erftam amnem inter Greuenburgum, & Vveueling quiam. In eos duxit *Lamboius* septem circiter armatorum millia. Cooritur pugna non multo post orientem Solem, producitur que per horas quinque ancipiti Marte. Victoria initio visa est inclinare *Lamboio* (pulso aliquoties Hassorum equitatu: verum cum Desperatio animos faceret, vt animaduerterunt pontem, quo Erfra ante sternebatur, à *Lamboio* fuisse solutum, eoque nullam spem superesse euadendi, conglobati inuehuntur in instantes tanta vi, vt demùm *Lamboianos* darẽt in fugam, cæso Lamboij omni prope peditatu, occu-

[Margin notes: Res à Lamboij gesta in Vvestphalia.]

Sal. An. 1648 occupatis machinis maioribus XI, minoribus VI. Equitatus Fonsam profugit, amissis tribus tribunis, legatis IV. vno Vigiliarum magistro, quinque equitum Magistris, Centurionibus vno supra viginti, manipularibus mille, & quingentis, equestribus signis XIII. pedestribus XV. In vestigio cecidere ferè mille. Neque tamen Hassis fuit incruenta victoria, multis interemptis, capto comite *Vveldano* protribuno legionis prætoriæ cū quatuor chiliarchis, vexillis octo, cum minorum ordinum præfectis, atque gregarijs trecentis. Satis constat ita afflictum Hassicum equitatum fuisse, vt neque proferre inde castra, neque hostem insequi potuerint, nisi vbi nouis ex Hassia auxiliaribus confirmati, Marcodurum expugnarunt, Padebornam in cassum circumdederunt. *Lamboius* ex omnibus Vvestphaliæ præsidijs refecto celeriter peditatu, paulò supra Nouesium castra locat, donec vtrinque per Monasteriensem pacem, XXV. Octob. publicatam hostilitati imposuere finem: cùm paulò antè inter Regem Hispaniæ *Philippū IV.* & Belgij federatos de pace Belgica conuenissent. Extat nummus *Frederici Henrici Nassouij* in quo brachium armatum ipsam Templi Iano dicati portam tenet, cum xcviii



hac verborum epigraphe *Et claudere nostrum est.* Romanorum illud sibi arrogans *Nassouius,* vt hostes suos quantumcumque potentes ac validos ab exigua quidem sed bellicosa gente pacem recipere postremo coegerit; eique genti suæ cum pleno iure libertatis pacificam suæ ipsius ditionis possessionem consignauit. Hinc in altero symbolo videre est canem circa ouiū caulam excubantem, sub lemmate, *Hinc pugnat, illinc protegit.* Non dissimile tertium symbolum vbi insula, in qua templum a Diomede extructum, quod aues aduncis rostris ac præduris instructę circumuolitant, quasi ad illius custodiam excubias agere videantur, sub lemmate. *Amor patriæ ratione valentior omni.* Scelectiores in Orbe Monasterij conuenerant aulici, grandi quidem labore, nec parua gloria, cruenta & plusquàm ciuilia sustulisse dissidia, quæ externis implicata fœderibus totum Christianum Orbem in discrimen adduxerant. Legatorum hic habes nomina ordine alphabetico, vt facilius quisque suum inuenire possit. Duo fuere *Mediatores* Summus Pontifex, & Veneta Respublica: Venetorum partes gerebat *Aloysius Contarenus*; Pontificis *Fabius Chisius* Episcopus Neritonensis, & Sedis Apostolicæ Legatus. Fuere reliqui.

Abel Seruient Comes de la Rochè nomine Regis Gallorum.
Adrianus Pauu pro fœderatis Belgij.
Adrianus Kland: prò fœderatis Belgij.
Antonius Bruin I.C. nomine Regis Hispan.
Arnoldus de Landsperg nomine Coloniensis Elector.
Athanasius Rudolphus pro Magno Duce Hetruriæ.
Bartholdus a Gendt pro Belgij fœderatis.
Caspar de Bracamonte & Gusman, Comes de Penneranda, nomine Regis Hispan.
Claudius de Mesmes Com. de Auaux nomine Reg. Gallorum.
Claudius Chabot pro Duce Sabaudiæ.
Didacus Sauiedra Eques S. Iacobi nomine Regis Hispan.
Franciscus de Andrada nomine Regis Lusitaniæ.
Franciscus Guilhelmus Ep. Osnabrugensis nomine Colon. El.
Franciscus Donia pro fœderatis Belgij.
Franciscus Nerlius pro Duce Mantuano.
Franciscus Bilessia pro Duce Sabaudiæ.
Fridericus ab Heiden pro Elect. Brandeburgico.

Georgius

Sal. An. 1648. *Georgius Christophorus de Haslung nomine Elect. Bauari.*
Gosbardus à Rheede pro fœderatis Belgij.
Guilielmus Riperdu prò fœderatis Belgij.
Henricus Craen I.C. prò Cæsare.
Henricus de Orleans, dux Longuiuillæus, nomine Reg. Gallor.
Henricus Bramser Barode Rudesheim nomine Elect. Mogũt.
Hermannus Adolphus Scherer nomine Treuirensis.
Hieronymus Comes Sannazarius pro duce Mantuono.
Hugo Eberhardus comes à Scarpffenstein nom. Elect. Mogũt.
Hugo Frider ab Eletz nomine Treuirensis Elector.
Io: Treuff pro electore Palatino.
Ioachimus Camerarius pro Palatino.
Io: à Matenes pro Belgij federatis.
Io. de Kunitt pro fuderatis Belgij.
Io: Comes de Sain pro Elect. Brandeburgico.
Io. Frider. de Leuuen Baro de Schonfelt pro Brandeburgico.
Io: Portmannus pro Brandeburgico.
Io. Fronbolt pro Broudeburgico.
Io: Ludou. Com. de Nassau, aurei Velleris Eques, nom. Cæsar.
Io: Maximil. Comes à Lãberg Burggrauius Styriæ, nom. Cæs.
Io: de la Barde nomine Regis Gallorum.
Io: Oxensternia nomine Suecorum.
Io. Adler Saluius nomine Gallorum.
Io. Adamus Krebs nomine Moguntini.
Io: Anetanus nomine Treuirensis:
Io. Theodoricus Brauerius nomine Treuirensis.
Io: Adolphus Krebs nomine Elector. Bauari.
Io: Ernestus Pistorius nomine Elector. Saxoniæ.
Io. à Leuberen nomine Elector. Saxoniæ.
Iosephus de Beggairue. Ep. Syluaducensis nom. Reg. Hispan.
Isac Volmar I.C. prò Cæsare.
Lopesius Zapata comes de Vualter nomine Regis Hispan.
Ludouicus Peccira de Castro nomine Regis Lusitaniæ.
Maximilianus Troutsmandorforsius eques aurei Velleris nomine Cæsaris.
Nicolaus Georgius Reigersperger nomine Moguntini.
Petrus Buschman nomine Electoris Colon.
Petrus Fritz pro Brandenburgico.
Scherinus de Rosenban nomine Suecorum.
Theodorus Adolphus de Reeb nomine Coloniensis.
Theodorus Hermannus à Merfelt nomina Coloniensis Elect.

Initæ tandem optatæ pacis numismata plurima se offerunt quæ hic habes: In aurea *Norinbergensium* moneta *Ouis* est *ferens aristam*, sub lemmate *Sit pax in terris tandem, & patientia victrix*, quia ouis Spheram calcat. Similis est ab eisdem percussus Anno 1649. aureus nummus, in quo *ouis sub pedibus librum tenet apertum*, sub lemmate *Pax Christo Duce, Verbo, luce*. Euangeliorum cum credo librum, nam pace florente, Religio, Musæ, Abundantia amicè coeunt, Christo duce, qui lux est, veritas, & vita. *Hæc symbola vide num. 1.*

Nummus est etiam aureus ipsius *Ferdinandi* Imper. eodem tempore cusus, in quo *manus astrum stringit*; Pacis hoc symbolum esse potest; vel *innocentiæ*, quæ velut astrum lucere debet in manu Principum.

LEODIVM COLONIENSI ELECTORI RECONCILIATVR. An. 1649.

xcix LEodium vrbem iam diu rebellem ac refractariam, ob Imperij dissidia tumescentem, & minimè Principis sui Electoris Coloniensis audientem, vniuersali firmata pace, vi & armis ad officium compellere decreuit *Ferdinandus Elector*. Iam sine vlla reuerentia plebs superba Consularia inuaserat comitia, excussoque omni erga Principem obsequio, sese in libertatem asserere, vel alterius dominationi nitebatur subijcere. Legatos in Galliam mi. serat & à federatis Belgij ordinibus crebrò, & sollicitè petebat auxilia; quamuis Rex, & Galliarum Regina minimè dignos auxilio censerent rebelles. Tentauit Princeps præsentia sua contumaces ad obsequium reducere, sperans adstante principe facile emolliri pertinaces. Decima itaque Augusti princeps, comitante sola equestri custodia, & aliquot patriæ nobilibus, & maiore Scabinorum numero Leodiũ progreditur pacato agmine: Præmisso in vrbem Cancellario, qui Consules de aduentu suo doceret. Consules verò plebei nuper creati *Petrus Vvilmar* ceruisiarius, & *Vualtherus Hennet* pharmacopæus bellica instrumenta ostenderunt ei pro responso, & quatuor armatorum millia ostentarunt ad vim inferendam, si Princeps vrbi appropinquaret. Reuersus Cancellarius monebat, ne vlterius progrederetur. Princeps ad ea immotus nihilominus perrexit, præmisso interim exconsule Visetense *Maretio*, qui certiora referret. Is malè à custodibus portarum habitus, attrociora ex vero retulit. Tum princeps rebellium furori cedendum ratus, recessit, tentatis tamen iterum eorum animis, armorum vi ostentata, vt citra maiora discrimina ad obsequium reduceret. Cum itaq; lenibus remedijs locus non esset, habito consilio cum capitulo Cathedrali, & Ordinibus Patriæ, vi eos ad officium compellere decreuit. Coadiutorem Coloniensem, ac iam Leodiensem Decanum, Huium cum paucis copijs sub *Cratzio, Vossio*, & *Schrotzio* tribunis præmisit. Venit his Huium mense Iulio, publicata nomine Principis venia omnibus, quinque exceptis è magistratu, & paucis eorum consortibus. Cum ijs nihil proficeret, arces aliquot circa vrbem occupauit, sperans vt die D. Iacobo Sacra, qua annua ad creandos consules celebrantur comitia, motum suscitarent in vrbe ij, qui sub obsequio Principis remanserant.

Sal. An. 1649. In eam rem *Schrotzius* intentus, ipse Patriæ Leodiensis, copias eo die in conspectum ciuitatis eduxit, vt ex propinquo spem audentibus faceret. Eruperunt Leodienses, sed ita repulsi, vt tota vrbe terrorem spargerent, inter hæc tamen electio processit. Mox superuenit *Otto Christophorus Sparrius* cum copijs circuli Vvestphalici, & duobus mortarijs, ac duodecim tormentis bellicis. Initium obsidionis a pagis factum, qui cum vrbe sentiebant. Fleronium Iupilia primum expugnantur cruenta paganorum clade, occiso consule *Iacobo Hennet* qui in subsidium Iupiliensibus venerat Apud hunc reperta clauis Argentea, insigne Consulatus, felici victoriæ omine, potituri breui etiam vrbe, cuius clauem iã præcepissent. Post hanc cladem reliqui pagi depositis armis, sponte ad obedientiam rediere; memorabili Leodiensium infortunio, quia in peruigilium Diui Laurentij incidit, quo die ante annum Principem suum cum insigni contumelia aditu vrbis prohibuerant. Imo Iupilienses in eo præterea peccauerant, quòd eodem die primi omnium, campanorum pulsu, socios pagos ad arma sumenda, & suo Principi resistendum concitauerant. Venere interim tria armatorum millia ex Pagis obsequentibus, & vicinis Prouincialibus in subsidium *Sparrio*, qui XII. Augusti in vrbem mouens, capto suburbio Amercourio, ad ipsas vsque portas omnia deuastauit incendio. Venit eo die tympanista oppidanus cum literis à Magistratu ad *Schrotzium*, quibus querebantur, quòd ipse patriam suam manifesto bello adoriretur, cui ipsi nullam dederant caussam. Rogabant, vt Consulem, quem captum credebant, restitueret; & vicinos Reges in arbitros dissidij adprobaret. Ad ea *Sparrius* respondit; *vidisse literas Schrotzio datas, cuius nomine ipse, qui caput expeditionis erat, respondebat. Bellum ausam esse, irreuerentiâ ipsorum, & contumelias Principi illatas. Sibi negotium datum armis castigare rebelles. Et iam vindicante Numine, equam causam triumphasse. Consulem esse interfectum. Rogare proinde, ne vltra Principis clementia abuterentur. Quod si facere detrectent, futura mala sibi imputanda*. Venere postea noui legati ad Coadiutorem Principem *Maximilianum*, sed iniqua postulãtes, dum indecori remittuntur in vrbem, *Sparrius* occupato cœnobio S. Ægidij in monte sito, crebro fulminantibus machinis vrbem infestabat. Inde rusticorum fossorum opera adiutus, aggeribus vrbi appropinquat ad partem vsque Aurotani suburbij. Magistratus, ac potiores ciuium cum viderent rem seriò agi, atq; in diem imminere periculum, deditione agere constituunt. Legatos mittunt ad transigendũ, sed impetrato tantum viginti quatuor horarũ spatio, postridie redeunt, vrbemque dedunt tribus tantùm personis ab vniuersali venia exclusis. Interim dum de deditione agitur, *Bartholomæus Rolandus* superiorum annorum Consul, ex auctoribus seditionis, fugam meditabatur, adsumpto in socium tibicine Hollãdico, cui filiæ suæ nuptias *Rolandus* promiserat. Mentito habitu, & militis Traiectensis speciẽ præferens, deprehenditur, & suspendio datur vnà & *Vvaltherus Hennet* superioris anni Cõsul, quem globus ciuium in vincula retraxerãt. Elector vrbem ingressus, publicato edicto omnibus veniam indulsit. Hunc finem habuit Leodiensium seditio, quæ nisi in tempore cõpressa fuisset, magnos excitasset motus, cum iã multi in eam oculos conieciſſent. Sic faustis vbique adspirantibus.

Anno ineunte quinquagesimo huius seculi, *Anna Maria* Cæsaris filia Hispaniarum Regi desponsata, Madritum triumphali ingreditur apparatu: cum longè alia facies per idem tempus in aula Gallorum esset, quàm intestini dissidij labes, & magnarum discordiarum semina in magnum aliquandò malum eruptura inuaserant. Rex adhuc sub matris degebat tutela, quæ cum in regni gubernatione externorum consilijs plurimum vteretur, indigenarum facile odium in se concitauit. Quod eo vsq; processit, vt tres principes Regij sanguinis, duo *Condæi fratres*, & *Dux Longeuillanus*, cum inimicitias apertiùs, quam fas est apud Magnates, præferrent, iussu Regis, ac Reginæ in custodiam dati sint. Nunciata eorum custodia, multi qui partes eorum sequebantur, aulam deseruere. Inter quos *Comes Turrenius* cum parte exercitus ad *Archiducem Leopoldum* concessit, postquàm Stenauiam, atque alia nonnulla loca in fide Principum confirmasset. Tot in regno turbarum *Mazarinus Cardinalis*, natione Siculus (is qui ab excessu *Richelij Cardinalis*, rerum in Gallia potens bello, & pace fuit) Author, & Inuentor creditus, vnanimi Senatus Parisiensis decreto, rerum moderatione amotus, cum Rege, & Regina in Normanniã profectus, & Rhotomagi honorificè exceptus, prouinciam illam in fide retinuit. Inde in Burgun-

Margin notes: c *Sparrius*; CI *Sal. An. 1650. nuptiæ filiæ Cæsaris cum Hispania Rege.*; CII *motus Gallici*; CIII *Mazarinus proscribitur*

Sal. An. 1650. gundiam arces, quæ Principum partes pertinacius tuebantur, armis compulit ad officium. Burdegala, quò profugiens *Condæi* vxor cum filio duce *Anguiensi* miserationem apud ciues commouerat, obsidet. Intercedente tandem Parisiensi Parlamento, diffidium componitur. Primum data Burdegalensibus venia, dein eius præfectura Duci Andegauensi Regis fratri commissa. Principi *Condæa*, & *Duci Bullionensi*, qui stabant in partibus *Condæi*, vt illa cum filio Neracum; hic cum vxore & filiabus ex Parisiensi custodia dimittendis *Turrenium* in securitatē concederent. *Duci Bullionensi* prò iure, quod in Sedanum prætendit, numerarentur duodecies centena millia librarum, quæque viuente *Ludouico XIII.* Rege cum eo acta fuerant, ad exitum perducerentur. Burdegalenses arcem regiā nuper destructā non tenerentur reficere. Prouincia Gasconia, & ciuitas Burdegala toto sexennio a Regio tributo vacaret.

In Germania peractis Norimbergæ, quæ ad
civ pacis consumationem necessaria erant. *Carolus Gustauus Palatinus Comes*, qui conuentui Norimbergensi interfuerat, in Sueciam profectus adstitit coronationi Reginæ, qui mense Octobri peracta est. Post hæc cum de matrimonio Reginæ, in cuius spem iam diu destinabatur *Palatinus*, ageretur; Regina cælibatum matrimonio prætulit. Ita *Palatino* communibus Procerum suffragijs, principatus Sueciæ hæreditarius, & Regni successio delata, factumque decretum. *Palatinus Suecorum regni successor.*

Galli cum Principum libertate securitatem,
cv & pacem partam crederent, re ipsa perdiderunt. *Sal. An. 1651.* Nam *Condæus* ignominia carceris accensus, ac ferox, ob idque Regi parum obsequēs, ac fidus, Regia egressus, insalutato Rege, vnà & *Contyus* frater, manente in officio *Longeuillano*, in Aquitaniam, quæ *Condæo* principi prò Burgundia cesserat, abiere. *Turrenius* ad *Archiducem Leopoldum Vuilhelmum* transgressus coniunctis cum eo viribus, Capellam primo, dein Retellium vi occupat; Inde castrum Porcini, vbi commodus est Azonæ fluminis traiectus, inuadit; superatoq; Axona in Campaniam progressus, Rhemos Campaniæ metropolim ad subministrandum exercitui commeatum metu adigit, cæso interim apud oppidulum Fimam *Hocquincourtio* Peronæ Gubernatore, qui cum sex legionibus in insidijs collocatus, Marchionem *Plessis Praslæum* vt se cū eo coniungeret, præstolabatur. Illa clade quinq; vexilla, & ducentos equites amisere Galli, præter tercentos, quos Hispani duxere captiuos. Galli perteriti, ne Hispanus Rhemos, aut Catalauniam peteret, vrbes omnes hosti proximas firmarunt præsidio. Non adhuc fuerant soluti Principes (hoc totum enim referri debet in Annum sequentem) Interim *Archidux Leopoldus* tibicinem Parisios misit ad ducem Aurelianensem patruum Regis de pace. Placuit consilium, decretumque à Parlamentarijs, vt Nuncius Apostolicus, & Orator Venetus rogarentur, qui de loco, & personis conuenirent. *Condæi motus.* cvi

Non cessauit tamen hostilitas, cumque pacis protraherentur preambula, ne tempus frustra consumeret Archidux Mosonium obsidet ad Mosam oppidum. Quod à *Carolo V.* olim, & deinceps frustra tentatum, tandem Nouembri mense *Leopoldo* cessit, Post Mosonium Comes *Fonsaldania* occupauit Doncherij, quod vno infra Sedanum milliari distat. Interim Rex *Ludouicus XIV.* Parisios cum Cardinali reuersus, quamuis rigeret hyems, recuperandi tamen Retelij auidus, collectis copijs, eò *Mazarinus* mittitur, felici quidem successu, nam Vrbs opinione celeriùs recepta; *Marescallus Turrenius*, qui cum vndecim millibus Hispanotum auxilio venerat, fugus, fugatusque. Cladem tamen reposuere Hispani in Italia, & Catalaunia. *Marchio Mortara* recuperatis diuersis Catalauniæ locis, mense Octobri Tortosam validam vrbem ad Hebrum post duram obsidionem quæ ad Decembrem producta est, fugatis à *Duce Albuquercio* quinque nauibus Gallorum auxiliarijs, vrbs Hispano reditur. *Tortosam Hispanus capit.* In Mari Thyrreno *Ioannes Austriacus* cum comite *Ognate* Neapolitano ProRege Portum Longonem à Gallis recepit, Reperta ibidem magna annonæ quantitate, quæ in biennium ferè obsidionem toleraturis sufficere poterat.

BELLVM BRANDEBVRGICVM. An. 1651.

cvii PAcata Germania, & in nuptiales hilaritates Cæsaris cum *Eleonora* duce Mantuæ; *Ferdinandi Bauari* cum *Adelheide Sabauda* effusis Principum animis, cum ocio, & quieti nupera pacificatione prouisum putaretur, repente noui belli initiū ab Electore Brandeburgico in ditionem Montensem hostiliter ingresso, coortum est. Causa dicitur, quòd *Guilielmus* Dux Iuliæ,

Sal. An. 1651. Iuliæ, & Cliuiæ Montium, Comes Marchiæ & Rauensperge cum Anno 1546. Ratisponæ in matrimonium duxisset *Mariam* filiam Cæsaris *Ferdinandi I.* duo à *Carolo V.* priuilegia impetrauit, quæ deinde successores confirmarunt. Primum, quòd decedente linea masculina *Guilielmi*, omne ius ditionum, ac prouinciarum ad filias ex *Guilielmo* & *Maria* genitas deuolueretur, aut si nulla earum superstes esset, ad earundem masculos legitimos hæredes; vt dictæ omnes ditiones vnitæ & indiuisæ in vna sola Domo permanerent, quo firmior potentia esset. Cumque *Guilelmus* ex *Maria* duos filios & quatuor filias suscepisset, filiorum natu maior *Carolus Fredericus* Anno 1577. Romæ obijt. Alter filius *Ioannes Vvilhelmus* patri successit, nullos tamen liberos genuit ex gemino matrimonio, quod illi primum cum *Iacoba Badensi* deinde *Antonia Lotharinga* fuit. Inde ad filias spectabat hæreditas, quarum prima natu maxima *Maria Eleonora*, nupta *Frederico* Duci Borussię ante fratrem obierat *Vvilhelmum* Anno 1608. neque masculos reliquit, sed tantùm vnicam filiam, quæ nupsit *Ioanni Sigismundo* Electori Brandeburgico, qui fuit auus Electoris *Frederici Vvilhelmi*. Hinc Brandeburgici iura sua desumunt in ditiones supradictas. Altera sororum natu secunda fuit *Anna*, quæ nupsit *Philippo Ludouico* comiti Palatino, quæ fratris funeri superstes, & hęrede masculo *Vvolfgango Vvilhelmo* fecunda, proxima omnium videbatur. Tertia fuit *Magdalena* nuptui data *Ioanni Bipontino*, ex quo masculos hæredes suscepit. Quarta fuit *Sibylla* nupta *Carolo* Marchioni Burgouiæ, cuius iura *Palatinus Neoburgicus* ad se certis pactionibus transtulit.

CVIII Mortuo itaque *Io: Vvilhelmo* sine liberis Anno 1609. cum plurimi ad hæreditatem aspirarent: *Vvolfgangus Vvilhelmus Palatinus Neoburgicus* nomine matris.

Ernestus Marchio Brandeburgicus nomine fratris Electoris *Ioannis Sigismundi* eiusque coniugis possessionem prouinciarum vacantiũ adierunt: inito pacto Tremoniæ vltima Maij, vt dictas prouincias administrarent, donec de iure cuiusque aut amicę conuentum, aut iudicio disceptatum foret. Eodem tempore de religione cautum, vt Romana Catholica, & aliæ, sicut passim per imperium Romanum, ita & in his prouincijs, prout de facto in publico vsu, & exercitio sunt, sic deinceps continuentur, permittantur, & defendantur, nec quisquam turbetur conscientiæ titulo. Cum vero tunc temporis solius Catholicæ Religionis exercitium publicum esset in illis ditionibus, paucis locis exceptis; in quæ sub extrema tempora Ducis *Guilielmi*, eiusque filij contra iussa Principum sectatores irrepserant; factum est, vt conniuentia, & æmulatione nouorum Principum, quorum alter Reformatæ Religionis, alter Augustanæ Confessionis erat, noui magistri certatim introducerentur contra pacta, & promissa. Vsquedum *Palatinus Neoburgicus* relicta Augustana Confessione, Catholicæ Romanæ Ecclesiæ vnitatem agnoscens, eiusque fidem, & veritatem An. 1614. Dusseldorpij professus, ducta in vxorem *Magdalena* Ducis Bauariæ filia, curauit etiam ne violarentur promissa, eiectis qui contra pacta religionem Catholicam turbare tentabant. Idque eo magis, quod etiam in pactis nuptialibus tam Borussicis, quàm Neoburgicis, quibus filiæ Ducis *Guilielmi* elocatæ sunt, & vnde ius suum in has prouincias vtrique deriuant, expressè conuentum sit, vt si forte prouinciæ ad filias deuenirent, nihil in Religionem Catholicam innouaretur, sed vbique antiqua, & vera Catholica religio sine omni obstaculo sancta coleretur. Ex aduerso Brandeburgici dicebant non obstare pactis nuptialibus, si more Imperij quilibet eam religionem profiteretur, quæ ei rationabilior videbatur, modo id sine Catholicorum damno, atque iniuria fieret; imo indecorum asserebant principi fore, si subditis non liceret eam religionem sequi, quam princeps profitebatur. Hęc itaque religionis discordia, postquàm prouincias inter se partiti fuere, in simultatem traxit Principes, vt quilibet prò sua religione satageret introducenda. Hollandi semper vigiles, vt vbique Romanam Religionẽ deturbent, Brandeburgicis fauentes, curarunt in confinibus parochos, & religiosos, quotquot possent, in carcerem retrahere, vbi miserè plurimi vitam finiere, ingenti animarum detrimẽto, cum paruuli sine baptismali lauacro decederent; & adulti non expiata conscientia per salutare pænitentiæ sacramentum, expirarent. *Neoburgicus* ne ad arma veniret, post vltro citroque missas litteras, curauit per legatos dissidium componere; & ita Anno 1647. die 8. Aprilis cum *Burgstorfio* supremo Brandeburgici Camerario, Dusseldorpij transactum: *Vt Ecclesia, earumque bona, & prouentus ijs restituerentur, qui ea Anno 1609. possedissent.*

de Religione cautum.

cõtrouersia de Religione.

Exer-

Sal. An. 1651. *Exercitium religionis extra Ecclesias, tam publicum quàm priuatum ad illum modum haberetur, quo Anno 1612. qualibet Anni parte fuißet.* Cum Transactionem confirmaret Elector, missi ab vtroque principe deputati Dusburgũ, qui eam executioni darét. Cæterum hic rursum hæsit actio, quoniam Brandeburgici a promiscuo religionis vsu nolebant recedere, idque vigore consuetudinis introductæ, cui nec vellent, nec possent derogare; sic vsque in Annum 1651. verbis vtrinque certatum: Donec Elector Brandeburgicus mense Aprili cum Electore Saxoniæ paucos dies in arce Liechtenburgh collocutus, Cliuiam proficiscitur, præmisso *Ottone Christophoro Sparrio* cum quatuor millibus armatorum; ibi xv. Iunij, publicari mandat *se in has prouincias venisse, & iuxta pacta promissa à maioribus suis inita, priuilegia, & libertatem earũdem aduersus Palatini Neoburgici iniurias in pristinũ restituat, ad quod peragendam, vno vel altero loco opus esse, vbi pedẽ figat. Quare nemo propositum suum cauilletur, quia nil aliud quarit, quàm Dei gloriam, patria salutem, & Iustitiam quam omnibus & singulis sine respectu Religionis iuxta fadera, & transactiones superiorum annorum velit impartiri.* Mandauit deinde omnibus præfectis, & inquilinis, *ne deinceps Palatino Neoburgico vllam cõtributionem decernant, aut exsoluant, nullum ei subsidium consilio, vel facto præstent, sed se solum suosque haredes; & successores respiciant, ac obseruent. Si quis contra fecerit, pro hoste ac rebelli sit habendus.* Vulgato edicto, eodem die miles Brandeburgicus arcem Angermondam, hostili impetu aggreditur, sed frustra. Inde expilato templo in pago Mulchem, infantem qui è matris brachijs pendebat, diuiso capite interficiũt. Inde ad pagum Pempelfort in conspectum Dusseldorpij progressi, Villam principis expoliant, abductis armentis, maiora se propediem cum maioribus viribus minantes affuturi. Interea Brandeburgicus ad Cæsarem miserat, qui acta sua expurgaret; nec nisi prouocatum fecisse, *quòd Neoburgicus in ditiones Iuliacenses à Maioribus Electoris nullo iure admissus, sed tantum euitandi belli causa, quamuis duplo maius possideret, non adhuc contentus eò semper tendere, vt terminos extenderet. Transactionem Anno 1629. initam inter patrem Electoris, & Neoburgicum obseruare nunquàm voluisse, sed comitatum Rauenspergensem multos annos contra dictam transactionem per se totum retinuisse, graui indignatione patris ipsius Electoris, qui armis vindicasset iniuriam, ni bello Germanico fuißet implicatus, & vanis Neoburgici pollicitationibus delusus. Insuper spretis iudicijs, sibi arroganter ius dicere, contra nuperam Anni 1647. transactionem, quam Neoburgicus nouis cauillis conuellere tentet. Proferri posse iuratos testes, qui audierint Neoburgicum dicentem, quod prouisionalem conuentionalem in posterum nolit obseruare; imò breui cum Electore velle rem ferro decidere. Cuius initium fecerat Neoburgicus deturbando sedibus suis Augustanos, & Reformatos, contra ac in conuentione prouisionali cautum erat; propterea occasionem dedisse Belgij faderatis, talionem exigendi in Sacerdotes Catholicos. Exploratum esse, Neoburgicum non aliud adoriri, quàm vsurpationem partis Brandeburgica. Notam esse eum Lotharingo Neoburgici societatem, & cum vicinis Principibus Ecclesiasticis clandestina miscere colloquia in perniciem Brandeburgici. Iudicium hostilis animi esse literas Neoburgici ad Brandeburgicum, in quibus more inter Principes insolito eũ mendaciorum insimulet. Postremò iuniorem Neoburgicum palam pronuntiasse, ne vnicum quidem pedem terra Electorẽ è Cliuia ducatu retenturum. His excitatum Electorem imminenti occurrere tempestati coactum, petere ne Cæsar aliquid sinistri suspicaretur, seposito omni religionis Catholica affectu, quam iuxta pacta illæsam Elector conseruaturus sit, proinde, nec ipse, nec vicini Principes huic se immiscerant negocio, rogare.*

cix edictum Brandeburgici.

questus in Neoburgum.

Sexto post die respondit Cæsar querelas nõ esse tanti momenti, vt ferro sint decidẽdæ. Iam Monasteriensi pace prouisum An. 1649. quomodò religionis cõtrouersiæ sint pacificè componendæ in Romano Imperio. Propterea copias reduceret, in pristinum omnia reponeret, controuersias *sineret à Commissarijs decidi, quos ipse nominauerat in pace Monasteriensi, & quos ipse Elector acceperat.* Eodem die mandatum dedit ad Ordines, & subditos ducatuum Iuliæ, & Montium, abrogato edicto Brandeburgico, vt in fide *Palatini Neoburgici* manerent, donec causa via iuris componeretur. *responsio Cæsaris.*

Palatinus verò Neoburgicus innopinata irruptione offensus, palam primo edito scripto de vi, atque iniuria sibi illata protestatus, affinium, & amicorum sollicitauit auxilia. Accusationem Brandeburgicam dein in hunc modum confutauit. *Negando primùm, se nullo*

iure

Sal. An. 1651. *iure, sed solo pacis amore in possessionem admissum. Idque constare ex actis in aula Cæsarea, quorum timore Brandeburgicus causæ decisionem semper protraxerat.* Transactionẽ Anni 1629. sanctè seruasse, nam de Comitatu Rauensburgensi duas tantummodo tenebat satrapias, cũ reliquas omnes Brandeburgicus occuparet. *Et si in hoc comitatu quid dubij sit, illud abundè sublatum per transactionem Anni 1647. vt propterea nulla sit belli causa. Transactionem verò 1629. corruptam fuisse ab ipso Brandeburgico Moderno, cũ statim ab obitu patris Anno 1647. quemadmodum & nunc, validas copias in ducatum Montensem immiserit, prope ipsam vrbẽ Dusseldorpium in conspectum suum, vt nouam transactionem extorqueret; cui etiam consenserat belli euitandi causa, sed magno suo incomodo. Quam tamen neque eam obseruet, immissis denuò copijs, quæ omnia populentur. Quare quòd apud Cæsarem accusetur, quòd transactionem violet, non paci studeat, nec iudicialem expectet sententiam, vim sibi, atque iniuriam irrogari. Magisque hæc in Electorem retorqueri possint, qui cõtra omnia iura diuina, atque humana, contra publicas Imperij constitutiones, ac nuperam Pacificationem, bellum inferat innocenti. Reliqua accusationis capita de occultis consilijs cum vicinis Principibus in ipsum Electorem, vana esse atque à maleuolis Electori imposita, responsioneq; indigna. Quæ etsi vera essent, non adhue fore sufficientem iusti belli causam.*

cx Pax. Interim conscripto milite, immissis à Lotharingo suppetijs, collatis castris, inter Ratingam, & Dusseldorpium consedit aduersùs Brãdeburgicos. Ibi inter crebras velitationes, colloquio tandem Principum pax cœpta est; ac dein per legatos Cæsareos ad exitum perducta, Cliuiæ, 11, Octob. *Vt controuersia religionis, eiusque exercitij examinetur, & decidatur per Comissarios Cæsaris iampridem nominatos, scilicet Episcopum Monasteriensem, & Ducem Brũsuicensem, ijsque bini adiungantur ex parte Electoris* Augustus Dux Anhaltinus, & Ludouicus Henricus Comes Nassouiæ; *ex parte verò Neoburgici* Episcopi Paderbonensis, & Osnabrugensis, *qui communicato inter se consilio, auditis partibus disquirent, an Status Religionis in his ditionibus ad obseruantiam Anni 1624. iuxta pacem Monasteriensem, an verò ad Annũ 1609. iuxta Pacta, & conuenta Principum prouisionalia reducendus sit, & siquidem hoc postremum visum fuerit, quomodo ea pacta intelligẽda sint. Quod si paribus suffragijs nil posset decidi: Imperator electis ex proceribus Imperij ex vtraq; Religione pari numero, vel in proximis comitijs controuersia terminabitur, irreuocabiliter. Interim omnia restituantur in eum statum, in quo erant, ante quàm mouerentur arma. Deinde neuter in posterum sub quolibet prætextu, bellum inferat sub pæna turbatæ pacis, & amittendi iura, quæ quisque in has ditiones prætendit. Dimittantur vtrinque captiui, & copiæ præter eas, quæ ad corporis custodiam sunt necessariæ, vel ad locorum præsidia. Hæc omnia rata sint saluo iure eorum, qui Iuliacensem successionem prætendunt.*

PROFESSIO FIDEI LANDGRAVII HASSIÆ. An. 1652.

cxi INitio huius Anni *Maximilianus Henricus* Archiepiscop. atque Elector Coloniensis paulò ante Sacerdotio initiatus in die Epiphaniæ primam Liturgiam publicè habuit, adstãtibus *Philippo Vvilhelmo Palatino* Neoburgico, & *Ernesto Landgrauiæ Hassio Cassellano*, Nobiliumque vndique confluente multitudine etiam Acatholicorum ad celebritatem huius actus, quem Colonia à centum retro annis non viderat. Huius solemnitatis gaudium plurimũ cumulauit Confessio publica fidei Romanæ Catholicæ, Illustrissimorum Principum *Ernesti Landgrauij Hassiæ*, & eius coniugis *Eleonoræ Mariæ Comitis Solmensis*. Qui ante inchoatam Liturgiam ad pedes Archiepiscopi, prò ara, facie ad populum versa consîdentis, genuflexi, cum in gremium matris Ecclesiæ recipi rogassent, annuente Archiepiscopo, fidei formulam adprobarunt, & tacto Euangeliorum libro, solemni iureiurando confirmarunt; Plurimis præ gaudio lacrymas rigantibus, videntibus Hos Principes quasi postliminio ad eam Ecclesiam restitui, cui ante annos centum & quinquaginta ex eadem Domo præfuisset Archiepiscop. *Hermannus Landgrauius Hassiæ*, multisq; atq; egregijs in Ecclesiam Coloniensem meritis celeberrimus. Dum hæc in Vbijs, nuncius ex Pannonia venit, Turcarum irruptione Sendreum, Butinequum, Giesgouiam, expugnata, nulli sexui parcitum: igne pomeria absumpta; ciuium, militumque alij truncati, alij in captiuitatem adducti. Sezinum noctu expugnatum, & memorabili clade in Turcarum potestatem redacta. Hæc in Sultani imperio patrata, vel latronũ

cxii *metus à Turcis.*

libi.

Sal. An. 1652. libidine, cum dubitaretur; ne repentino impetu opprimeretur Cæsar, ad tuendos Hungariæ limites, Austriæ grandem pecuniæ vim imperauit. Inde pro pacis coronide Ratisponam Cal. Nouemb. comitia indixit. Francodalio Hispanis, Heilbrunna Palatinis adhuc excedendum erat. Dies XXVI. Aprilis dicta est ad numerandā

comitia Ratisponæ. pecuniam, & excedendum, designatis obsidibus, vt Francodalium octouiro Heidelbergensi; alia verò loca antiquis dominis redderentur. Similiter Heilbrunna ab Heidelbergensi hactenùs retenta in liberæ Imperij Germanici Vrbis nomen eodem die rediret, prouisum etiā curaque data Cæsari, si statuto die Palatinum non educeretur præsidium, vt in pristinam Sacri Imperij libertatem restituantur Heilbrunnenses. Ita conuentum XIV. Martij, & sincerè executioni statuta die mandatum. Hæc in Germania; dum in Gallia frustra Rege (qui iam in

CXIII *motus in Gallia.* suam tutelam venerat) reuocante *Cōdæum*, eum cum expedito exercitu insecutus Rex, duce copiarum *Harcuriano* comite, Biturigum vrbem, arcemque ex itinere capit. Inde Pictauium, ac Sātonum portum, Rupellam sibi asseruit: *Spernonio* duce interim Diuionis arcem, quę *Condæi* partium erat, expugnante. Nec segnius *Cardinalis Mazarinus* sibi, ac suæ fortunæ defuit. Damnatus iterum, ac tertiò regni ingressu prohibitus edicto, non animo cecidit, nec spem abiecit, quin & proscriptus ad experimentum constantiæ, & fugientis fortunæ, fortitudinis exemplum posteris; collecto exercitu ære suo regnum ingressus conscio Rege; & aliquot procerum, ac in primis *Hocquincurtij* militum tribuni ipse iam addictis copijs auctus, Regem Pictauiæ hærentem adit; exceptusque honorificè, ipsum sibi per omnia procliuem, quà collibuit, circumduxit; Andesque propugnante *Rohanno Duce* deditione accipit. Condæus interim relicta Burdegala, celeri, & occulto itinere Lutetiam aduolat, vrbemque Regiam immani tum seditione iactatam, maioribus turbis inuoluit. *Mazarino* iterum abeunte, cuius prætextu, & odio turbabatur, non est extincta fax ciuilis tumultus, sed maiori creuit incendio. Dionysij fanum Regum Mausoleo insigne, & sacrum vi captum à Condæo, moxque per *Sam Maigrinum* receptum est. Quo tempore *Carolus Lotharenus* cum copijs Lutetiam aduocatus, mox aliò flexit; magnum momentum partibus allaturus, quas esset amplexus, cum ad Portam Antonianam magna vtrinque cæde certatum est; *Condæi* vltima pernicioni victo, & periclitanti patuisset. Sic Reuerso Rege, abeunte in Belgiū *Condæo*, mox in ipsum seuero Senatus Consul- CXIV

to ob manifestam cum Hispano societatem a- *reus maiestatis Condæus.* nimaduersum est: quo is reus Maiestatis dictus, bonis, honoribus exutus, capite etiam damnatus est; pęna arbitrio Regis relicta; quæ mox beneficio pacis remissa, intra gloriam tanti principis latuit. Idem ferè Burdegalæ status, & Aquitaniæ, quieuit solum, post Amnæstiam à Rege datam. Tunc reuersus *Mazarinus* Parisios, vbi tot tragediæ impunè factę, magna pōpa, magna gloria, stupentibus, qui eum irriserāt & insultauerant. Clarus antè, clarior haberi cœpit, soloq; Rege inferior, eius nomine rerū arbiter, cūcta disponēs. Sed nos Germania reuocat. Comitiorū tempus aduenerat. Cæsar promo- CXV

uēdę Catholicę Religionis cupidus per Austriā *Cæsaris religio.* seuerè edixerat, *ne quis alijs quam Romanæ Ecclesiæ ceremonijs vteretur, sub pena capitis. Sanctissimum Christi corpus sub figura panis quoties aut supplicando produceretur in vias, aut morbo laborantibus per vicos importaretur, publica omnes veneratione colerent. Si quis vel eques, vel pedes, vel curru præter hostiam vectus iret, neq; venerabundus aperiret caput, ingenuaque procumberet, si in noxia deditus fortunis omnibus exueretur.* Et quia plurimi erant, qui sacra colerent ritu ab Ecclesia Catholica alieno, iussi omnes vel solum vertere, vel iterum se catholicis associare. Edictum hoc multis ad seditionē conciuit. Rusticorum supra centum, & viginti millia inuenti narrantur, quos fidei quæsitores adepti adigere vix poterant, vt Euangelio, quod vocant, suo missum facerent. Ad comitia accedamus.

Tertio Calend. Octob. Pragam venienti Ele- CXVI

ctoris Bauari Viduæ, & Octouiro Heidelber- *Electores Pragam veniunt.* gensi extra mœnia obuiauit Cæsar, eiusq; filius *Ferdinandus* Bohemiæ & Hungariæ Rex. Venit & præsul Moguntinus IV. Idus Octob. Cæsar primùm Electores conuiuas habuit. Postea Imperatrix (mater est Cæsaris) epulari eosdem honore accepit. Hoc in conuiuio ad pocula, & dapes erat Gynecæum Augustale, aliaque ministerij officia purè, & comiter virgineum in modum exequebātur. Postea XX. Octob. *Cæsar, filiusque Rex Ferdinandus* apud *Moguntinensem*, XXI. apud *Treuirum*: secundo vicesimo apud *Octouirum Palatinum* conuiuæ fuerunt. X. Cal. Nouemb. Heidelbergensis discessit. XIV. Nouemb. *Ioannes Georgius Saxoniæ* Elector cū

maiore

Sal. An. 1652. maiore natu eiusdem nominis filio, Pragam appropinquat. His obuiat Cæsar extra vrbem, vnius horę spatio. Saxo illa excipitur rheda, qua Cæsar vehebatur. Varijs illico conuiuijs more Germanico roborata inuicem amicitia. Inde ad negotia Imperij peragenda animum adijcientes, Moguntinus, & Treuir electorale sacramẽtum, eo quo par est more, Saxoni dicunt. Brandeburgicus summa contentione apud Cæsarẽ agebat, vt sibi à Regina Sueciæ prius de posteriore Pomerania satisfieret; quàm illa ad Imperij admitteretur comitia. Hinc Praga disceditur. Cęsar valetudinarius lectica vectus Ratisponam venit. Cum appropinquaret, exiere maximo extra mænia numero summi, infimique procerum, & ciujum obsequium præstolantes.

cxvII *Electores Cæsari obuiant.* In ijs erant *Moguntinus, Coloniensis, Treuir*. Episcopi *Osnabrugensis, Paderbonensis, Stabulensis*, & Abbas Fuldensis, legati, Oratores. Ingredienti in vrbem per portam triumphalem quem Senatus in signum summæ deuotionis erigi curauerat, Cæsari Senatus confestim claues detulit. Venerunt postea virorum principum legationes, *Electoris Brandeburgici, Archiducis Leopoldi, Ducis Neoburgi, Principis Guurtebergensis, Episcopi Freisingensis, liberarum Imperij ciuitatum. Rex Daniæ comitem Ranszouium* miserat. *Gulielmus Badæ regulus*. ipse aderat. Dum hæc tanto confluxu virorum fiunt; desuper è Cœlo prodigium illucescere cœpit, nouus *Cometes*, qui xv. Cal. Ianuar. horrenda facie orbi conspectus post duo de viginti dies conspici desiit. *Cometes.* *Hoc signo quid maximus Deus portendi voluerit, metuere magis, quàm scire possunt mortales.* Comitia auspicatus Cæsar ab inuocatione D. Numinis, quadraginta horarum preces omnibus indicit, vt eorum authorem precarentur, benignus esset rebus imperii. Venit postea ante diem sextum Idus Ian. Heidebergensis Octouit cum vxore sua, magno exceptus honore. Nec longè cæteri Electorum, & Ordinum legati. Inter tot oblectamenta lætitiæ luctum immiscuit funus per eosdem dies *Ioannis Ludouici Nassouij*, & *Vuolfgangi Vuilhelmi Ducis Neoburgici*. Hic è Lutherano; illo ex reformato Catholicus.



Aprili ineunte de Rege Romanorum Augustæ eligendo consilia ineunt.

cxvIII Inde mittitur ad *Suecos*, ad *Saxonem*, & *Brandeburgensem*, qui Pomeraniæ negotiũ vrgerent; Sueciæ enim legatis neque suffragium, neque locus in comitiis futurus, priusquàm *Electore Brandeburgico* de Pomerania satisfaciant. Inde suplicationes de more publicè actæ, quibus interfuere Cæsar & Principes Catholici. Dum hæc geruntur, binæ ad Cæsarem eodem prope argumento adferũtur. Primæ *Holmia* ex Suecia xxvI. Martii datæ: Secundæ *Ratispona* ex Austria inferiore III. Id. Martii. Argumentum erat. *Cæsar ab incepta per Austriam reformatione desisteret: protestantes, nouis & antiquis priuilegijs frui, pati vellet. Christiano orbe indignum esse, solemni*

Sal. An. 1653. *ri Iudeos, eisque libertatem dari religionis, qui ab omnibus sunt repellendi; negari vero Euangelicis purissimæ Christianitatis cultoribus, & tormentorum violentia cogi ad credendum, cum voluntati tamen nulla vis inferri possit.*

Cæsar Augustã venit. Tertio itaque decimo Cal. Iunii. Venienti Augustam Cæsari, obuiam processere Electores, qui iam præcesserant, insequentibus primoribus, & Consulibus ciuitatis. Ingredienti in vrbem *Rhemboldus*, vrbi præfectus, oratione gratulatoria Cęsarē excepit. Is vultu ad maiestatem composito, clementiæ suæ operam spōdens, dextram fidei datricem osculandam *Rhemboldo* quū præbuisset, in clarissimæ Fuggerrorum gentis domum deducitur. Dona ad Cæsarem. Tum magistratus poculum aureum, illustri quingentorum aureum nummum munere grauidum obtulerunt, cum duobus vasibus vini rubentis, & albi: item duabus amphoris vini Hispanici; binis Rhenani. Accesserunt Auratæ, & Varioli (pisces sunt) centum & decem: auenæ tria plaustra Similibus fermè ac pater, etiam filius donatus est. Postero die Missæ Sacrificio adsuere. I V. Calen. Iunii, comitiis habitis, futuræ electioni dies dicitur postremus Maii. Quo, accepto à ciuibus Sacramento, peregrini, & alienigenæ vrbe iubētur excedere. Negant enim moris esse Germanici, vt dum Rex eligendus sit, externorum quisquam intersit. Nec mora, Hispaniæ, Poloniæque Regum legati, inde se proripere festināt Sub Vesperum portis omnibus obseratis, claues in Electorum conclaue, à comite *Pappenheimio* illatæ, in tertium diem seruantur. CXIX peregrini nō adsĩãt electioni.

FERDINANDVS IV. REX ROMANORVM. An. 1653.

IGitur quū dies Maij (ita Thuldenus) *postremus illucesceret, portis adhuc diem, noctemq; clausis, nemo hospes intromissus in Vrbē est Ciues pacatè, grataterque armati ex foro vinario vsque in D. Vdalrici continua statione, vtrimque adium stātes per plateas, electionis Regis finem opperiebātur: honestissimis inter se iocis non inciuiliter colludentes, circiter horam septimam Electores in curia congregantur, ibi quum suo quisque habitu ornati essent ad* Diui Vdalrici *in equis progrediuntur: antecedunt eos frequenti numero, sed gratissimo spectatorum auribus, animisque, tubarum clangore, æneumque bombo tympanorum, insignes pulsandi, inflandiq; artifices. Hos ponè secuti Electorum cuiusque, nobilissimi, & domestici, pars decoro, pars ministerio apti iuuenes ac uiri aulici, aula Mareschalli enses vagina inclusos praeferebant: vestibusque, & limbis, colorumque, & lemniscorum varietate ita alios ab alijs discernebāt, vt quorum familiæ, satellitijque forent, insigniū cuiusque & ornatus argumento curiosis facilè proderentur.* Moguntinus, & Treuir *primo loco iunctim equitare conspiciebantur.* Coloniensis *deinde cum Rege* Bohemo: Heidelbergensis *cū Bauari Legato Maximiliano. His proximi erant Saxoniæ Ducis Orator* Phrisa, & Blumæthalius *Marchionis Brandaburgici Legatus. Turba circumpedum numerosa, vtrunque latus honoris & custodiæ causa circummuniebat, capitibus nudatis procedens. Octouiris singulis, purpurei coloris togæ, ab thoracis fastigio vltimos inuoluentes talos, erant. Earum pars superior, qua nuda colli proteguntur, ex albentibus* Hermelini *pelliculis, ampla satis, & ex artis vestiariæ præscripto decentissimè rotundata collaria præportabat. Pileis rubentibus, sed rotundis vertices operuerant: excepto, quod* Bohæmus *regni sui diademate tempora inclusus appareret, &* Heidelbergensis *quadrato capitis tegmine serico vteretur; aliorum denique legati absentium, suo propriè sed sumptuoso, ac vbi vis etiam decente illos vestium genere elegantissimè conspicerentur. Vbi ventum prope ecclesiam est, ex equis pariter omnes descēdunt, & in templi interiora, vultu ad religionis honorem modestiùs composito, ingrediuntur. Tum symphoniaci qui in odeo venturos principes opperiebantur, lætissimè canere incipiunt. in chori parte sinistra templi Vdalriciani præsul, pontificali incinctus ornatu stabat, & cum sacratis Deo viris, ingredientes venerabundus excipiebat. Deducuntur subinde ad dextram Moguntinensis & Bohamus, duo item legati, alter à Bauaria Regulo, alter à Marchione Brandeburgi, & suo quisque ordine rubri coloris serico circumtecta sedilia occupabant. In chori medio contra aram maximā solus Treuir consedit: ad lauam Coloniensis, Palatinus, & Saxoniæ Ducis legatus collocati sunt. Mareschalli propè ab suis quique heris, tectum vagina ensem præferentes constitere. Præsul ad aram sacrificantis habitu cum ministris diuinæ rei progressus, solemne inuocandi spiritus sancti carmen, tribus verbis præcinit: id simul ab symponiacis Cæsaris exceptum, cum versu, & precatiuncula (collectam vocant) sacrificandi initium fecit. Missa ex sancti spiritus officio tota peragebatur. Summa precationum, et sacrificij hæc erat:*

Sal. An. 1653. Faciat pacificator omnium et lætitiæ dator ſpiritus ſanctus; vti hæc Romanorum Regis electio toti Germaniæ, eiuſque proceribus fauſta, felix, fortunataque eueniat: iſque Numinis diuini inſpirante gratia Rex eligatur, qui animo probus, fide integer, manu fortis, clementia inuictus, honorem Dei, ſalutem hominum, nulli poſtponat rei. Sacrificio miſſæ facto, progreſſus inde cum miniſtris Antiſtes infra altaris aſcenſum reſtitit. Gradus qui in aram ferunt, rubro & albenti panno circumueſtiti, materiem celabant ſuam. Aſcendunt è veſtigio ad ſuperiorem in arã gradum Electores, legatique frontibus in populũ conuerſis. Hic Moguntinus prior aram tenens, in librum ſuper altare poſitum (Euangelia is liber, & ſacrorum rationẽ continet) dextram inijciens manum, conceptis verbis clara voce Electorale ſacramentum dixit, eum ordine ſecuti Treuirorũ, & Colonienſium Archiepiſcopi: Rexque ipſe Bohemus: Bauariæ dein & Saxoniæ tetrarcharum & Brandeburgenſis legati; ad extremum denique Octouir ipſe Palatinus. Omnia verò Sacramenti verba, ita ſyllabatim, diſtinctèque ab vnoquoq; eorum pronunciata ſunt, vt ab omnibus qui ad ſpectandum confluxerant, facilimè exaudirentur. Nec longè illis erant Cæſarei ſcribæ, qui rem vti gerebatur, hortante illos Moguntino in commentarium referrent. Eorum alter, quod iuſſi erant cum fide curaturos amborum nomine recepit: alter continuò totam concionem, & circumfuſam vndique multitudinem geſtæ rei teſtem clariſsima citauit voce. Hæc vbi facta, itur in conclaue Electorium, & poſt diſſertationem bene longam, conuenientibus in vnum ſuffragijs Cæſaris Filium Ferdinandum Hungariæ, Bohemiaq; Regem Romani Imperij moderatorem, Regemq; conſtituunt. Vbi hunc nuncium Cæſar accepit, extemplò in Diui Vdalrici Monaſterium ſe contulit. Ibi in hanc rem extructo, & conuenienter exornato conclaui, Maieſtatis imperatoriæ veſtes quum induiſſet, Electoribus, & legatis magnificentiſsimè comitatus, in ſacrarium templi in quo Rex Romanorum factus fuerat, introducitur. Inde cum Electoribus & legatis in chori adyta progreſſus, in excitatum ſibi, auratoque tectum periſtromate aſcendit thronum. Electores vt antea quum ſacramentum dicerent in ſuperiore ad aram gradu ſubſtitere. Super aram maximam ſedes ſtabat, in ea ſede electus Rex honorificentiſſimè collocatus ab Electorum corona medius cingebatur. Templi Antiſtes pontificali adhuc ornatu cinctus cum diuina rei miniſtris continenter aſsiſtebat, & ſedente ſuper aram Rege preces, & ſacra carmina fundebat, viceſimam ex Dauidicis oden religioſo murmure ingeminans. Hymnũ deinde Ambroſianum alta voce canens ordiebatur, per phonaſcos Cæſaris, ſolenni cantu ad finem perductum. Nil interea, quod edere tinnitum poterat: tota vrbe conticuit: in ſacris turribus æra, è ſclopetis crepitus vicatim perſonabant: muraliũ tormentorum tonitrua & fulgura è vallis, ac propugnaculis fauſtiſsimam Regis electionem, geminata letitia teſtabantur, iterum, atque iterũ cum gaudio exploſa. His finitis Cæſar cum regẽ in theatrum aſcendit, inter Electores; ac Legatos medius, ſed eminentior conſidebat Rex Bohemiæ, diadema adhuc capite geſtans, circumfuſoque ad ſpectaculum populo amabiliſsimè conſpicuus oſtendebatur. Tum primùm apertè templi fores, multitudinem antea excluſam effuſiſsimè admiſerunt. Neque fremitus congratulantium, neque plauſus eorum; qui Ferdinandum IV. viuere multùm diu, & ſaluere lætis vocibus acclamabant; vllo modo coerceri poterant. Vbi multitudinis deſiderio nouum videndi Regem, aliqua ex parte ſatisfactum credebant eſſe; è theatro, temploque, magna pompa, maiore ſpectaculo diſceſſere. Tres exeuntium ordinẽ præcedunt præcones. Vnus Auſtriacus, alter Hungaricus, Bohæmicus tertius. Poſt hos, abſentium Legati Electorum, primus Bauari, ſecundus Saxonis; poſtremus Brandeburgici. TREVIR, & PALATINVS iunctim ambulant. Horum veſtigia legunt Mareſchallus Imperij Pappenheimius, cum enſe nudato, Comes Truchſes cum Imperiali pomo; Comes Zolleranus cum ſceptro. Cæſar demum Imperatorio conſpicuus ornatu, & Cæſarea caput infula redimitus. Hunc deducebant ſummus aulæ Magiſter ſcipionem deferens, & duo ex equitibus corporis cuſtodibus primi duces: Sequebantur ſtatim Archiepiſcopi Moguntinus, & Colonienſis, Regemque Romanorum, interiorem ac medium ſanctiſsimè complectebantur. Pro templi veſtibulo Senatores Cæſarem præſtolati, ſub vmbella pretioſiſsimi operis progredientem ab ſolis æſtu protegebant. Verùm quod valetudinarius erat, neque pedibus, aut equo ſatis commodè vtebatur, delatus lectica eſt. Ab ſancti Vdalrici fano vſque in ædes, quo Cæſarem diuerti conſtabat, pons ligneo opere conſtructus, per vinarium pertinebat forum, ab vna parte rubro, altrinſecus albente circumtectus panno. Hoc ponte pompa omnis deducta eſt. Ab ſiniſtro Cæſaris latere Romanorum Rex cognominis patri filius incedebat: Electores,

pars

Sal. An. 1653. *pars anteibant, pars sequebantur. Inflandi buccinas, ænea pulsandi tympana nullum fecerunt finem harum periti artium, ideoque in aulas accessiti. Neue satietas eos aut fastidium continenter exercendæ integrum diem artis caperet, discriminatis vicissim agendi, cessandique temporibus, fessis integri succedebant: tanta eum audientium voluptate, concinnitateque vt post natos ibi homines nihil augustius, in augusta vrbe contigisse putaretur.*

Eodem die, quo *Ferdinandus IV.* Romanorum Rex est designatus, *Eleonora* Imperatrix filiam peperit. Augusta Ratisponam discessum, est, ibi XIV. Cal. Iul. nouus Rex more solito inaugurandus vt ex numismate habes grandi Domi, forisque apparatu. Quinque, & quinquaginta liberarum ciuitatum legati istic aderant; In hac coronatione notabilis est protestatio *Electoris Coloniensis* aduersus *Moguntinum* qui Regem coronauit. Lege Carolina (per legatos ita inculcabat Coloniensis) cautum, ne quis alius, quàm Coloniensis Archiep. Regem Romanorum corona insigniat Augustali. Quod si Moguntini præsules aliquando id fecerint, non suo sed Coloniensis nomine fecisse recensendi sint; quia id temporis Colonienses Pontificali consecratione caruerint; nec Archiepiscopali pallio fuerant insigniti. Propterea nullo modo se permissurum, vt hæc Regis coronandi vsurpatio in ius, aut possessionem vertat Moguntinensis, qua legis Carolinæ sanctitas violetur. Protestatio hæc *Maximiliani* fuit literis consignata, Cæsarique tradita eo die, quo Rex coronam sumpsit, mane sub horam octauam à comite *Egone Furstenbergo*, ac postea sub duodecimam, à cancellario *Busemanno* coram Cæsare in templi adyto clara voce repetita.

CXX legati ad Cæsarem.

contentio Colon. cũ Mogunt.

Brandeburgici quoque legati Electoris nomine, de duobus publicè protestatione questi sunt. Quod sceptrum ab hæreditario Imperij Archicamerario præferebatur, quum id munus Electoris Brandeburgici esset 2. quòd mensarum ordo in conuiuij loco esset inordinatus. Palatino namque Electorum Octauo ante Brãdeburgensem mensam extare positam, quum ille potius postremo loco mensa collocari debuerit. Legatorum literæ Octouirali Collegio, & Cæsari traditæ sunt. Sed nihil de Coloniensi, vel Brandeburgensi decisum.

Extrema Iunij Cæsar post commemoratã pacem feliciter compositam, & executioni datam; tria hæc potissimum in deliberationem propos̃uit. I. *quomodo pax adeo laboriosa, & sumptuosa cum omnibus, tam indigenis, quàm exteris nationibus vbique constare, & stabiliri possit?* 2. *qua ratione ea quæ nondum pace conuenienter ordinata, compositaque sunt; in executionem, & ordinem veniant* III. *qua via ijs, quæ in hos conuentus reiecta sunt ad componendum, modus imponatur, ne quid omnino inutilis moræ capto intercedat, neue sumptuum quicquam aut detrimenti fiat.* Audita Cæsaris propositione, inita sunt statim comitia, in quibus Procerum studia vnà collimabant, vt vndique pacem Germania reuocaret. Fechta (Monasteriensis Gueisphaliæ oppidum est) Sueci emigrare debebant. Lotharingici ex Eburonibus, & ratio administrandæ iustitiæ ad Germani iuris formulam reuocari debebat.

Herfordensium etiam, & Bremensium venere legati. Hi quòd cum Cæsare in gratiam redijssent, libertatem suam contra Suecos postulabant. Illi de Octouiris Brandeburgensis iniuria, & asperitate regiminis queri cœperunt. Comitia, cum in tria collegia distribuantur, quæ suis locis, & confessionibus pro dignitate singula congregantur; *Electores* primùm; *Alij Principes* secundum; *Ciuitates Liberæ* tertium, Imperij faciant collegium; Ex vrbium concilio ad superiora duo collegia literæ missæ fuere, quibus de certo suffragandi modo querebantur, *nimio se grauari; quia si Principum Collegio accessio fieret; hæc pariter facienda esset & ciuitatum Collegio, quo religionis vtriusque hominũ par in suffragando numerus existat.* Videbatur quidem hæc vtrorumque paritas necessaria ad concordiam stabiliendam, residuasque ex animis tollendas simultates; cum Euangelici non aliunde, quàm ex inæqualitate, quod fuerit hactenus dissensionis, ac diffidentiæ pullulasse affirmarent. Ad ea tamen respondere superiora collegia; *placere in Congregationibus Deputatorũ Imperij ordinarijs, quantum Catholicorum esset, tantundem & Protestantium adhiberi: sed hac lege addita, ne quid ipsi per se immutare, vel imponere suis possent, vnde grauarentur.*

CXXI questus liberarũ ciuitatũ.

Tertia vicesima Decembris, nouis Principibus in collegio Principum Senatum dederunt: *Gueneeslao Lobcoutiio; Maximiliano Theorteo Dieteriehsteino. Octauio Piccolomineo* Aragonio *Ioanni Gueiseardo Auersperga Domino.* Habuerũt isti locum ante cunctos Principum absentium legatos. Quartum etiam scamnum additũ est pro Gueisphalici nominis comitibus: in quo

noui principes

Sal. An. 1653. ad conſulendum, & ſuffragandum ſederent *Suarceburgici, Oldenburgenſes, Bethenheimij, Brunchorſtani, Manderſceidi, Sleidani, Ritbergẽſes, Diopholdij, Reiferſceidi, Arebergenſes, Gunneburgici.* Cum octo aliorum Comitatuum Dynaſtis, *Spigelbergæ, Lupiæ, Velæ, Rheinſteinæ, Tatabacchi, Syncedorfi, Mærſiæ, Sarwerdæ.*

cxxii In Vrbium collegio, Bremenſis ciuitatis internuntij, Suecis etiam nolentibus, iterum recepti, & cũ honore introducti ſunt; quod pertinacia depoſita, iam obſequẽtibus Cæſar gratiam feciſſet.

Interim Starigardię in Pomerania Elector Brandeburgicus erat menſe Auguſto, vt cum Ordinibus Prouinciæ de funere vltimi Pomeraniæ ducis deliberaret, cuius expenſæ octoginta Thalerorum millia Imperialium excurrebant; quarum ſemiſſem Suecus, alterum dimidium Brandeburgicus ſoluere tenebantur; vt ſine mora nouo Domino populorum fides obligaretur. Guiſmariæ (ciuitas hæc *Chriſtinæ Suecorum Reginæ* manus dederat) Iuſtitiæ tribunal cum non medio- Sal. An. 1654. cri pompa xxii. Septemb. reſeratur. Succi iam bello, ac rapinis aſſueti, quieſcere vniuerſali in otio haud poterant. Contra datam fidem, cxxiii *Lotharingorum populationes.* iterum luſtrato exercitu *Coningſmarchius*, cæterique tribuni, quæ Bremenſium ditionis, poteſtatiſque prioribus bellis facta erant, munimentis illorum terræ inædificatis, inundare cęperunt, non ſine belli diſcrimine; cum Techta Monaſterienſis diœceſeos ſuo adhuc Sueci tenerent præſidio. In Circulo etiam Gueiſphalico Lotharingici prouinciam miserè expilarent, eam præcipuè partem, quæ Epiſcopi Leodienſis eſt. Sic *Condæi* miles vt ſibi aditum in Eburnones aperiret, Couinum, Florinas, Foſſas, Caſtellettum occupauerat. Guaremiam Lotharingicus, fugientibus oppidanis, ſedem, & aſilum populationis inſtruxerat, vt eò receptũ haberent. Inde Campiniam, Haſbaniam peruagantes, intercepto Loſcaſtro; Herkæradij perfractis clauſtris; humana rapiunt, ſacra profanant Eorum libidini nil imperuium. Matronæ, Virgines, Sãctimoniales in caſtris diſtributæ ad ſaturandam brutalem militum libidinẽ. Beliſia, Beringa, Herca, vel incendio abſumptæ, vel præda, promiſcuaq; cæde deſertæ. *Tudinum* hæſit pluſquàm male Chriſtianorum barbaries, nec forte, neque munitum oppidum. Decimus ſextus excurrebat obſidionis dies, qua Condæani oppugnabant, ſtrenuè reſiſtente ciue, quia miles nullus erat, qui muros defenderet. Cumque iam tæderet obſeſſos, generoſo conatu, xiix. Cal. Feb. in hoſtium caſtra ex mœnibus erumpunt, tanto impetu, vt Condęani amiſſis impedimentis ſe in fugam proriperent. Heroicam *Tudinienſium* virtutem ne Princeps Epiſcopus pręteriret, *Fortium* nomine & honorario titulo decorauit. cxxiv *Tudinienſium geſta.* Vt poſteris cõſecrati cum vulgari populo non amplius eſsẽt recenſendi, ſed gladio præcincti, ac iure vænãdi donati exemplo eſſent inuictæ fortitudinis. Mœnia vt inſtaurarent & communirent, publica ad tempus vectigalia etiam reis remiſit. *Maximilianus* interim Leodienſium Princeps Cæſarẽ, cæteroſque Imperij Ordines de turbulento rerum ſtatu certiores fecerat, ſed quia tardum erat ab imperio auxilium, Gallos aduocat in ſubſidium. Facile fuit in Hiſpanos prouocare Gallum innato odio ſemper infeſtũ. Ad Moſam flumen ſubſtitere Galli, vt ab importuno latronum genere libertatem vindicarent imperij, cuius partem etiam Galli gerebãt quia ex nupera Monaſterienſi pace, parte Alſatiæ potiti erant; hinc in vexillis flauo colore micantibus Aquila ſtabat picta Romana. *Maximiliano* etiam *Colonienſi Electori* præ ceteris amicus Gallus erat, quia exulem *Cardinalem Mazarinum* hoſpitio excepiſſet in arcem Brularum. Dum hæc geruntur, nuncius ex Hiſpanienſi Belgio refert, *Lotharingiæ Ducem* cxxv *Carolum, qui tot malorum auctor habebatur, in cuſtodiam ab Hiſpanis datum. Bruxellis Antuerpiam triumphi ſpetiè honorificentiſſimè deductũ, ibi aſſeruari.* Hiſpanis amicus, eorum parrocinio neminem amplius cum timeret, amicis perèquè ac hoſtibus grauis, ne iterum belli ſuſcitaret incendia, quæ iam clamore populi, querelis principum, indignatione Cœli, iterum videbantur iure timeri, duci datur *Arſchotano* & Comiti *Garciæ* inſidias ſtruere, vt amica fraude, & citra rumorem in foueam deducerent. *captiuitas Lotharingi.* Erepta prima vxore, aliam duxerat *Carolus*, & more priuati Bruxellis agebat. *Arſchotanus*, & *Garcias*, qui quotidiani, & intimi *Caroli* erant amici, vt feram fallerent, in dies inuiſebant, diligenter expendentes latibula, quò ſe recipiebat. Nam ſuboluerat *Carolo* aliquid ante triduum, quàm in caſſes incideret; & in populo murmur erat, ei inſidias inſtrui. Propterea in Parthenonis ſacri templum, quod Bruxellis ad vallum Antuerpienſe adſitum eſt, ſe religioſè abdiderat; vt interdiu diuinæ rei intereſſet,

Sal. An. 1654. resset, & Sanctimonialium cantu, ægritudinem animi leuaret: noctu quoque secretiore in cubiculo à familia seclusus quietem caperet. Eo se conferunt amici, composito ad fraudem die, & in sacello inuenere Missæ adstantem sacrificio. Inuitarunt de Archiducem, a quo missi aduenirent, vt in re magni momenti consilium daret, vbi & prò sua religione Sacrificio interesse posset. Tunc *Caroli* animus aliquid mali visus est præsagire, sed verborum lenocinio ab amicis illectus, suspicione deposita, ne reum se faceret, Rhedam conscendit. Inter vehendum, quædam de Eburonum Principe *Maximiliano* verba fecere, quod copijs Gallorum auctus, vires Lotharingicas breui diceretur extincturus. Subridens ille, *meliora* (inquit) *& certiora adfero. Nihil periculi ab Eburonibus nostro militi impendit. Victor ibi meus vitulatur exercitus; neque ad Galli vocem expauescit*. Interim ad palatium ventum est; perhonorificè exceptus per procætonem in primum conclaue deducitur; clausa post tergum ex composito repentè ianua. Hic, *quid res sit?* fluctuabundus interrogat *Carolus*. Casu, vel venti infortunio id accidisse, respondent. Inde in proximum conclaue pergunt; ibi etiam clauso ostio, & pectulo ferreo in seram impacto, clarus iam se insidijs teneri, exclamare cæpit; *quomodo viro principi de re Hispana optimè merito, ignominiosa imponitur seruitus?* Excusauit se tūc *Garzias*, quòd supremo Regis mandato parere opus esset, qui eum capi mandauerat. Idque satius sibi visum, vt amico dolo in familiarem custodiam *Archiduci Leopoldo* traderetur. *Carolus* ira succensus, correpto vtraque manu gladio, fortunæ suæ teste, ac socio, qui ex humero ei dependebat; *Secundum Deum* (inquit) *nemo mihi nisi gladius hic iura statuet*. Garcias qui nosset iræ tempus leniendæ, ac modum, blandius compellare principē; scriptas ab Hispano Rege literas ei legendas tradere. Quarum summa erat. *Ne ducat sibi ignominia Dux, si mandato Regis atteneri se patitur, nam vt Rex animo semper fuerat in Ducem paterno, ita & Ducem filiali in Regem animatum esse oportere*. Lectis literis, ira deferbuit. Verùm vbi semel, atque iterum Archiducis petita præsentia, gaudere non permitteretur; indignāti similis, per conclaue discurrere cœpit. Considet deinde, & calamo codicillos conficit ad Archiducem deferendos. Ijs Archiduci traditis non rescribitur, sed per sermonem renunciatur, in *Principis Thomæ* hospitium diuerteret. Interim ædium illarum vicinia, vbi Dux morari consueuerat, extemplò infessa, custoditi thesauri, compræhensi custodes; vigilibus in mœnibus, & per compita viarum dispositis, ad euitandos tumultus. Peracta fabula Archidux literas publicauit, quæ in foro, mœnium portis, templorum foribus adfixæ legebantur Bruxellis, dein per omnes Mundi plagas volitarunt, quibus omne hominum genus docebat, cur ita planè fieri oportuerit. Argumentum erat. *Lotharingiæ Duci Carolo, postquā* CXXVI Litera
ex ditionibus suis Gallo eum persequente ad ex- Leopoldi.
teros migrare coactus fuerit, nulla ab vllo mortalium, quàm ab Rege Hispaniarum beneficia contigisse. Pro cliente habitum, defensum. In pacis negotio rationes eius fouentissimè procuratas. Ad consilia belli, domiq; agitata socialiter admissum omnium rerum participem, & conscium factum. E diuerso per ludum, & iocum in perniciem Reipublicæ à Carolo duce omnia conuersa: quod minime tamen tanti nominis & familiæ principem decuerat. Optima consilia, quæ in rem ex verbis conferri equum erat, illius tergiuersatione, & nequitia, penitùs elusa. Milites, qui in hostem pugnando fortes euadere potuissent, in amicorum, sociorumque Germaniæ principum ditiones, latrocinijs, cædibus, stupris, incendijs, in omne pessimū facinus assuefactos, ad easq; contaminandas furiali Marte intromissos. Eo demùm insania processisse Carolum, vt eum veluti hominem diris precibus deuotum exhorrescant plerique, & non secus, atque Erymnim ab inferis excitatam abominentur mortales. Quare Deus tantis prouocatus execrationibus iram implacabilem in eos vertat, qui leuare orbem hoc prodigio, vel debebant, vel poterant: regem Hispaniæ coactum fuisse, vt morbo vitalia depascenti medicinam faceret: & Lotharingiæ principem, ne suo ludo humana, diuinaque perturbare pergeret: in custodiam duci iuberet. Non quod Lotharingicæ stirpi malè cupiat: aut bonis possessionibusq; exutam è Belgio eam proscriptam velit: sed vt cum maiori fructu, & disciplina exercitus omnis Lotharingicus Nicolao Francisco Caroli fratri moderandus seruetur. Ideo commonitos velle omnes, quibus hæc res tanto silentio gesta, commouere animum possit, ne indignentur, neue id contumeliæ loco ducāt, quod omnibus profuturum sit: tempus ipsum leniturum iras prudenter expectent.

Re vera, cum nulli principum inimicus esse CXXVII Vita Ca-
& Hispano Regi obsequentissimus *Carolus* exi- roli.
stimari vellet, eo tamen nequitiæ cæca auaritiæ

cupido

Sal. An. 1654.

cupido præcipitem dederat, vt non amplius bella, ſed latrocinia gereret, ac prò delicijs haberet. Non militi ſtipendium, ſed miles ipſi numerabat; vt eius auſpicijs latrocinari impunè poſſet. Hoc ſacrilegum miles eius ſeruabat; vt quum ſpolianda templa, & diripienda fana ſuſcepiſſet; in genua prius incumberet, aperto capite, ne ſcio quid tacitus precabatur; mox alacrior aſſurgens ad ſacrilegia, & rapinas procurrebat, quaſi impunitatem ab Inferis rogaret, vel in commilitones aſſumeret, cum cœlitum domos acciperent deuaſtandas. Si quid de exercitu ſuo querentibus oppidanis, moleſti audiuiſſet, excuſabat *ſe, & paupertatem ſuam; quod principatu ſuo eiectus, alibi vitam degere coactus eſſet. Bono tamen ſemper animo etiam in aduerſis fuiſſe; ita & alios eſſe debere.* Agrorum vaſtitatem, prouinciæ depopulationem cum lacrimarum effuſione querentibus, & ſupplicantibus; homines deſpiceret depauperatos, & incendij vaſtitate in cinerem redactos, ioculari modo reſpondebat; *Deſinite* (inquit) *veſtram lamentari paupertatē: per incendiarios illos meos via vobis ad Cœlum munitur: exurant illi, vos exhauriant, prò caducis, & mortalibus bonis cœleſtia, Deo largiente, recipietis*. Domorum incendia eo cauillo prætegere ſolebat, *ſe hoc pacto rationem inueniſſe, qua militi ſuo natura alſioſo incomoda frigoris pellerentur.* Hæc ſi diuinæ aduerſantur legi, Deum etiam ludificatum fuiſſe fateri eſt, cū vt Romanæ filius crederetur Eccleſię, nullum diem abire pateretur, quin Diuorum, & Deiparæ Virginis patrocinio ſe commendaret: ac ſāctiſſimę Lithurgiæ ſacrificio humili ſitu, flexis genibus intereſſet Animi noxas frequenti confeſſione Sacerdotibus eluendas aperiebat. Venerabilis hoſtię Sacramentum eadem pietatis ſpetie ſumebat. Hippocriſis hæc querelas non diluit, quæ in Germania apud Cæſarem comitia habentem, & in Hiſpania apud Regem tātum rumorem excitauerant, vt tolerabilis amplius non appareret. Capituitas itaque mandatur, mandata geminis literis expurgatur, tum ad Reges, tum ad exercitum, monendo militiæ Ordines, bono eſſe animo, quod melioribus auſpicijs Sereniſſimi Lotharingiæ Ducis *Franciſci* fratris *Caroli* (is Vienna diſcendens, expectabatur) eſſent regendæ. Poſtero die (feria erat quinta primæ hebdomadis in Quadrageſima) Bruxellis Antuerpiam deducitur, in Hiſpaniā transferendus. Dein exaſperati Lotharingiorū animi, accepto in aliquot menſes ſtipendio, haud grauatè pacantur.

cxxviii *Frāciſcus Dux Lotharingiæ*

Nicolaus Franciſcus frater *Caroli*, qui propter exilium, tenuioris fortunæ iam factus, cum liberis duobus maſculi ſexus, Cæſaris benignitate Flauianæ alebatur, ad Lotharingici nominis decus in Belgas reparandum inuitatus, ſalutato Cæſare, Bruxellas venit, vbiq; in itinere honorificè acceptus. Priuſquam vrbem intraret, ab Archiduce miſſus ei obuiam eſt *Moterinus Comes*, qui Ducis impedimenta prouehenda curaret, & per Montagum Bruxellas, honoris cauſa deduceret. Vbi maximo Vrbis applauſu tormentorum exploſione acceptus, quinto poſt aduentum die, edocetur ab Archiduce, bona Domus Lotharingicæ per duos cognitę fidei arcarios cuſtodita fuiſſe vſque ad eius aduentum; nunc ei omnia libero iure cedere, quibus vti, & frui poſſet, veluti ſolus, & abſolutus dominus ab omnibus recognoſcendus. His ita conſtitutis ad exercitum mittitur, ſimultate compoſita, quæ inter Hiſpanos, & *Maximilianum* Eburonum Principem in dies gliſcebat ob Lotharingi rapinas.

Nicolaus Frāciſcus Lotharin. gus.

cxxix *Receſſus Imperij quid.*

Imperij interim Ratiſponæ parabantur *Receſſus* (ita nominant certam Inſtitutionem eorum, quæ in comitijs tractata obſeruari volunt per fines Imperij) Sub hæc Fechta excederant Sueci præſidiarij licet ægrè, & cunctanter accepta pecunia, quæ eis numerari debebat ab *Hoffſtetero Cunæbergenſi*. Pyrij pulueris centum, & octo libras, cum octo maioribus tormentis reliquerunt. Eo ſtatim quingentorum militum immiſit præſidium Monaſterienſis Epiſcopus. Poſtea Ratiſpona diſcedens Imperator, Flauianam, inde Thermopolim (*Badam* dicunt) valeditudinis cauſa venit, filio Romanorum Rege Flauianæ relicto; Is III. Non. Iul. puerili morbo grauatus (*Varioli* dicunt) VII. Id. Iul. ingraueſcente peſte, catholicum in morem ante procuratus, Deo repoſcenti animam placidè reddidit, virgineo adhuc corpore caſtus, cum Annos nondum viginti expleuiſſet. Regiæ mortis caſum loquuta erant prodigia. *Terræmotus, & venti in Auſtria: in Pannonia incendium Raabam ciuitatem deformauerat. Aquila pullus Cæſarea in arce nutritus, inde auolare, nec redire viſus.* Die quo inauguratus eſt Cæſar, apparuit. Mortem Eccliſis Solis præceſſit.

Fechta Sueci excedunt.

Ferdinādi 4. mors prodigijs prædicta.

Sepultus in Sacello Cæſareo Capucinorum, cum hac inſcriptione. *Ferdinandus IV. Romanorum, Hungariæ, Bohemiaque Rex, Archidux*

Auſtriæ,

Sal. An. 1654. *Austriæ, Ferdinandi III. Cæsaris ex Maria Hispaniarum Infante filius primogenitus, natus 8. Septemb. An. 1633. denatus 9. Iulij, 1654.*

Habuit pro Symbolo Ferdinandus IV. *Pro Deo, & Populo.* Intestina in cathedrali S. Stephani basilica humata sunt. cxxx

BREMENSIS OBSIDIO. An. 1654.

CVm Bremensibus minimè conuenirent Sueci, *Coningsmarchio*, & *Phrangele* Ducibus in eos castra mouerant; Deo forsan opitulante, quòd nobilis ciuitas, & mercatura diues, per quam fluens Visurgis onerarias, actuariasque naues facile patitur, nullius hominis, nescio an Dei æquè ferret imperium. Obsoleta iam disciplina Christiana, ipsi etiam Sacerdotes, quorum plerique Caluiniana labe iacebāt polluti, in luxum discincti, nepotari assueuerant. In *Burgum* (munimentum est non longè Brema situm) Suecorum fuit primus impetus. Sustinuere diù aggressionem obsessi, donec cæso Præfecto, deditionem fecere. Sic foris, intusque laborabant Bremenses, gliscente seditione eorum, qui cum Suecis conspirabant. Verum cum illi, quibus armorum iura demandata erant, haud rudes militiæ essent, nocte xxv. Iunij. Brema silenti agmine profecti, *Burgum* aggrediūtur tanta alacritate, vt impares Sueci, amisso Præfecto, cæsi omnes, vel captiui caderent. Annona, bellicusque apparatus tantus ibi repertus, vt in annum sufficeret. Hoc læti successu Bremenses, mense proximo *Phegesaccum* (arx erat

Sueci mouēt in Bremēses.

à Suecis munita) aggrediuntur, & obtinent. Ibi etiam occupatis æneis tormentis septem, tanta fuit annonæ, & instrumenti militaris copia, vt per annum toto sufficeret exercitui. Eodem impetu Pherdam occupant, sed dum solo eam complanare tentant, superueniente *Phrangele* cæsi, fugatiq; Bremenses, ægrè se Burgum recipiunt, aditus obstruunt, vallo muniunt; præfectum imponunt virum strenuum, manu promptum, qui Suecis aliquando stipendia fecerat: eius imperio noningenti viri tormentis, & commeatibus satis instructi, dicto audientes erant. *Coningsmarchius* septem millibus viris auctus Burgum aggredi cœpit. Bremæ vero cū ex Monasterio, Luneburgo, & Brandeburgo, Lubeca, & Hamburgo legati essent, sequestres se obtulerunt. Magistratum cohortantes, vt *Burgum* Sueco traderet, si arma ponere, & libertatem vrbi permittere vellet. Recusauit porrò Suecus, nec incepto destitit, donec *Burgum* suū faceret. Recepto Burgo, legatum audiuit, & duorum mensium inducias composuit. Mense Octobri *Stadam* venere conciliatores, & post longas disputationes conuentum: De Ciuitatis



Bremensium libertate quæstio, *mediata illa sit*, *nec ne*, in aliud tempus potrahatur, cuique iure reseruato. Bremensis ciuitas Sueco Regi, & successoribus fidem dato, quia Ducatus Bremen-

Sal. An. 1654. mensis Sueciæ Regum sit. Contra Sueciæ Regem Brema fædus ne percutiat, pericula propulset. Canonicis ne patrocinetur. Præfecti ciuitatis in suo statu permaneant. Bederkesiā ditionem, & quicquid in oppidum Leam iuris Brema haber, Sueciæ Regi cedat. Burgus in possessione Regis maneat; tantisper dum æquis cōditionibus super eo conuenerit. *Blumathalium, & Phegesaccus sint Bremensium ciuitatis, quemadmodum antea fuerunt; excepto quod pro hero Suedum agnoscant, tanquam superiorem, dimidium stipcudij ex Goeris in ærarium Stadense à Bremensibus inferatur. Sanctorum Ansgarij, & Stephani collegia his conditionibus non includantur, in posterum ea compositio fieri poterit, Regiæ maiestatis subditi, qui ligna; & torfeò venalia deportant vectigalium grauentur immunes habeantur, neque consumtionum impensis: publica Bremensis ducatus debita; quantum eorum fuit Guesphalicæ pacificationis tempore pro rata portione soluenda ciuitas curato Agris, qui nouæ vrbis finibus ad clerum spectantes continētur, Bremensium ciuitatem pro sua benignitate Rex condonat: quare pro abducendis militiæ Sueciæ copijs duodecies mille nummum, qui imperiales dicuntur, ciuitas Bremensium numerato. His conditionibus quietem pacti Bremenses, à militum exauctorationibus initium cæperunt, ac Sueco se in fidem, & clientelam permiserunt.*

CXXXII *Angliæ Regis suppliciū.* Hisce turbis, ne solos Germanos dirā Erynnim inuasisse putes, fædum ac sæculis omnibus & gentibus abominandum patratum in Anglia accipe parricidium. Quod (licet externa nostrum fugiant institutum) tamen quia ad horrorem sceleris calamus hæret, nec vltra progredi audeat, lacrymis exarando, scribam, *Carolum* Britanniæ Regem, *Iacobi* filium, causa religionis a suis in iudicium vocatum, cum dominus subditis respondere dedignaretur, in Scotiam aufugisse, sed ab Anglis victum, à Scotis traditum, & Anglis venditum, seruata in summa iniuria, iuris forma damnatum fuisse, ac tandem vltima ignominia in publico suppliciorum foro, Londini in vrbe Regiâ Carnificis ferro, & manu capite trūcatum, luctuosum sanè Regiæ nonnunquàm calamitatis exemplū reliquisse. *Thomas Farfaixius*, & *Oliuerius Cromuuellus* auctores facinoris, & executores (qui

CXXXIII *Cromuuellus Regis carnifex.* cum carnifex non reperiretur, ipsi laruato vultu in sacrum caput sacrilegas iniecere manus. Hi mox accepto, seu potiùs abrogato regno, miseram Reipublicæ formam, re ipsa Anarchiam induxerunt. Verum *Cromuuellus* vir sagacis imperij ad captandam plebeculam solertis, excusso æmulo, *Protectoris* nomine tyrannidem occupauit Ante atrocissimi Sceleris infamiā, *Henrietta* vxor *Caroli* soror *Ludouici XIV.* Gallorū Regis, periculosè clam subduxerat. Scapha in Galliā vecta insequēr. sicarios vix effugit.

Seditione composita, *Ludouic. XIV.* more maiorum Rhemis iunctus velut hausto diuinitùs robore, in hostem Atrebatum vrbem arcta obsidione prementem, cum expeditis copijs accingitur. *CXXXIV Ludouicus XIV. Rex Gallorum inungitur.* *Staneo, Bellogrado, Rhetelio, Mossone, Betfordio, & Menhouy Fano, alijsque oppidis, quæ à Condæo Principe Hispanis tum addicto propugnabantur, quà vi quà deditione per diuersos copiarum Duces in potestatem prius redactis, Philippopoli etiam & Brisaco vrbibus, quas Harcurianus Comes suspectæ iam fidei gubernabat, in officio cautè firmatis, magnis itineribus, ad vltima redactis suis accelerans, per Turrenium, Senecerrium, & Hocquincurtium nobilissimos Duces, tripartitis copijs, perruptis vt inexpugnabilibus munimentis, disiectis passim aggeribus, & fossis, fugatisque vno impetu, & magna cæde hostibus, obsidionem soluit vrbemq; toto Belgio clarissimam, & validissimā sibi asseruit, Cæsa hostium quatuor millia, capta tria præcipui nominis: Tormenta bellica septuaginta, signa militaria viginti supra centum: impedimenta denique omnia: & vt paucis absoluā, præda facta, quanta vsquam maxima; vix fuga elapsus Austrius Catholici Regis Nothus. Condæus sustentato diu Gallorum impetu, se suosque virtute seruauit. Dignus immortali laude Mondetosius vrbis tum Moderator, qui importato in vrbem necessario commeatu, quo aduersus moras obsidionis firmaretur, etiam irrumpentes sæpius hostes vallo disiecit: & dum regius exercitus opē ferret, iteratis irruptionibus haud parum fatigauit. Turenius territum eà clade Belgium cum victore exercitu ingressus, Quesnoium aliaque oppida occupat, munitque: & in hostili copias sequenti hyeme continet. Rex seruato Atrebato, & pulso hoste victor Parisios reuersus, magno plausu à ciuibus excipitur.*

Dum hæc per Galliam geruntur, Cæsar mutata veste pulla, quam ex luctu *Ferdinandi IV.* *Sal. An. 1655.* Regis Roman. sumpserat, vt in tempore regnis prospiceret hæredirarijs, si quid sibi humanitùs contingeret, conuocatis Flauianæ, Ordinibus Austriæ, *Leopoldum, Ignatium, Iosephum* filium carissimum filio alteri; & sibi successorem de- *CXXXV Leopoldus successor in Austriam declaratur.*

cer-

Sal. An. 1655. cernit XXVI. Ianuarij. Priùs duos meritis insignes viros Ordinum cœtui adiunxerat, qui alia duo munera hæreditaria cum superioribus decem procurarent. Hi decem erant hoc munerum ordine Supremi *aulæ magisterij* in Archiducatu inferioris Anisi hęres cum Scipiione. Supremus *cubicularius* cum claue. Aulę *Mareschallus* cum ense. *Stabulo præfectus* qui ascendenti in equum, & descendenti Archiduci pręsto est. *Pocillator*, *Structor*, *Venaturæ Magister* cum cane Britannico, quem pretioso ornatum millo ad lorum ducit. Ostij, & liminis in procætone custos. *Sacelli* denique, & *Sacrarij præfectus*, qui rem curat diuinam. His decem alios duos adiecit; vnum qui *rei monetariæ* præesset; alterum, qui *culinariæ*. Post sacra in templo

CXXXVI nummi missiles Leopoldi. S.Stephani peracta, in aula conuenere, vbi confirmatis Austriæ priuilegijs, fidelitatis recipit Sacramentum. Missilia in populum sparsa aurea, & argentea, quorum in altera parte oculus; citra nubes fundens radios sol erant impressa. E nubibus dextra manus ensem, lęua sceptrum tenens eminebat. Per circuitum Archiducis legitur symbolum, *Concilio*, & *Prudentia*. Subter manum globus erat cruce desuper infixa. Ex altera parte inter geminos lauri ramos, Archiducis extabat nomen cum die, mense, Anno huius inaugurationis. His in Austria peractis, Posonium Hungariæ petit, Martio ineunte cũ Serenissima Cæsar vxore, quæ ibi coronata est. Ante regni comitia, *Franciscum Vuesselinum* comitem in *Palatini* demortui locum sufficit. Ibi, post solemnia in honorem *Sancti Iosephi*, Christi Infantis nutricij, & Virginis Matris sponsi (quem Praga sui custodem, ac præsidem

CXXXVII eligitur Rex Hungariæ. hoc anno, Aprili mense desumpsit) celebrata, *Leopoldus Ignatius Ioseph* Ferdinandi III. Cæsaris filius, Rex eligitur Hungarorum XV I. Cal. Quintil. & XI. quàm Regem elegerunt die Regijs ornant insignibus in D. Martini templo.

Eleonora Imperatricis mors. Eodem die *Eleonora Mantuana*, ac *Ferdinandus II.* Imper. secundo matrimonio vxorem habuit, vidua moritur, continentissima fœmina, & religione Orbi clarissima. Theresianis Virginibus Parthenonem extruendum curauit in quo mortuæ corpus depositum est, cor vero Grætium, vt ibi conderetur, & primæ *Ferdinandi II.* vxori, cui *Maria Anna* nomen est, iungeretur, delatum.

Ab exequijs ad curas reditum Imperij. Arma parabant Sueci, in quem futura, ignorabatur. Cæsar quamuis de *Caroli Gustaui* fide (qui coronam Suecorum acceperat, se abdicata *Christina*, vt liberè extra Regnum mortale, æterni Regis fidem, & vexilla explicaret) minimè dubitaret; tamen ad subita belli imparatus noluit iacere. Delecto milite, lustrauit confinia, idem fecere cæteri Germaniæ Principes. In Polonos porrò tempestas detonuit, & Cosaccos, Tartaros, Moscos, Brandeburgicos in bellum associat, prout inclinatio suadet, vel vtilitas vrget. *Christinæ* abdicationis nummus extat Romæ cusus, cum ad pedes Christi vicarij Romani Pontificis proiecta corona, abiurata hæresi, immortale quæsiuit diadema. Ab vna Icon *Christinæ* est, adiuncto nomine *Christina*, vt eã agnosceres quia *Christinam*, non quia *Reginã*. Regina namque verè apparuit, cum sibi imperare potens, coronatum monstrauit non tam frontem, quàm animum, vnde iure apponitur ad coronam lemma *Et sine te*, idest etiam sine diademate apparere regina, *Christina* illa, cuius imperium non in alios voluit, sed in se ipsam.

In Belgio Bellum continuante *Leopoldo Archiduce*, vere ineunte huius Anni Landeritium ab Hispanis nuper receptum, Condetum, Fanum Gilhani, Bouinæ, aliaque oppida Galli occupatunt. Tentarunt etiam, sed frustra in Insubribus Ticinum *Francisci I.* clade notissimũ. CXXXVIII Hispanorũ gesta. Vt què alternas esse belli vices cognoscerent, longè aduerso, quàm sperarant, euentu; ab Hyspanis ijsdem sub ducibus Franci excepti, grauissimam cladem apud Valentianas acceperũt: qua obsidionis Atrebatensis vindicata est infamia. Quippe cum eã vrbẽ ad Scaldim & loci situ, & copijs militaribus & ciuium ardore validam, ac munitam Franci vallo, & fossis egregiè obsessam tenerent; iamque prope esset, vt caperetur, laxatis vno momento aquarum claustris, ac subito earum impetu disiectis aggeribus, & mole, discissis etiam quibus castra iungebantur pontibus, diuisum exercitum, cum neutra pars alteri auxilio esse posset, *Condaus*, & *Austrius* opportunè aggressi, in fugam facile conijecere. Multos ferrum interfecit; plures aquis mersit; ipse *Seneterrius* cum nonnullis præcipuę nobilitatis à *Condao* captus, & saucius in vrbẽ ductus pro pompa triumphi fuit: moxque suæ fidei, ac libertati redditus, pecunia se redemit. Captæ nuper vrbes, Landrecio, & Quesnoio exceptis, receptæ sunt ab Hispanis. *Turrenius* licet copijs integris *Condao* impar aliò flexit, acceptamque Collegæ cladem indignatus, capta Capella, damnum parte resarcit. His se ludis, tã quàm gratissimis spectaculis oblectat Mars communis, qui sępe spoliantem, & exultantem

Sal. An. 1656.

Gallorum clades.

Sal. An. 1655. euertit,& perculit ab abiecto.Hoc eodem anno & tempore *Valentia* in tractu Mediolanensi, post arctam sex ferè mensium obsidionem, & profligatas,quæ sæpius subsidio aduenerāt hostium copias,nihil non tentantibus *Cardinale Triuultio*,& *Fuensaldagneo* Hispanorum Ducibus,à Gallis tandem capitur: sic fortuna pro-

cxxxix Valentia à Gallis capta. speros,aduersoq;casus alternante,vt se vnam in vtrisq; dominam ostentaret.

Interim *Leopoldus Guilielmus* Archidux,cū Belgij præfecturam in decennium administrasset,sepè petitam vacationem impetrauit tandē, exercitibus,qui tum in Germania à *Ferdinādo III.*Imper.scribebantur,præficiendus. Resonāte eius virtutis fama,qui bellicam gloriam,non maiori pudicitiæ,liberalitatis,iustitiæ laude esset assequutus. *Leopoldus* successorem habuit *Ioannem Austriacum* nothum *Philippi IV.*Hæc ante conflictum Valencenæ, nam victoria Hispano contigit *Ioannis* auspicijs.Ad Cæsarem fratrem redux *Leopoldus* animum intendit, vt omnia diligentissimè bello necessaria prouideret;nam si Sueci Polonum vincerent, quem *cxl*

armis satis iniquis depresserant,nouam Germa- *Polonia*

niæ ingruere tempestatem nonnemo videbat. *Sueco victi.*

Scripserat Cæsar pro Polonis ad Regem Galliæ,sed respondit Gallus, *sibi potiùs opus esse cū Sueco fœderato sentire,quam in eum arma corripere:*Ne totam itaq;in se belli molem Cæsar su- *Pragæ comitia.*

sciperet,cunctando vigilabat.Pragæ in Concilio Magnatum curauit, vt sumptus alendis exercitibus more adhuc continuato suppeditarentur.Catholicæ religionis ne omitteretur instauratio,digni parœcijs administrandis darentur pastores, Venit & ipse cum *Eleonora* coniuge ante XVI. Cal.Septemb.& portam paucis ab hinc mensibus extructam in Noua Praga, non procul eo loci, vbi Suecica tormenta ingētis ruinæ cicatricem reliquerant, suo ingressu *Cæsaream* denominauit.*Eleonoram Mantuanā*



XI.Septemb.die tertio matrimonio coniugē insignibus regni ornamentis,Archiepiscopo Pragensi, Burggrauioq; & S.Gregorij Abbatissa regni Principe manum commodantibus, & diadema imponentibus,decorauit. Dein XXV. Septemb.*excitatæ* Christi *crucis* memoriæ dicato,

Sal.An. cato,*Leopoldi I.*solemnis inauguratio perficitur
1656. In omnibus hisce actionibus Cæsari, coniugi,
cxli *Leopoldus* filioq;Regi *Leopoldo* in genua humiliter, & de-
coronatur uotè procumbentibus,Eucharistiæ sacramen-
Rex Hũ. tum sub vna specie manducandum porrigitur,
garia die ingenti Catholicorum gaudio, & graui *Prote-*
S.Crucis. *stantium* cõmotione,exemplo territorũ impe-
Euchari- riali.Inde in Austriam reuertentibus nuncius
stiam su- occurrit è *Croatia*,(quam veteres Liburniam
mit. dicunt)referens septem millia Turcarum trans
flumen *Coranam* (*Mresnicia* iunctum, Colapi
influit)subito impetu, & cæde habitantium,
cxlii *Turcæ in* nonnulla occupasse oppida:sed vigilantia *Geor-*
Croatiã. *gij Frangipani*,qui *Heruardo Aursspergo* absente
præturã curabat,repulsa. Classicum de repen-
tè *Frangipano* canente, cum octingenti fermè
conuenissent,pars equites,pars pedites,hos vnà
secũ *Frangipanus* per vicinum nemus, nebula
diem hostibus adimente, Turcas inuadit fora-
rios,quibus magnã partẽ cæsis,vel fugiẽtibus,
tanto impetu in subueniens agmẽ Croatæ in-
uehuntur,vt suorum quindecim tantumodò a-
missis ordines Turcarũ dissoluerint,multos ca-
ptiuos fecerint,alios trucidarint, prȩda omnis
generis accepta;illæsa *Carolopoli*,quò Turcæ in-
hiabant. Maiora timebat Cæsar discrimina ob
bellum Polonicũ,cuius arma licetvictricia,Sue-
cũ & Brandeburgicũ non vna clade affecissent,
contra *Polonos* tamẽ quia *Georgius Ragotzius* S R.I Princeps,
Ragot- quem 30. huius sæculi anno, Dynastam sibi 7.
zius. Castrorum Proceres Claudiopoli legerant,
cum Saxonibus suis, Ciculis,Moldauis,& Vala-
chis inclinatã *Caroli* Succorum Regis fortunã
cxliii aduersùs Polonos erigendã sumpserat; Imper.
legatio *Ferdin. III.* qui & antea Suecum ab infestanda
Cæsaris ad *Ragotziũ* Polonia dehortatus frustra fuerat,plus aliquid a
Ragotzio sperans Cancellarium suum, ad
Ragotziũ,cuius rei gratia mittebatur,non audi-
tus remittitur. Interim Suecus contractis suis,
& amicorum copijs Conicium mouet, xIII.Ian.
Suecus à deditione accipit. Inde ad Bromium amnem
Polono *fugatur.* castra ponit non procul oppido *Bromioberga*.
In ea *Cæsarnectus* Generalis Polonorum Præfe-
ctus,cum suis inuehit, *Mariæuuerdram* ditio-
nis Brandeburgicæ oppidum funditus excin-
dere incipit;properat eo *Carolus Rex*,explorã-
di causa duo equitum millia præmittit,quibus
carptim,& per partes à *Cæsarnecij* velite neca-
tis,septendecim vexilla *Carolus* amisit.Rex ipse
cecidisset, ni matura fuga Stratioburgum se
proripuisset.Vbi cum reliquis prope inclusus,
& captiuo similis per aliquot dies detentus; in
manus Polonorum haud venit, quia ex Prussia

opportuna submiserunt auxilia. Hisce gestis *Cæsarnecius*,*Gedanum* ad Regẽ reuertitur *Casimirum*,& nouem signa equestria hostibus erepta offert.Liceat ea describere in gratiam Mineruæ.Erat primum ex Damasceno holoserico coloris cærulei,in cuius medio Scutũ inerat,argenteum leonem nigrum coronatum sustinens, & serto laureo deauratis ex dimidia parte folijs coronatum.Dextra *Fridericus Vuilhelmus*, sinistra *Carolus Æmilius* nomine legebantur.Secundum ex Damasceno,cæruleum scutum intus habens, quod supra rubebat,infra ex argento pallescebat. Tertiũ eiusdẽ coloris damascenum erat,cuius in medio scutũ rubrum,& in eo aliud paruulum cyaneũ, sceptra octo cõplectens aurea,manubrijs eorum exaduerso coniũctis,In orbem solita lauri hic virẽtia,ibi ex argento flauentia circumibãt, dextra *Carolus Æmilius*, sinistra *Fridericus Vuilhelmus* legebatur.Quartum huic non dissimile in medio scutũ argenteũ aquila nigra sustinebat. Quintum eiusdem coloris ac materiæ, cuius in medio scutum aureum,in quo leo ater bicaudis non coronatus adstabat.In 7. scutũ argẽteum, in quo leo rubeus aureo serto caput redimitus, ijsdem nominibus,ac superiora circumscriptũ laureaq;hinc aurata,inde viridi ornatum.In 8. scutum cyanei coloris, cui sceptrum aureum intus hærebat;supra scutum galerus stabat Electuralis;Nonum ex damasceno carnei coloris, & fuerat ex cohorte Coningsmarchia, Sueciæ Regis vexillum prætorium.Id per fimbrias erat circũquaq;ex aureis, & argenteis filis ab artifice acu in trium digitorum latitudinẽ circũpictũ. In medio aperta galea Phrigij ex argẽto operis in solo viridanti imposita.Orã galeæ nigra decussis obibat quatuor hisce literis G.A.R.S. inscripta:additum decussim lemma:*Per angusta.* Secũdũ hæc nouẽ equestria signa. Alia quatuor quæ *ferentarijs* siue *Draconarijs* erepta deferebantur Primũ ex leuiori serico,quod *tafetatum* dicunt colore violæ martiæ: in medio vir equestris sellæ impositus,quẽ Sol aureis circũlustrabat radijs, ac duo cælestes genij vtrinq;& item tertius alis obumbrabant suis.Hæc omnia sertũ laureum circumdabant superna in parte his ex auro literis.C.Æ.P.Z.B.infernæ hoc lemmate ascripto.*Alis te suis obumbret Dominus.* Alterum ex leuiore coloris violacei, cuius medius in orbe Solis aurei loricatum hastatarium repræsentabat:cassis eius ex candido,& rubro;aureoq;& nigro colorũ diuortio imbutas plumulas ostẽtabat;vtraq;manus cancellatim per thoracẽ in-

Sal. An. 1657. ter se commissæ candentes faculas retinebant: addita ex literis aureis inscriptione *Dormiendo non negligam rem*. Tertius ex simili, in cuius medio Sol stabat aureus, in Sole Leo in furorē ignes euomens cum literis *Caue huc ni propius habites*. In 4. Sol aureus loricatū equitem, rosei habebat coloris supra sinistrū humerum serico linteo præcinctum inferna parte scutū, dextra ensis in cædē nudatus, læua venabulum aderat: ad huius loricati dexterā partē coronata virgo assistebat, dextra manu laureum obtendens ramum, ad sinistram erant duæ columbæ albidæ rostris inter se amicissimè colludentes; infra his ex auro appictis literis *Marte, & Arte*.

Hisce successibus nō propterea territus *Ragotzius*, omnē lapidē mouebat, vt se cū Suecis coniungeret. Schitarum vero Rex Crimensium *Mahometus Giereus* quum videret *Ragotzium* nec *Ferdinandi III.* Imper. neq; Turcarū monitis aurem dare, vt ab infestādis Polonis desisteret; ipse eductis centum millium armatorū copijs, Cal. Mar. ad Borysthenē flumē Polono Regi in auxilium properat. *Ferdinandus* etiam Imp. licet morbo teneretur, decē millia delegerat, quę Polono accurrerēt, nec aliud expectabatur, quā qua via eos in Poloniam immitti placeret. Exitum tamen videre non potuit. Morbo tentatus, cum tenui semper valetudine fuisset, in Cal. Apr. excurrens, tandem sacris ritè procuratis, animam Deo reddidit ferijs Paschalibus, Viennæ Austriæ nocte media, quā mane illud *Ferdinando* vltimū excepit, Cæsarea in aula incendium erupit tātæ mortis præsagium, & maximi discriminis futurum, nisi *Archidux Leopoldus Gulielmus*, calceis nōdùm pedes vestitus è strato celerrimè aduolasset; periculoq; tanto

cxliv Tartari cum Polono.

Cæsar cū Polono.

cxlv Ferdin. III. obitus.



Imperatricē, & infātulum tēpestiuè exemisset. Cadauer apud PP. Capuccinos Viennæ depositum est, cum hac inscriptione.

cxlvi *Ferdinandus III. Romanorum Imper. Hungariæ, Bohemiæ Rex, Archidux Austriæ, &c. Ferdinādi II. Cæsaris filius, eiusq; in imperio, regnisq; successor. Natus Grecij, 13. Iul. An. 1608. Denatus Viennæ 2. Aprilis 1657.*

Habuit symbolū, *Pietate, & Iustitia*. Plura habes in eius funere, quod *Castrū Doloris* īscripsere. cxlvii

CAP. III.

CAPVT TERTIVM.

Ferdinandi III. Monita ad Filium Ferdinandum IV. tribus scilicet tantummodò legibus posse Rempublicam gubernari, quæ sunt *Honestè viuere, Alterum non lædere, Suum cuique tribuere*, de hisce naturę principijs sermonem excitant sub titulo

Naturæ Principia.

1. Iuris prudentia quid? 2. difert à iure, & iustitia. 3. difert a cæteris scientijs. 5. Iuris prudentia cur diuinarum rerum scientia dicta? 7. an scientia sit? 8. an vtilis, vel necessaria? 9. Aduocati nomen sacrosanctum, vnde venerit? 6. I.Consulti dicuntur sacerdotes. 10. Aduocatorum officium honoratium, non mercenarium. 11. alij vrbani, alij pretorij &c. 12 eorum officium nobile, necessarium. 13. monacho præfertur. 14. non subiectus patri. 15. qui aduocatiam egerint. 16. hanc Christus peregit. 17 modo vilescit. 18. vitia 19. occasio litigij. 20. auaritia Pannonia excedere iubentur. 21. Sutores dicti. 22. nulla lis, vbi absunt. 23. odiosi. 24 lites fouent. 25. eorum salus difficilis. 26. fures dicti. 28. eorum ambages. 29. qui aduocati officium exercere non ausetint. 29. ab Indis non admissi. 30. à Boccalino exibillantur. Eorum symbolum. 31. eorum laus, nobilitas 32. mercede digni. 33. eorum an plures mali, quàm boni? 25. B. Iacopponi historia in causidicos. 26. Medici carnifices dicti.

I DE Iuris prudentia sermo recurrit. Hanc
primi Cæsares docuere legibus, *Ferdi-*
§.1. de Iust. & Iur. *nandus* firmauit exemplo. *Humanarum* (dici-
tur) atque *diuinarum rerum notitia, iusti, atque*
iniusti scientia. Et à Iure iustitia difert, quia hæc
virtus: illud executio virtutis; vtriusq; scientia
II Iurisprudentia. Iustitia summum bonum: Ius
medium: Iuris prudentia infimum. Iustitia fi-
nis, ius medium speculatiuum, Iurisprudenc-
III tia practicum.

Humanarum, diuinarumq; rerum notitia,
quia ex *Athenæo* Iuris sacerdos non est, qui en-
IV cyclopediam non absoluit: quam Cicero *con-*
Iurisprudentia. *centum doctrinarum omnium, atq; consensum*
vocat. Quintillianus *doctrina orbem* appellat.
3 de Orat. lib. 1. *Diuinarū* notitia est, quòd notitiæ legales, qui-
V bus seruatur pax optima rerum, nobiscum
natæ, sunt res diuinæ. Supra namque vires ho-
minum, paucis syllabis, homines etiam præ-
VI potentes dirigere in viam pacis? Homines sunt
veluti bruta in arca Noe. Vbi coram lupo nō
trepidat ouis, non pecudibus insidiatur, leo, ea-
dem in caula feræ ipsæ mansuescunt, sola bucci-
na clangente Iurisprudentiæ. *Diuinarum* quia
nonnisi ab oraculis iura desumebant antiqui.
Imò solis Pontificibus & sacerdotibus dabatur
prò lege cōsulere. Vnde Moyses, Rex & Sacer-
dos solus cum Deo in cacumine montis Sinai,
legem conscripsit Numa Pompilius Romano-
rum legislator, Princeps, & Pontifex quo ma-
gis barbari acciperent, monitu Deæ Egerię le-
ges simulauit compositas. *Florus lib. 1. cap. 2.*
Et sicut apud Hæbreos grauiores causæ Ponti-
fici referebantur & sacerdotibus; qui quod re-
spondissent sacrosanctum erat, vt contumaci
pœna mors esset *Deut. 17.* ita teste Pomponio I.Cōsulti dicuntur Sacerdotes.
tit. 2. lib. 1. Digest. apud Romanos, interpretandi
Scientiam collegium tenebat Pontificum. Hinc
Sacerdotes dicti sunt I.Consulti.

Vel *diuinarum*, quod ius publicum diui-
narum sit: *humanarum* verò priuatum, quorum
illud in rebus sacris, sacerdotibus, & Magistra-
tibus; hoc verò in humanis, quę ad singulorum
spectant vtilitatem, consistit. *§. huius iuris, de*
Instit. & Iure. Referunt expositores ex Liuio
lib. 1. quod idem dominaretur vt Princeps, &
Pontifex.

Rex idem hominum, Phœbique sacerdos. Virg. l. 3.

quod religione primum, tyrannide postea est
vsurpatum, cum Sacerdotium ad firmamen-
tum potentiæ adsumeretur.

Scientiam dicas nec ne? variant I C. Facilè
tamen dissidium componitur, si bifariam con-
sideres Iurisprudentiam. Lex vel est condita,
vel condenda. Populum, vel Regem spectas. VII
Lex cum est condita, non est scientia. Scite nā- An scientia sit.
que est rem per causam cognoscere. Aristotel. 1
Poster. c. 2. legis autem non inquirimus causam:
quia subditi circa iura syllogizare non debet;
legum Præmissæ in penetralibus Principum
ponderantur; sola conclusio parietes Aulæ e-
grediens, citat subditos ad obedientiam; vnde
ipsi nulla prorsùs facta inquisitione obseruant,
venerantur, adorant. *Non omnium, quæ a ma-*
ioribus nostris tradita sunt, ratio reddi potest, l.
non omnium de legib. alioquin, vt ait Neratius

vene-

l.& ff. de *multa ex ijs, quæ certa sunt, subuerterentur*. Lege
leg. Regia vulgatum, vt quod principi placet, legis
habeat vigorem. *Vobis tanquam subditis competit parère, mihi quæ facienda sunt, cogitare*:
aiebat militibus Imperator Valentinianus. Lex
quantumuis dura est obseruanda. Iudex non
est legum iudex, sed legum custos. Legis itaq;
l.12.ff. qui & a quib. conditæ nulla scientia. Quod si cōdenda veniat,
non a subdito, sed Principe; ratio est anima legis: lex ipsa sine ratione erubescit: *omne dictum debet esse rationabile*. Quòd si errore primùm
sit introducta, experientiæ facto periculo, in
similibus non obtinet, nec trahitur in consequentiam. Leges nonnisi disputatione firmantur.
l.39.ff. de leg. c.3.d.4. Iura prçuia causæ cognitione concludimus:
eorum notitiam habere dicimur, quum causā
l.17.ff. de leg. penetramus; vnde littera occidit; ratio viuificat.

VIII Necessaria sit, vel vtilis? quia magis quàm
Plato, & Socrates, amica veritas, eam arguo, &
condamno Iurisprudentiā, quæ Causidicina ab
a lib. 3. Ammiano *a* dicitur, & Symmacho *b*. Vel Ad-
b l.9. ep. 29. uocatia, non eo genere, quo eius quondàm venerabile nomen, sed quo hodiernis temporibus
soli auaritiæ militant causarum patroni. Sacro-
IX Aduocati nomen sacrosanctum. sanctum antiquis erat officium, cuius vestigia
tenent pauperum aduocati, quos dato stipendio Respublica prouidet. Aduocati nomen recipio prò eo, qui in iudicio ius suggerit, non
qui præsentiam suam amico comodat; vt olim
mos erat, & est, in iudicijs amicos aduocare, &
longa phalange circundare subsellia, quorum
in Phormione. auctoritate iudices mouerentur. *Amicos aduocabo ad hanc rem, qui adsint*, ait Terentius. *Casina, stultus contriui diem, dum adsto aduocatus cuidam cognato meo, quem herclè litem adeo perdidisse gaudeo, nè me nequiequā sibi aduocarit.*
Plautus.

X Pro eo acceptum aduocati nomen, qui &
causidicus dicitur, vel Orator, Tacit. *lib. de Orator. & l.33. C. de Episc. & cler.* qui Rhetor, & togatis, *l.8. C. de postul. l.3. & 5. de aduoc. diuer. iud.*
laudo, si antiquitatis monumenta recolo, cuius
erat gratis ex lege Cincia causam agere. Tulit
legem hanc Mar. Cincius Trib. pleb. An. V.C.
549. retulit Augustus, & nouo firmauit Senatus
l.54. Consulto, vt habet Dio. *Causidicos sine mercede causas agere, aut quadruplum eius, quod acceperint, pendere iussit*. Tacit. Legum postea oblite-
l.11. l.14 rato rigore, Claudius capiendis pecunijs modū
aduocatis imposuit vsque ad dena Sextertia.
Traianus centum aureos peracto negotio dari
l.1. de var. & extraord. permisit, teste Plinio *lib.5*. Vlpianus, centum
aureos patrono tribuit in singulas causas.

Aduocatorū cū nō vnū esset officiū. Vrbani, officium aduocati.
prætorij, prouinciales, fiscales dicebantur, qui XI
nō vna decorabantur dignitate. *Clarissimi* dice- c. de aduoc. diuer. ind.
bātur *Nouell. Theod. de trib. fiscal.* Vicariā obti-
nebant. *Nouell. Theod. de postul.* Munere functi,
Consistoriani Comites abscedebant. *C. de Aduoc. diuer. iud.* Humana Iustitia, teste Esaia, cum sit XII
veluti menstruatæ pannus; & hominem licet
Deus rectum fecerit, *cum ipse se quæstionibus immiscuerit*, ait Salomon, necesse fuit ad Iurisperitos confugere, qui dissidia componerent.
Hæc ars (ait Cicero) *ad omnes res publicas, priuatas defendendas est instituta; qua sapè multè Respublica facta sunt salua.* Iustitia ipsa periret
si deesset, qui iustitiæ tramitem demonstraret.
Hinc *Hostiensis c* aduocatorum vitam Monasti- c in proœ. decretal.
cæ prætulit, sic Alberic. *d* quia aduocati nō tam
corporalia, quàm spiritualia opera exequantur:
consulentes, consolantes, peccantē corrigentes, XIII
fatigatum reparantes, ab iniusto iustum segregantes. Istis veluti parentibus suis Respu- d l.1. C. de suffrag.
blica libertatem donauit ciuilem, nec in Sacris
paternis retinuit, indecorum putans patriæ subijci potestati, quos Respublica suos asciuit in XIV
patres. Eorumque bona quasi castrensia dixit,
vnde illis etiam inuito patre disponerent. Hinc
vel in summa dignitate collocati, Iurisprudentiam non effugerunt. *Germanicus* Calligulæ XV
pater. Marcianus I.C. Paulus orarunt causas: & Suet.
cum iudex contra ipsum pronunciaret; quàm l.1. de sta. in hom.
benignè accepit, *Plinius Senior*, teste Plinio Iu- l. quæsitū
niore, aliquandiù causas actitauit. Vespasianus de leg. 3.
post stipendia, quibus post tribunum militum, l.3. ep. ad Marium.
fama gesserat, aduocauit in foro, Nec defuerūt
Sancti, inter quos Ambrosius B. Germanus Episcopus Pariensis. Iuo Carnotensis. S. Lipardus B. Leonardi frater. Christus ipse non bis
hoc perorauit in sęculo. In Martham prò Mag- XVI Luc. 10.
dalena. *Martha, Martha solicita es, & turbaris erga plurima. Maria optimam partem elegit.* Vbi
Augustinus. *Dominus pro Maria respondens, Marthæ factus fuit aduocatus, qui iudex fuit interpellatus.* Defendit Apostolos, increpante
Pharisæo, quòd die Sabathi spicas euellerent?
vt hominis impleret formam (ait Beda) *obsecrādum patrem putauit esse prò nobis, quia aduocatus noster ipse est.* Sic Virginem matrem, peccatorum *aduocatam* salutat Ecclesia; *eia ergo aduocata nostra.* Nobile itaque, vtile, necessarium
aduocatorum officium.

Veruntamen quia marcescit sine aduersario
virtus, quid strepent litigatores iniusti, quia
eorum

eorum dolos,& auaritiam forensis nequijt san-
ctificare eloquentia;vel innocentiam noluit in-
simulare facundia,videamus: nè credar forsan
responsionis penuria declinare certamen.
xvii *ep.26.* Obijcit *Petrus Blesensis*.Illud quondàm ve-
modo Ad nerabile nomen,& gloriosa professio aduocati
uocatia notabili venalitate vilescit:dum miser,& perdi-
vilescit. tus linguam vendit,litium cineres suscitat, pa-
ctiones violat,priuilegia frangit, & in capturã
pecuniç retiacula tẽdẽs,iura omnia interuertit.
xviii *super* Sic *Cassiodorus* . Hi sunt , qui causas proten-
Ps.73. dunt adhibiti,impediunt prætermissi, fastidiũt
admoniti,obliuiscuntur locupletati.Hinc odio-
aduocati vitia. si nationibus. Gotius cum Bohemorum nutan-
tes,propter iuris ignorantiam sententias refor-
mandas susciperet,oblatis formulis,secundum
quas Prefecti iudicesq;responsa darent, est au-
lib.18. ditus teste *Dubrauio* sed noua lege firmatum,
ne quid de vetere consuetudine immutaretur.Iu-
re forsam,nam cum in Pannonijs , regnante
xix *Matthia Coruino*,Neapolitani I.Cti.barbarum
causa litigij. aspernarentur morem , auctoritate sua facilè
perfecerunt , vt rudes homines se illorum sa-
pientiæ concrederent . Cçperunt itaq; præscri-
bere formulas petitionis , responsionis , excep-
tionis,replicationis,terminorum . Vnde breui
factum est, quod vbi nullæ erant lites , vidisses
omnia feruère litigijs . Fabula erat, festiua pri-
mùm;nam homines iam ociosi,modò fori im-
plicati ambagibus,cætera negligebant : Aduo-
xx cati verò populorum inhiantes diuitijs, sibi cõ-
sulerent,non Pannoniæ. Vnde infelices illi po-
puli iure canerent.
Ouen.l.1. epig.15. *Vlceribus*,Galene,*vales tantummodo nostris*
Stultitia vostra,Iustiniane sapis.
Rex verò cum regni finibus excedere iussit:Se-
data est statim tempestas illa;ac si venti posuis-
lib.7. sent.*Ludou.Viues*.Sutores vocabantur a Ludo-
xxi *P.Aemilius.* uico x i i.Galliarum Rege, sicuti illi dentibus
producunt alutam.I.C. dilatandis prudentum
In Tabellario ex. poliato. occupantur responsis . Iocari dicerem *Pallauicinum* dicente clientes veluti capones a causi-
dicis plumandos retromitti,ni testis accederet
ser.Dom. Adu. *Oliuerius Maillardus*. Aduocatorum audi lit-
teras commendatitias: *Compater mi venerunt*
ad me duo capones pingues:ego pinguiorem cæpi ,
alterũ tibi mitto,plumetur is a te,alter a me . Oh
infernalis puteus, quem ipsum mare nõ implet.
Vbi aduocatorum turba;ibi litium anfractibus
tota ciuitas ardet.Rationẽ ne timeas aduersarij,
xxii *fori miseria.* sed aurũ. Quò auro crumenæ pergunt onustæ;
eò currunt garrula verba fori.Longè a ciuitati-
bus forenses Sabulæ , & Delphis aureis conse-
crata literis tria illa Chilonis renouemus præ-
cepta.*Nosce te ipsum : ne nimium cupias: Alieni*
æris,ac litis misertam fugias. Quid oculis potis-
simum prosit,sciscitanti?respondit Ludouicus
XII. Rex Gallorum *si aduocatum rarò videris*. xxiii *nomen*
Litigatores sunt aues(Pius II. Pontif.Max.) fo- *odiosum.*
rum area,iudicium rete,aucupes causidici(*Pla-*
tina)qui etsi nihil litium sit,lites serant,nec ter-
minantur negotia, priusquàm pauperum si ne
euacuata marsupia.Ægrotantis Reipub.est(Pla-
to)si multi causidici & medici in ea crapulẽtur.
Sciscitanti *Galeacio* Mediol.duce vafrum cau-
sidicum,an eum protelare posset,quod centum
pistori debita soluere non liberet ? annuit, sed xxiv
periurij,& conspurcati officij, capite pœnam *lites fo-*
luit.Ex his,quàm periculosum officium aduo- *uent.*
catorum perpendite . Sanctorum in numero
vnum quæsiui,& non inueni. Ambrosius obij-
ciuntur & Iuo,sed quæstuosum non exercebãt
munus,cũ causas agerẽt pupillorũ, & viduarũ.
Si quis aduocatorũ non iuit in Tartara prç- xxv
ceps, præmaturo a tribunali secessu, venienti *eorum fa-*
morti causidica se non exhibuit in toga.Exem- *lus diffi-*
plo sit *B. Iacopponus* cum rure è fenestra palati *cilis.*
pastorem inspiceret fatigantem , vt in caulam
reduceret gregé, sed incassum,quia vna ingre-
diente aufugerent reliquæ . Fremebat dentibus
rusticus,tonabat voce, strepebat cornu , incre-
pabat pecudes;*Iacopponus* verò ex alto ridebat.
Rusticus tandem ira recandens *ite*(prorupit)*in-*
gredimini bestiæ,quemadmodum aduocati descẽ-
dunt in infernum.Tunc pecudes veluti percussç
anathemate, vnà coeuntes,se omnes præcipita-
runt in caulã.*Iacopponus* qui ex alto obseruabat,
visione perterritus,protinus abiecta toga,ciliciũ
induit,forẽsibus exemplo relicto,quid inter cã-
cellos sperare audeant de vita beata . Quod si
hæc nõ moueant ,quid sẽserint?Cæsares videa-
mus.Coram *Carolo V*. litigantes medicos , & I. xxvi
Ctos.qui eorum præcederent? *Carolus V*. cuius
in manu nutabat Orbis Christianus, ab vna in-
sultante ferocissimo Solimano , ab altera Lu-
thero;breui compescuit . *Præcedant fures*, idest
Legistæ.*Subsequanturq; carnifices Medici*
Cantabunt reduces coram latrone Clientes *li.1.epig.*
Semper enim vacuus currit ab vrbe cliens. *102.O.*
Iuris consultorum idem status,& medicorũ est, *uen.*
Damna quibus licito sunt aliena lucro. *Idẽ epig.*
Hi morbis ægrorum,ægrorum litibus illi *71.*
Dant patienter opem,dum potiantur opum.
Tria a nobis absint(proloquium est) *Furia ru-*
sticorum

XXVII *ſticorum, Recipe Medicorum, Catera Notariorũ.*
Vna enim eademq; nota ſenſum inuoluentes
oppoſitum, gladio ſemper vtuntur ancipiti,
XXVIII Abſolutus Scaurus crimine ambitus, in tabulis
Rutilius in vita Rutilij accuſatoris ſui oſtendebat has litteras,
Rutilij *A.F.P.R.* eaſque interpretabatur. *Actum, Fide,*
I.C. *Publij, Rutilij;* Ex aduerſo Rutilius. *Ante, factũ,*
ambages *poſt, relatum.* C. Cannius verò, qui Rutilio ade-
aduocatorum. rat, exclamauit neutrum ſignificari, ſed illud
Æmilius fecit, Plectitur Rutilius. Hiſce amba-
gibus exterritus *Alexander ab Alexandro*, cum
Romæ a *Raphaello Volaterano* interrogare-
XXIX tur, cur inter iuris enutritus cancellos, non am-
plius peroraret in foro, ſed ſtudijs humaniori-
bus addictus, forinſecos oderet? *iura diligo* (reſ-
pondit) *leges veneror pro totius Mundi ſalute*
adinuentas; verum cum iudicandi, & interpre-
tandi munus ijs detur, quibus vna eſt in auro ſa-
lus, aliò me conuerto. Quàm ſanctè Hiſpani ab
Indis iuſſerunt exulare Iureconſultos, nè nouus
Barthol. Orbis ijſdem irritaretur retiaculis, quibus Ve-
Caſaa. tus languet deuinctus. Quod ad monumentum
Aduocati ab Indis non admiſſi. pietatis perenne, in Foro Maximo, iuxta Rom.
12. Tabul. leges ſculpi mandauit Apollo, cum
inter Meccanicas recenſeatur Iuriſprudentia;
tom. I. n. 73. Botelinus. & nullo cum Muſis habito fœdere, ſola inſtigã-
te auaritia, aduocariam ſubire, eos experiamur;
quibus, vt inter cauſidicos ptima teneant ſub-
ſellia, ſatis, *mugire poſſint vt boues*. Non aberra-
uit, qui aduocatos *Mercurij* ſymbolo pinxit.
XXX *Aduocatorum ſymbolũ.* Cuius erat, eloquentia ſua animas hominum in
Tartara manuducere. Lucrum in arca, damnũ
in conſcientia.

Itaque veluti Reipublicæ peſtem Iurecõſul-
XXXI tos fugiam, & ſacram deſeram Iuriſprudentiã,
quæ Deo coeua? Abſit, Sacra eſt legum notitia;
Sacerdotes I.Cti; Vti ex Iudæ proditione Apo-
ſtolicum non damnamus Senatum; ita Venera-
bile nobis eſt I.Ctorum collegium, Clariſſimũ,
nobiliſſimum, & militari nobilitati præferi-
mus. *Sigiſmundus* Imper. in Baſilenſi Concilio *I.C.*
videns *Gregorium Fiſcellum* I.C. (quem nuper *nobilitas*
equeſtris militiæ decorarar inſignibus) in publi-
co conſeſſu, animo volutare, legumne Doctori-
bus, an equitibus ſe coniungeret, tandem ad e-
quites diſcedere: *Stultè hoc quidem* (ait Impe- *Syluius lib. 4. rer. Alfonſi.*
rator) *nam ego mille equites vno die fecerim, do-*
ctorem vnum mille annis non fecerim. Abundat
ætas noſtra *Fiſcellis*; cum per literas inclaruère,
fatigant poſtea nè ijs, per quòs inclaruere titu-
lis, ſalutentur, fictæ nobilitatis emendicantes
imaginem. Gloriemur cùm Cicerone potiùs,
cui parem Roma non habuit, nec ſperamus ſe-
quentem; *nobilitas noſtra a nobis incipit*.

Mercedem non denegamus laboribus, *cum* XXXII
labor in damno eſt, creſcit mortalis egeſtas. Aui- *digni*
ditas ſolùm improba non extorqueat. Cæterũ *mercede.*
non minus mercedis damus ſi litigator etiam
cauſa ceciderit; imò plus deberi, cum victus
pudorem ferat; ſi vicerit, laus ſtet loco præmij. *Iouias in*
Iaſon caro vendebat prætio conſilia ſua; eo ta- *elog.*
men pacto, ſi cauſa cecidiſſent protinùs reſti-
turum accepta. Inſignis confidentia, quam pari
paſſu ſtipabat auaritia.

Optimi an peſſimi numero vincant? quærẽti XXXIII
reſpondeo, in cauſa sua neminem extare iudi- *l. qui Iu-*
cem. Ad Chriſtum confugiam; Mulierem in *riſdictio.*
adulterio deprehenſam Iuriſperiti inſimulant, *ni ff. de*
Hac mulier modò deprehenſa eſt in adulterio *Iur. omn. Iud.*
Moyſes mandauit nobis in lege eam lapidare, tu *Io. 8.*
quid dicis? Qui ſine peccato eſt veſtrum (ait Chri-
ſtus) *primus lapidem mittat*. Hoc audito, *receſſe-*
runt omnes, incipientes a ſenioribus. Recedunt
omnes, & iunioribus ſemitam ſeniores aperiũt:
Incipientes a ſenioribus. Cani iuniorem ætate
vincunt, & malitia. Si itaque recedunt, omnes,
nec ego cæteris innocentior ſtabo. Aufugio, vt
aduocatum quæram in propria cauſa.

Honeſtè viuere. Cap. IV.

1. Iuriſprudentiæ tria præcepta. 5. differunt. 6. quid ſignificẽt? 2. leges mundanæ ſuperfluæ. 3. multitudo damnatur. 4. Pallas quomodo nata. 5. 7. Honeſtas quid. 8. honeſtatis lege Deus tenetur. 14. ſcripta in cordibus hominum. 20. promiſſio inhoneſta non obligat. 23. Adam plus timuit honeſtatem, quàm Deum. 7. Honeſtum non omne quod licet, & num. 10 8. Iulia inhoneſtè Caracallam ſollicitat. 9. Rex magis tenetur honeſtati, quàm populus. 10. Pater, & filius nequeunt lauari in eodem balneo. 11. Olympias Alex. mater moriẽs corpus cur tegeret. 12. Moyſi negatur per gradus ad ſacrificium aſcendere, cur? 13. Turcæ fœminarum balnea non intrant: nec cum fœminis publicè loquuntur. 16. pubertas vnde noſcatur. 17. Dominam nequit ſeruũ facere hæredem. 19. Domus meretricis nequit eſſe prope pudicam. 28. meretrix quibus in honore fuerit. 30. 33. eius merces. 32. ei gabella impoſita. 22. pudor a natura. 24. Concubinatus

cur,

cur, & a quibus permissis. 31. 34.
25. *Lupanar quando ortum? & cur?*
36. *tonstrina est.*
37. *an turpe ingredi lupanar.*
35. *de duobus malis minus eligendum.*
37. *voluptas concatenata dolori.*

I TRia Iurisprudentiæ nó præcepta, sed prin-
cipia se offerunt. Quorum compendio, le-
gum absoluuntur volumina (aiebat *Ferdinan-*
II *dus III.* filio suo.) Præter ea, quid doceat, natura
non habet. Ad quid mortales centennis impli-
care legibus? vt Romanos, quibus tricies erant
centenna millia versuum, cum nulla lex quæ ab
hisce principijs natalia non recognoscat. Si cor-
III ruptissima Respublica, vbi plurimæ leges; cor-
ruptissimum dicas Vniuersum, quę cum tria
tantumodo principia regerent; adeo multipli-
cata sint iura, vt ex ipsius Iouis capite veluti an-
gustiori inclusa spatio, non sine vulnere Deita-
tis erumperent. Pallas legum symbolum nonnè
IV fractâ consurgit ceruice paternâ? Quòd si initiũ
salutis est notitia peccati; ne moremur in via :
ad iuris, vel potius ad naturæ redeamus princi-
pia, quæ tria *Honestè viuere. Alterum non lædere.*
V *Suum cuique tribuere.* Primum seipsum respi-
cit, & in his versatur, quæ nobiscum agimus;
nè quid inhonestè cogitemus, vel inconsultò a-
gamus: sed in omnibus vitæ actionibus, non
quod licet, sed quod honestum spectemus. *Alte-*
l. semper de R. I. *rum non lædere:* & *Suum cuique tribuere* respi-
ciunt proximum; quia iustitia bonum dicitur,
sed alienum. Respicit illud corpus: vt ex prono-
mine *alterum* patet: Tertium bona, vt ex pro-
nomine *suum*. Vel vitæ nostræ peregrinationẽ,
trina virtute dirigimus modestia, seu temperã-
VI tia, vnde *honestè viuere*. Fortitudine, cuius est
iniurias propulsare, non vim inferre, vnde *alte-*
rum non lædere. Iustitia, quæ *suum cuique tribuit.*
Primæ virtuti libido opponitur: Ira secundæ:
VII *Honestas quæ.* Cupido tertię Honestas tamen non tam angu-
stianda, vt per eam soli libidini aduersemur, cũ
plurima sint, quæ exercère nos pudet. Romani
Sabinas rapiunt non libidinis ergo; sed coniu-
gij: & ex nuptijs factus est licitus raptus, non
Plinius ep. lib. 5. tamen honestus. *Oportet quæ sunt inhonesta, non*
quasi illicita, sed quasi pudenda vitare. Res, *iudi-*
Pro Rabirio. *ces, vestri consilij est* (Cicero) *quid deceat vos, non*
quantum liceat vobis, spectare: si enim quod li-
ceat quæritis, potestis tollere e ciuitate quem
vultis. Honestatem non in cordibus tantũm,
sed & in facie, attramento pudoris natura exa-
rauit; *vt quæ lædunt pietatem, verecundiam, exi-*
stimationem nostram, nec principes posse præsu-
VIII mant: vt sacrilegè ausit *Iulia* Antonij Caracallæ
nouerca, quasi per imprudentiam corpus ma-
gna ex parte nudasset, pulchritudine illectus
Cæsar: *O quam vellem* (inquit) *si liceret*. Tum il-
la', *si libet, licet; dat leges non accipit Impera-*
tor. Quibus audacior factus sibi nouercam
copulauit. Dat leges non accipit Imperator?
Deus ipse honestatis tenetur stare decreto.
Prohibeor vnum facere, quod cunctis licet, lamẽ- IX
tabatur Nero, cui Seneca *Maiora populus sem-* *Senec. in Octau.*
per a summo exigit. Licita qui timet, & illicita *Act. 2.*
fugit Qui faciunt quidquid licet, facile dilabũ-
tur, vt faciant, quod non licet. Quid prohibet, X
eodem in balneo lauari genitorem, & genitum.
Quis mandauit Olympiadi, cum a Cassandro XI
donata supplicio, diligenter cauit, ne in morte
aliquã corporis partẽ detegeret, sed vt vixerat,
pudica decederet? Quis Moysi negauit ad sacri- XII
ficium per gradus ascendere? Honestas ne for-
te Sacerdos subditis apparèret homo. Hæc lex
quæ barbarorum maxillas in chamo, & freno
constringit. Doceamur à Turcis, quibus est ine- XIII
xorabile crimen, si balnea fęminarum accedãt; *Turcarũ honestas.*
vel cum viris publicè videantur fęminæ misce-
re colloquia. Quis ipsa bruta modesta fecit, vt
maternum, & paternum abhorreant concubi-
tum, quemadmodùm de Elephante legitur? pu-
dor, honestas. Ad hanc prouocat homines Im-
perator, & veluti Diogenes, quid Diogenes, lin-
guam corripio, veluti Deus scrutatur homi-
nem in laternis. Nobis cor aperit, exenterat vi- XIV
scera cui inscriptum legit. *Honestè viuere*, di- *Honestas*
cit hominem. Si caracteres hos non inueniat; *nobiscum*
peiorem bestijs vituperat. Hinc non ex cor- *nata.*
poris inspectione, sed ex annorum nume- XV
ro contra antiquos pubertas desumitur.
Huiusadeò studiosus fuit Maximilianus Im-
pererator, vt eum nec vir, nec fœmina vn- XVI
quàm nudum viderit. Imo moriens testamento
cauit, vt cum caligis sepeliretur, nec tunc cu-
ram pudoris oblitus, cum iam non esset. Vnde XVII *tit. de*
est? quod domina coitu seruili polluta, seruum *noxal.*
suum hæredem nequeat instituere? Honestas, *act. instit.*
quæ & purpura, & bissus matronarum. Domi- *4.*
nus ancillam non manumittat, concubinam XVIII *tit. quib.*
habendi gratia? cum tamen concubinatum lex *ex caus.*
ciuilis non improbet Meretrices propè pudicã *instit. 1.*
cellulas non aperiant? Honestas. Agesilaus, cui- *l. 1. C. de Concub.*
dam militi iniusta postulanti, & extorquenti,

xix l.si.C.de Spectac. quia Agesilaus promisisset, respondit. *Si hone-*
stum est quod dicis, promisi: si inhonestum, non pro-
l.11. *misi.* Omnia mihi licent (aiebant *Paulus*) sed non
xx omnia expediunt. Omnia mihi licent, sed non
1. Cor. 10. omnia ædificant,

xxi Leges omnes vel alia postea lege lata, vel po-
puli obliterantur dissensu, hæc superest incon-
cussa *Honeste viue*. Deus omnipotens, cuius vir-
tutis cuncta sunt plena, disperdat hanc legem si
xxii potest. Peccant Adam, & Eua, & protinus fece-
Pudor à natura. runt sibi perizomata; quibus non humeros, sed
pudenda velarunt, quia ad velandam turpitudi
nem sunt prima vestimenta parata. Pudori con-
sulunt, non dierum incomodis. At quem judicē
timuere primi, cum soli deambularent in para-
Genes. 2. diso? Deum forsan, qui eos creauerat nudos?
xxiii Horrent honestatem, quæ nos inuisibilis verbe-
rat; Adàm priùs se armauit in honestatem quă
in Deum. Nam primò fecit sibi perizomate; po-
stea fugit; quasi plus timeret honestatem,
quàm Dominum.

xxiv Si hæc ita se habent, quomodò lex Lupana-
ria erigit? vitiorum omnium latibula? A Lupa,
xxv nutrice illa Romuli ob corporis quæstum hoc
cognomine dicta) Lupanaria appellamus, quia
neque carne neque auro meretrix vnquàm sa-
tiatur. Aut Venus lupanaria instituit prima te-
ste Lactantio l. 1. ne Cypri sola haberetur im-
xxvi pudica. Quomodo viuere suademur honestè, &
Deleiun. cellulas aperimus (*Tertullian.*) quorum nec de-
xxvii fensio est verecunda. Tamen Indorum mulie-
res alioquin pudicitia celebres, Elephãtis oblato
Calius l. 18. c. 31. pretio pudorem sternebant. Quin laudi duce-
bant tanti earum forma censeri. Corinthij pa-
xxviii meretrix tui in honore fuerit? tres prò principe, & meretricibus preces funde-
bant, numerum augèrent meretricum. *Erasmus*
Hinc Praxiteles Delphis auream locauit statuã
meretrici suæ inter Duces, & Reges; Arpalus in
xxix in Adag. meretricis sepulchro centum absumpsit talẽta.
in Phoc. *Plutar.* Demosthenes Corinthũ appulsus, formo-
xxx merces meretricis. sissimi scorti illectus fama (*Laidis* nomen erat)
decem drachmarum millia pro nocte petentis,
Tanti non emo (inquit) *pœnitere.* Theonide Egyp-
tia ingentem postulãte pro nocte ab adolescẽte
pecuniam, qui eam impudico deperibat amore.
Accidit, quod noctu somnians adolescens rem
habere cum amasia, non amplius molestus es-
set. Factum rescienti Theonidi, & mercedem
petenti, negauit adolescens, vnde ad iudicem
accersitus iubetur pecuniam in vase adferre,
manuq; reuoluere, vt vmbræ posset inhærere
Theonides, quasi rectè somnium vmbrâ pen-
saret. Sed missos agamus Gentiles: aduersus Iu-
stiniani tempora querimur, Sub Imperatore
Christiano *Ius datum sceleri* meretrix canet?
Vxor solius dignitatis nomen erit, concubina
voluptatis vt aiebat Demosthenes? meretrix
voluptati inseruiat. Cõcubina quotidianæ cor- Stobæus ser. 64.
poris curæ. Vxor liberorum procreationi, & rei p. 412.
domesticæ fideli custodiæ? Si sic est de hodier-
no Christianorum more cogimur malè senti-
re. Quo pudore Hispania Catholica, Christia-
nissima Gallia, Germania pia, fidelis Italia cir- xxxi
cos aperit, palatia deputat, vectigalia a meretri-
cibus exigit? quales inter sarcinas terrestres, vel
maritimas numeramus scorta, vndè soluantur
decimę, pedagia, census? Si nauseat Deus obla-
tiones postribuli, ***non offeres mercedem postribu-*** Deut. 23.
li, nec pretium canis in Domo Domini. Vnde ho-
mo audet decimare peccata. Sua iudici non suf-
ficiunt, vt onera suscipiat ferre aliena? Modò in-
telligo Dauidem supplicem & præcantem, cũ
forma Regis assumpta, orat lacrymans *ab alie-* xxxii
nis parce mihi Domine psal. 18. Caligulæ forsan gabella meretrici
reuocantur tempora, mores, quum ex capturis imposita.
prostitutarum, quantum quæque vno cõcubitu in Calig.
mœreret, exegit. Vel Seueri, vt nonnisi ex turpi Suet.
lucro concubinatus valeamus reficere Circum,
Amphiteatra, pontes? Longè ab aris, & altari-
bus thura, quæ impuritatem aboleãt. Etsi enim
homini lucrum semper oleat, licet è stercore ve-
niar, vt de Vespasiano legitur è lotio exigente Sueton.
vectigal. Deo qui totus est odoratus, aromata
ista non redolent, vt homini, qui est crassioris
olfactus. Et vt Sabęi & Arabes inter fumos aro-
matum enutriti, fumum non fastidimus cupi-
dinis; sed in lupercalibus patrem patimur filia-
rum leonem, & coniugis corrucam. Meretrici-
bus actione concessa ad conueniendos concu-
binarios vel prout in taxa; quemadmodum apud
Romanos mulierum pudor venalis prostabat in
fornicibus, titulo pudoris, ac libidinis pretio
tabulis inscripto Seneca. *Meretrix vocata es, in* cõtrouer. 1.
communi loco stetisti; superpositus est cella tua ti-
tulus. Nomen tuum pependit in fronte, pretia stu-
pri accepisti. Et Petronius, *Video quosdam inter*
titulos meretricesque spati antes,

Intrasti quoties inscripta limina cellæ; Martial.

Vectigalis primùm contributione recogni-
ta *l. 4. ff. de cond. ob turpem.* vbi *Vlpianus* negat
meretrici datum posse repeti; quia licet *turpiter*
faciat, quia meretrix est; non *turpiter accipit*; cũ
meretrix sit. Vnde meretrix a merendo dicitur,
quia sui corporis meretur mercedem. Quomo-
do

xxxiii do ergo Princeps, qui diuinæ legis eſt cuſtos,
Deut. 23 legem violat, qua cautum. *Ne ſit meretrix de fi-
liabus Iſrael?* Reſpondet Angelicus 2.2.q 10.ar.1.
xxxiv ex Auguſtino ciuili lege tolerari, non imperari
concubinatum: prętereri, non aperiri lupanar.
Non ad bonum, quod inde proueniat, ſed ad
malum, quod euitatur. Regimen enim humanũ
quod diuini eſt imago, Deum æmulatur; qui
ſummè bonus, aliqua tamen mala permittit; nè
peiora ſequantur. Vnde regula *de duobus malis,
minus eſt eligendum.* Lupanaria lex Romana nõ
improbat, quia forſam Gentiles licitam crede-
rent copulam ſoluti cum ſoluta; Hos arguit
Hebr. 13. Paulus. *Honorabile connubium in omnibus, &*
& 1. Cor. *thorus imaculatus. Fornicatores enim, & adulte-*
cap. 6. *ros iudicabit Deus.* Vel Gentiles ipſos non late-
bat voluptatis malitias; quia licet nullius ciuitatis
lex eam vindicet; deuitat tamen, ita naturę co-
gente lege, publicum etiam permiſſa atq; impu-
nita libido conſpectum: & verecundia natura-
li habent prouiſum lupanaria ipſa ſecretum, fa-
ciliuſquè potuit impudicitia non habere vincu-
la prohibitionis, quàm impudentia remouère
illius fœditatis latibula. Vnde hanc etiam ipſi
turpes turpitudinem vocant, cuius licet, ſint a-
matores, oſtentatores eſſe non audent. *Auguſt.*
l. 14. cap. Quòd ſi obijcias, etiam coniugalis concubitus,
17. de Ci- remotum ab arbitris cubile conquirere (ſicut
uit. Dei. ait Romani author eloquij) quod etſi rectè facta
appetãt ſciri: hoc rectè factum ſic appetit ſciri,
vt tamen erubeſcat videri. Natura etiam in ma-
ritali coniugio ſeruauit pudorem; nè ſemel in li-
cito coitu amiſſa verecundia, illiciti appeterẽtur
6. Odiſſ. amplexus. *Vlyſſes* apud Homerum cum nudus
elapſus eſſet è mari, ramo frondenti cooperuit
pudenda, ſicque Nauſicaæ Alcinoi filiæ appa-
ruit, ex quo *Virgilius* (aut quiſquis eſt *in Pria-
peijs*) illud deprompſit,

Huius, & Alcinoi mirata eſt filia membrum
Frondenti ramo vix potuiſſe tegi.

Ad pellices regrediamur, quas ſtupri, adul-
terij, aliaq; vitandi cauſa, quæ adnotare pudet,
Reſpublica tolerat. Ne extinctos ſuſcitem So-
domorum cineres, vt de ciuibus, Senatoribus,
Epiſcopis, legitur: quos Imp. Iuſtinianus genita-
lium amputatione, infamia, morte coercuit, ſed
in caſſum. Deus enim ipſe, non igne, non cata-
cliſmo potuit mundum purgare; Prona in ma-
lum natura ab adoleſcentia ſua. *Non igitur vl-
tra percutiam omnem animam viuentem, ſicut
feci. Geneſ. 8. Aufer meretrices de rebus humanis,*
tom. 1. l. (Auguſtinus) *turbaueris omnia libidinibus.* De-
3. c. 4.

lapſo *Nerone* in amorem libertæ Actæ, & ab-
horrenti ab vxore *Octauia* nobili fœmina, &
ſpectatæ pudicitiæ, nec ſeueriores auerſaban-
tur amici (ait *Tacitus*) *Seneca*, & *Burrus* ſeueriſ-
ſimi pedagogi, qui & minima inſectabuntur
geſta tyranni, vxori nobili, pudicæ non conci-
liant, *metuentes, nè in ſtupra fœminarum illu-
ſtrium prorumperet, ſi illa libidine prohiberetur.*
Sed cur ad Neronem confugeret? in honeſtorũ
virorum prędijs Romani aperiebant lupanar?
Amici conuiuio, hoſpitioq: recepti, fœminarũ
etiam liberę conditionis excipiebantur ample-
xu, vt domini vxorem illibatam permitterent.
Etiam in honeſtorum virorum prædijs lupanaria l. 27. de
exerceantur, quo alludit Catullus *Ille domum no-* pet. t. hæred.
bis, atq; dedit dominam. Hinc Solon Athenarum
Legislator vt ab adulterijs iuuentutem coerce-
ret, coemptas meretriculas Athenis proſtituit
primus, obuiaſq; in Venerem eſſe voluit, ne ma- Alex. ab Alex. 4.
tronarum ſtupro pollueretur. Quod ſi obijcias c. 1.
non eſſe mala ſuadenda vt bona veniant? De Rom. 3.
Imperio, non de indulgentia, ſermo eſt Apo-
ſtoli. Grauiora, vel minora comittas, immunis
non erit iniquitas. Erit pœna menſura peccati.
Solutionis tamen, & exactionis nec idem pro- xxxv
curator, nec tempus. Plurima iudicio reſeruan-
tur extremo, quæ in hoc ſeculo vindicari nec
intereſt, nec poſſunt: alioquin ſuperuacua foret
diuina Iuſtitia, quam pœnituit, omnes in hoc
ſeculo punire peccantes. Attende Gregorium; c. 2. d. 13.
Dum inter minora, & maxima peccata conſtrin-
gimur, ſi omnino nullus ſine peccato euadendi a- de duobus malis mi-
ditus patet, minora ſemper eligantur. Quia, qui nus eli-
murorum vndiq; ambitu, nè fugiat, clauditur; ibi gatur.
*ſe in fugam præcipitat; vbi breuior murus inueni-
tur.* Lot Patriarcha Sãctiſs. ne Angelis abuterẽ-
tur naturæ inimici, virgines offert. Nã, etſi illa
quoq; flagitioſa impuritas eſſet: tamẽ minus erat
ſecundùm naturam coire, quàm aduerſùs natu-
rã delinquere. Duo mala licet ſint omninò cau-
tiſſimè præcauenda, cum tamen vtrumq; eludi c. 1. d. 13
nõ poteſt, illud ignoſce peccanti, quod minori
nexu noſcitur obligare. Hoc autem dico, ſecũ-
dum indulgentiam, non ſecundum imperium, c. 2. d. 13.
(ait *Gregorius*,) Quia non eſt ſine vitio: quod
ignoſcitur, nõ pręcipitur. Moyſes vt Phariſæos Matt. 19
a repudio ſine cauſa retraheret, cum cauſa per-
miſit. Ignouit vſuras cum aduena, ne fœnora Deut. 23.
inter fratres agnoſceret. A iuſtitia in paruis de- Plutarc.
flectes, ſi vſurpatam eam velis in magnis. *Iaſonia* polit.
Lupanaria tonſtrina, cloacæ ſunt, in quibus xxxvi lupanar
proijciuntur excrementa libidinis, nè gynecæa tonſtrina eſt.

matronarum sordescant; Bohuslaus Hasisteynus, cum Pragenses audiret publicum incendisse lupanar. *Hoc non est* (inquit) *Veneris tollere vitia, sed totam Vrbem malo Veneris ardore implere; ex vno igne scintillis per singulas domos dispersis.* Libido vetando illicitur, augente voluptatem periculo. Fores vobis reserantur cupidinis in lupanario, iuuenes; vt ad libitum euntes & redeuntes cognoscant, quod omnis caro fœnum. Aristippus, cum ingrederetur ad scottũ, videns adolescentulum, qui non longè aderat, erubescere, quasi philosopho turpe esset lupanar ingredi: ad eum versus inquit. *Turpe non est, ò adolescens ingredi. Turpe est, non posse egredi.* Vide nè tangas, Arbor est scientiæ, boni & mali. Vallatur verbis non custodibus. Si comæderis, morieris. Veteres inter alia commenta referrunt *Voluptatem* & *Dolorem* se coram Ioue motuò accusasse; Iupiter, quia in eis indiuiduam societatem aduerteret, auctores ipsos adamantina catena cinxit, vt vnus alterius comes, & pedissequus perpetuo esset. Hoc accidit cum Vulcanus Martem, & Venerem ferreo rete conclusit, nam teste Lucretio, *lib.* 4.

medio de fonte lepòrum
Surgit amari aliquid, quod in ipsis floribus angat

Dubrauius l. 31.

xxxvii

Alterum non lædere. Cap. V.

3. Iurisprudentia inconstans. 5. Lex naturæ. 6. Religio quid sit. 7. Deus antiquis prodesse *erat. 8. Alterum non lædere. 9. Iustitiæ munus quale. 23. vindicta differt à defensione. 20. homicidiũ pro fama vindicãda. 13. pro pudicitia. 11. ad defensionẽ. 28. homicidium sui an licitum.*

I STudiose lector, si in semitam Iurisprudentię, lucubrationes nostras reuoluis, siste gradum, suscipe Cœlum, numera leges si potes. Bartholum, Baldum, legum propè infinitus numerus, fugit. In Cœlo astra, in arena mari, in aula leges quis supputat? Deus. Dij terræ sunt Principes, & numerum legum circularẽ ignorant. Huius studij si percunctemini metã, signare non audeo: tempus finire non didici. Hæc illa Atheniensium ara, cui teste Paulo, inscriptũ erat. *Ignoto Deo.* Hanc ignorantes colimus; &

II (*legum inconstãtia*) nostra potius ignauia, quàm inuidà Fatorum serie, regna, reges sicut aqua dilabimur. Humanam Iurisprudentiam si quæritis, dabo: *Incon-*

III *stantiam.* Quam enim legem, vel legislatoris suffragium, vel tacitus non abrogat populi cõsensus? *l. de quibus ff. de legibus.* Hæc illa soror

IV Tonantis, cui solum nomen relictum est. Nã-

(*Lex naturæ indispẽsabilis*) què cœlo pulsa locum pellicibus dedit. Ad hanc forsan prouocat homines Imperator? absit. Ad eam nos euocat legem, quam non didicimus, accepimus, sed ex natura arripuimus, hausimus ad quam non docti, sed facti: non instituti, sed imbuti sumus, æternum, innatum præceptum hoc vel principium *Alterum non lædere*, quid si-

V bi velit, quid ab hominibus exigat, paucis exaret ipse Deus. *Magister*, quærebat Legisdoctor, *quod est mandatum magnum in lege?* ait illi Ie-

Matt. 22 sus. *Diliges Dominum Deum tuum. Hoc est maximum, & primum mandatum Secundum autẽ simile est huic. Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis vniuersa lex pendet, & Prophetæ:* Hæc duo, Dei scilicet, & proximi dilectio, sunt, quæ duobus illis principijs. *Alterum non lædere, & suum cuique tribuere*, exarauit Imperator Iustinianus. *Alterum non lædere*, idem est, ac *proximum dilige*; Suum cuique VI

tribuere, idem ac *Deum dilige*, si vera profert Tullius, quod Religio sit *erga Deos Iustitia*. Cõcordat Christus, dum clamat. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari*: en Iustitia: *Quæ Dei, Deo*, en Religio, Iustitiæ prima passio, & executio. Propte- VII

rea Dominus cum Moysi legem exararet in Sinai, duas diuisit in tabulas. In quarum prima *Dei honor* describitur: in secunda *Amor* præcipitur *proximi*. Vt à Dei cultu non longior distaret dilectio proximi, quàm a primà tabulà elõgatur secunda. Homines (*Cicero*) hominum cau- *1. Offic.*

sa generati sunt, vt ipsi inter se alij alijs prodesse possint, ideo qui alteri prodest, ei Deum extitisse dicit, nihilq; aliud Deum esse putauit anti- VIII

quitas, quàm *prodesse* mortalibus; vnde & belluas prò Dijs habuit. Breuiorem, & paucis exaratã Syllabis legem hanc exposcenti, naturę cõpilator exhibet Christus. *Quæ vultis vt faciant* *Matt. 7.*

vobis, facite. Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Quo ita delectabatur *M. Aurelius Seuerus*, vt in fronte publicorum operum incidi *Lamprid.*

iusserit. Imò huius Christiani præcepti dulcedine captus, inter Deos decreuerat recipere Christum; quod etiam *Hadrianus* cogitasse fertur, quum templa in omnibus ciuitatibus absq; simulacris fieri iussit (vnde, & hodiè templa Hadriani dicuntur, vbi Idola non sunt) vt in eis Christi Seruatoris imaginem reponeret; sed ab his prohibitus est, qui sacra consulentes, repere-

(*Christus cur non receptus inter Deos.*)

rant

rant,omnes futuros Christianos & reliqua de-
IX ferenda templa,si optato id euenisset.

iustitia munus. Primum itaq; Iustitiæ munus est,ne cui quis
X noceat, *nisi lacessitus iniuria*. Eodem namque
1.Offic. Cicer. naturę iure,quo prohibetur læsio proximi, est
l.1.C. sui introducta defensio,Vnde *Ouid.*
vnde vi. *Iudice me,fraus est concessa repellere fraudem,*
3.de arte *Armaq; in armatos sumere iura sinunt.*
Amandi Et Proper.lib 2 *Eleg.5. ad Cynthiam.*

Non solum taurus ferit vncis cornibus hostem
Verum etiam instanti læsa repugnat ouis.

l.3.c.5. de ira. Nec mouet *Seneca*,quod vltio sit doloris confessio.Et magnus non sit animus, quem incuruat iniuria. Aut potentior te, aut imbecillior lęsit.Si imbecillior,parce illi:si potentior tibi.*Seneca* namque de vltione,nos defensione loquimur.Ille illatam prohibet vindicare iniuriam; nos natura fouet percussorem repellere,percutientem repercutere,nialiter vim illatā declina-
1.Offic. re possimus.*Principio* (inquit Cicero) *omni animantium generi est à natura tributum,vt se,vitā,corpusq; tueatur declinet nocitura.* Leonū feritas inter se non dimicat, sed si vis inferatur, nulla est,cui non sit ira,& prompta, si noceas, ad se defendendum alacritas.Naturæ lex firma
Ioseph 3. de Bello Iud.c.15 est,vt omnes velint viuere,qua de causa hostes iudicamus,qui nobis illud auferre præseferunt.

Nec sanè quisquam primū aggressoris ictū
XI expectare tenetur.Satis si insultantis agnoueris animum;resiste,ocurre,præcurre. Melius rem intactam seruare,quàm post vulnus remedium
in Eunucho act.4 scen.6. quærere.Et Terētius.*Tu quod cauere possis, stultum est admittere: Malo ego prospicere, quàm hunc adsciscis accepta iniuria.*
Leibius in studēt. apos.430 *Dimidium amisit,qui primū expectat ad ictū.* Saguntum non expugnasset Annibal, si fœde-
XII ratis in suppetias Romani accurrissent armis. Hostis tonabat balistis,Romani certabant, resonabant legem.Interim dum Romæ consuli-
l.1.dec.3 tur,perditur Saguntum (*Liuius*)in eoq;sunt adducti discrimine,vt ni Annibal cunctatus esset victoriam,catenatas in Africam Romanas
XIII remulcasset Aquilas in triumphum.

l.1.ad l. Cornel.de Siccar. Vitæ comparo pudicitiam, quam pari iure etiam aggressoris morte defendere possum.
XIV Imò viris bonis metus stupri maior, quā mor-
Pudicitia armis defendatur. tis esse debet. Deus,licet omnia possit,virginem reparare non potest, post ruinam, *Hieronym.* *Virginius* licet plebæus,ne probro contamina-
l.8.ff. retur domus sua, proprio sanguini non peper-
quod met. cau. cit, pudicæquè interemptor, quàm corruptæ
c.11.32. q.5. pater esse maluit. M. Alexandri militem cum

Timoclea mulier Thebana, quæ stuprum passa XV Valer.M. lib.6.
erat, deiecisset in puteum non solum crimine est absoluta homicidij,sed bonis vnà cum liberis est & immunitate donata.*C.Marius* Trebo- XVI Fulgos. lib.6.
nium adolescentem licet Lusij nepotis sui homicidam, cum audisset in tutelam pudicitiæ XVII
patratam cędem,non tàm absoluit, sed coronā Plutar. in apoph.
militari redemit.Taruisina Virgo,hisce diebus
aperto in agro,longè à consanguinęis, impotēs XVIII
clamore,vel manu insidiatoris violentiam effugere,lepidum confugit ad astum.Insidiatorē diligere simulat, cuius amore bachata procos despiciat.Veruntamen incognita viro, & puella tenerrima,timeo (ait) comprimi non amoris inopia,sed viri abundantia. Copulam quæro, masculum horreo exuberantem.Videbo priùs, tractabo manu:si viri potens, non recuso laborem.Cæcus illicò arrisit Amasius,nudat ille pudenda,arripit fortissima virgo;& sine fune in- XIX
sidiatorem suspendit,nec soluit; priusquàm ex pallore mortis agnosceret recessisse libidinem.

Quid si famam, vel existimationem nostrā XX
inuadat?puta si nobilem,vel militem, rusticus homicidium pro fama vindicā.
& plebeus aggrediatur,& prouocet?forsan nobilis,cuius decor in armis,sibi fugiendo consulet?si melius est bonum nomen, quàm diuitiæ multæ;Si fuga in nobili viro maximum dedecus est,& notissima infamia. Prou.22 Vnde Menander,*Litem plus timeas vituperium, quàm periculum*, & Plutarcus *de Poetis*. Vt omnibus respondère seruile est, sic omnes despicere stultum. Sed XXI apud de Iaiur. Stobæus.
omnibus seruile ignoscere(adiungite vos)christianum. Quale moderamen tutelæ in eo, qui aggressorem occidit,nobilitatis prætextu, cum XXII
posset fugere *quomodò apud Diuinam Prouidentiam à peccato liberi sunt,qui pro his rebus quas cōtemni oportet,humana cæde polluti sumus?* Augustinus si aduersùs naturæ principium clangor præualet militaris, poterit etiam nobilis XXIII 1.de lib. Arb.c.5.
iam percussus,fugientem insequi percussorem, & vulnera vindicare recepta. Si sic est,defensio non excusat;vindicta prouocat;vt oculum pro oculo,dentem exigas pro dente; quod Christi prohibet Euangelium,lex damnat Imperatoris. XXIV
Obijcienti disfamari fuga nobilitatem, respondet Seneca.*Ille magnus,& nobilis est,qui more magnæ feræ latratum minutorum canum securus exaudit.* 2 de trā. quil.c.3. Et Chrysostomus. *Dic quæso,si quis solem,tenebrarum auctorem dicat; Soli ne an sibi detrahit?sibi videlicet ipsi,cum amentis, & insanientis opinionem consequatur. Eodem planè modo,qui bonos prauos esse putant, seipsos vituperant.* hom.43. in Matt.

ep. ad Eust. raut. Et Hieronymus. Apud Christianos non qui patitur, sed qui contumeliam facit; miser est, quemadmodum qui candelam ardentem digitis proprijs mungit; candelæ lumen clarius xxv efficit; suos digitos adurit, & contaminat, & qui duros silices manu cædit, ipse non lapides vapulat. xxvi quid sit tutela Moderamen inculpatæ tutelæ solam suo fouet in gremio vitam. Hinc surripientem noctu lucernam non iniuria occido, secus surripientem bona; nulla enim inter vitam & bona proportio. l. si ex ff. ad l. A. quil. Iure naturæ sumus omnes pares, & xxvii vno communi nomine homines vocabantur *homines*. de libert. Officium erat imperare, non regnum. Instit. 1. Quid itaque refert, dum naturæ exaramus principium, fumosas ostendere imagines, & pontifice longo sanguinem recensere? De Sanguine agitur: nobilis, vel plebeus sit aggressor, occisus vt frater in fratrem de terra clamat. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.*

xxviii homicidium sui. Vnum superest, alterum lædere dicor nec ne, si memetipsum interficiam? vt Cleanthes, Chrysippus, Zeno, Empedocles, qui se in ardentis Ethnæ specum intempesta nocte deiecit, vt xxix cum repentè non apparuisset, abijsse ad Deos l. 3. de falsi sap. crederetur? *Lactant.* Charondas vt legem, *ne quis armatus in concionem veniret* a se latam, & c. 18. casu violatam lethali firmaret exemplo? Alcexxx de Instit. Val. Max stis filia Perilai, vt vmbrà sua contenti manes ægrotanti parcerent Marito? Seneca.

Coniugis fatum redimens Pherei,

xxxi *Vxor impendit animam marito.* in Medea

xxxii Quid de istis sentiendum? nemini licère sibi xxxiii manus inferre violentas. Generale præceptum *Non occides*, a meipso exorditur; hominem nāque occido, si præproperè vitæ finem accelero. xxxiv Solus Deus vitæ, & mortis habet potestatem. Sap. 16. *Tu es Domine, qui vitæ & mortis habes potestatem, & deducis ad portas mortis, & reducis: Ego* Deut. 32 *Deus occidam, & viuere faciam.* Vnde *Hieronymus* ep. ad Marcell. in persona Dei, non recipio tales animas, quæ me nolente e corpore exierūt. Nemo enim xxxv l. 13. ad l. Aquil. membrorum suorum dominus est.

Vitaq; mancipio nulli datur, omnibus vsu.

canit Lucretius. Humanæ vitæ dominium illius est, qui iure creationis cum ex nihilo condidit, ad nihilum redigere valet. Homo, non dominus, sed custos & vsuarius vitæ suæ, non vsufructuarius, vt possit vti, & abuti, sed *vti* iuxta xxxvi necessitatem societatis humanæ, & finē æternæ beatitudinis. Si rebus bonisq; nostris prohibe-Instit. 1. tit. 8. mur abuti, *expedit Reipublicæ, ne quis re sua malè vtatur*, quantò magis corporis prohibitus: erit abusus? Eadem itaque penà puniendus, qui l. 3. ff. de bonis eor. qui sibi. sibi manum intulit, ac si alteri. Si sibi nequam, alteri nequior erit. *Vetat dominans ille in no-* xxxvii *bis Deus, iniussu hinc nos suo demigrare. Cum* l. 1. Tusc. *verò causam iustam Deus ipse dederit: ne ille medius fidius, vir sapiens, lætus ex his tenebris in lucem illum excesserit: nec tamen illa vincula carceris ruperit. Leges enim vetant: sed tanquàm a magistratu, aut ab aliqua potestate legitima, sic a Deo euocatus atq; emissus exierit.* Nisi forte xxxviii ff. de bon. eor. qui sibi mor. impatientia doloris, sibi mortem consciuerit. Eo casu lex ciuilis non punit, vt de Euchrate philosopho legitur: & Sillio Poeta Italico. Dion. Politian. in Nutricia.

Ipse obijt, plenusq; æui, natoq; superstes,

Aspera congestto fixus vestigia clauo.

Cęterum veluti infamis, & confessus suspecti criminis, puniatur, bona eius fisco tradantur. xxxix homicida sui infamis. Hinc est, quod de corporali pœna fideiussio non admittitur, quia membrorum suorum nemo dominus. Si enim priuata potestate (Augustinus) alicui hominem occidere vel nocentem, non licet, profectò etiam qui seipsum occidit, homicida est: & tanto fit nocentior, cum se c. si non 23. q. 5. occiderit, quanto innocentior in ea causa fuit, qua se occidendum putauit. Nam si Iudæ factū meritò detestamur, quanto magis a sua nece xl abstinère debet, qui tali supplicio quid in se Iudæ geminum crimen. puniat, non habet. Iudas cum se occidit, sceleratum hominem occidit: & tamen non solum Christi, verum etiam suæ mortis reus finiuit hanc vitam: quia licet propter suum scelus, alio tamen scelere suo occisus est. *Non occides* cum lex insonat, nobis inferre necem prohibet, præsertim quia non addidit, *proximum tuum*. Sicut falsum testimonium cum vetaret. *Falsum* (inquit) *testimonium non dices aduersus proximum tuum.* Non propterea si quis in seipsum falsum dixerit testimonium, excusatur; quoniā regulam diligendi proximum a semetipso dilector accepit; scriptum est enim, *Diliges proximum tuum, sicut teipsum.* Quanto itaque magis intelligendum est, non licère homini seipsum occidere, cum in eo, quod scriptum est, *Non occides* nihil addatur. Occidere autem non dicitur, qui ministerium debet iubenti, sicut gladius vtenti est adminiculum. Ideo non occidere dicti sunt, qui Deo auctore bella gesserunt, aut secundùm leges sceleratos morte punierūt. xli Abraham laudatur vt pius, quòd voluit filium non sceleratè, sed obedienter occidere. Iepte, Qui se Deo inspirante occiderūt Sampson non aliter excusantur, nisi quia Spiritus latenter hoc iusserat, qui per illum faciebāt mi-

miracula. Propterea Sampson mortis tempore
Heb. 11. dominum inuocat, nè sibi fortitudo deficeret.
c. 32. Nec aliter Paulus Sampsonem Sanctorum referret in numero.

XII an liceat pro zelo fidei. Quid si Zelo fidei, ne thura adolerent Idolis
se morte violenta subtraxerint? *Augustinus* respondet Martyrum non veneramur nomine
c. su causis eos, qui sibi collum ligauerunt. Non est nostrum
23. q. 5. (*Hieronymus*) mortem arripere, sed illatam ab
alijs libenter excipere. Vnde & in persecutionibus non licet propria perire manu (absque eo sc. non est
vbi castitas periclitatur) sed percutienti colla ib.
submittere. Hoc dicimus, hoc approbamus, ne- c. placuit. ib.
minem spontaneam mortem sibi inferre debere; quod si fecerint; nulla prorsus pro illis in o-
blatione commemoratio fiat; neq; cum psalmis l. lib. ff. de his, qui not. infam.
ad sepulturam eorum cadauera deducantur,
nec consuetis ritibus lugeantur.

Suum cuique tribuere. Cap. VI.

1. Iustitia principi quid. 6. regni fulcrum. 17. eius hieroglyphica. 19. Selimi iustitia. 20. in dubijs contra Fiscum. 21. contra eam Deus non agit.
4. Princeps soli Deo subditus. 3. Vtilitas publica. 19. aliena non vsurpat. 8. Donec *verbum antemporaneum. 10. 13. Venetorum Iustitia. 6. de eis prædictio S. Bernardini Senensis. 15 fides. 20. In dubijs an pro amico? vel Fisco. 22. rerum diuisio quando facta, an iure. 33. Hebrei rapiũt Egyptiorum vasa.*
36. furtum cur gentes permitterent? 25. etiam a mundi exordio illicitum.

I IVstitia quæ Principi Alpha est, & Omega vltimo hoc exaratur principio, *Suum cuiq; tribuere*, vt circulus in cæteris vitiosus sciẽtijs, hic
iudicẽ necessario claudat. A iustitia exorsus, in
Iustitiã declinat; ea nãque est, a qua, in qua, per
II quã, ad quam actiones nostras dirigimus. Tria
Princeps in omni perpẽdat negotio. Quid liceat
secundũ *æquitatem*: quid doceat secundũ *honestatem*: quid expediat secundũ *vtilitatem*. Gemi.
III na est vtilitas, publica, vel priuata. A publica si
IV deficias tyrannus es. Publicæ vtilitatis intuitu,
Vtilitas publica. subditorũ iura Princeps an vsurpare possit? nostrũ non est inquirere, Causa regiæ potestatis è
regalibus sedibus venit; è Cœlo petita soli Deo
debet innocentiã. Nemo est sub Sole, qui iura
Principũ appẽdere possit in statera. Balthasaris
cũ regnum penditur, exit è nube manus, Deus
ipse de Cælo descendit, quia cum Dij terræ sint
principes, nonnisi à Deo debent iudicari: vndè
Psalmista *Deus stetit in sinagoga Deorum*; hoc est
Principum, *in medio autem Deos dijudicat*. At
V cur dijudicat? De iustitia, & de iudicio.
Discite Iustitiam moniti, & non temnere Diuos.
VI iustitia regni fulcrum. vt ad Christophorum Morum aiebat S. Bernardinus Senensis; cum Sacrilego ille debachatus
amore, monialium ingressus claustra, Amasiã
rogaret, velum deponere, eaq; respondente, non
licere, quia signum esset, quo Dei sponsa apparèret; replicauit Morus, *absit ergò, vt homo Deum
faciat cornutum*. Sic penitentià ductus, exiens
protinùs, per quendam angiportum vbi Crucifixi stabat imago, *memento mei* inquit Morus,
non obliuiscar, respõdit Imago, *quia thorum meũ
non temerasti*, Nec vana promissio; nam ad Ducale soliũ euectus est. In Xenodochiũ ponè cũ VII
S. Iob, sæpè inuisum pergeret Bernardinum Senensẽ, & de Venetorum arcanis sermo recurreret: Moro Principi ad Bernardinum cõuerso, de
Reipublicæ duratione vno verbo interroganti.
Quousque? Bernardinus digito monstrando *Iustitiam*, quæ iuxta eos in pariete picta erat, respondit; *Donec*. Donec scilicet erit Iustitia, stabit
Respublica. At quomodò *Donec*? aduerbium est VIII Donec
temporaneum, & instabile. Dubitatur forsam,
quòd Iustitia Veneto pulsa Cœlo, sit pellicibus
datura locum? Absit. In medio aquarum est po-
sita firmamentum, Aquis datura legem, nè trã- Venetorũ laus.
sirent terminos suos: *Quousquè?* interroganti
Mora; *Donec* cum dicit, verbo non vtitur instabili, & temporaneo, sed æterno, quemadmodũ
per Regium prophetam ad filium loquitur Pa-
ter Æternus. *Dixit Dominus Domino meo: sede à IX Ps. 109.
dextris meis.* Donec *ponam inimicos tuos scabellum tuorum*, Vbi aduerbium *Donec* stabile est,
& inconcussum. Stabilem hic esse iustitiã, veluti
Spiritũ Domini, qui Mundi ab initio, non ha-
bebat vbi quiesceret, quàm in aquis. *Ferebatur* X
Spiritus Domini super aquas, non humana loquutio, sed lingua resonat Angelica Aquinatis.
In partibus Liguria, & Flaminia, quæ hodie 4. de Re-
Lombardia vocatur, nullus principatum habere gim. Prin.
potest perpetuum, nisi per viam tyrannicam, duce c. 8.
Venetorum excepto, qui tamen temperatum habet Venetorũ iustitia.
regimen. Quia imperium suum iusticia illa tem- XI
perat, & mulcet, quæ licet cum pace fœdere sit
iuncta fraterno, *Iustitia, & pax deosculata sunt*, XII
facilius potuit a pace seiungi, quàm à Republica. Hinc exordio Turcici belli, cum fulmine

qua-

quateretur & caderet pars lematis *Iustitia*, *&*
pax deosculatæ sunt, quod inscriptum legitur
super Iustitiæ hieroglyphicum, erectum super
Giganteos gradus, vt breui haud tempore trun.
cum legeretur *Iustitia & ... deosculatæ sunt*:
mysticè Fato est percita quodam sola pax, non
iustitia; quia feritas barbarorum posset potiùs
euellere regna, quàm iustitiam, quæ vel imma-
ni grassante bello adhuc Superum supererat te-
stimonio. Oh felicissima ciuitas, dulcissima pa-
tria. In qua potentior qui melior, & pro summo
optimus. Coram Leone saltellant hic pecudes,
vnde cum *Martiali* in lepore, quem fugientem
tygris insequebatur Hircana, & illeso confu-
giente in ora Leonis (qui non longe aperto ore
iacebat) nationes & populos Principum suorum
oneribus fatigatos, fas sit inuitare

Ad quæ confugias, ora Leonis habes,

nec est, quem timeas præter legem, non Regem.

O Melibæe? Deus nobis hæc otia fecit.

Non tàm in commutatiua, quàm in distributi-
XIIII *Venetij* ua Iustitia. Si Regis ad exemplum totus compo-
iustitia nitur Orbis, Venetium Venetorum Principem
in filium. nè prętereas, cum filium vnicum (quia in ma-
Sal. An. tronæ famam se iniurium præbuerat) publico
1382. pudori victimam adolæuit, & posteritatis suæ
ruinam sicco spectauit oculo. Nec mirèris tam
rigidum legum iudicem; Ex Creta, vbi Præfe-
cturam gesserat, Minos Venetias Iustitiam as-
portauit; In Iouis patrià fulmina quoq; didicit
iaculari. Ducem nostrum, cum *Principem* dici-
mus, fallimur. Patrem vocare est opus, vnde nō
mirum, filium vnicum morti dedisse, cum tot
XIV subditi, qui filij sumus, superessent. Composito
Sal. Ann. cum Ianuensibus bello ea conditione, vt Vene-
1583. ti præsidium ex Tenedi reuocarent arce: *Io: Mu-*
XV *Venetorū* *tatium* arcis præfectum, pacta implere negantē
fides. non dubitauit Senatus vrgere ferro. Quod si
Egnat. l. 6. c. 6. Princeps publicà vtilitate posthabità, aliena nō
XVI inuadit, sed suum cuiq; tribuit, quid de priuatis
sentiendum. *Reddite omnibus debita*, (Paulus)
cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal;
cui honorem, honorem. Æqualitas finis sit distri-
XVII *Iustitiæ* butiuæ, & commutatiuæ iustitiæ? Manus cum
symbola. perpēdiculo sub lemate *ad omnium mensuram.*
Vel falx, quæ æquè recidit fænum sub lemate,
XVIII *æquat*; Iustitiæ commutatiuæ sunt hieroglyphi-
ca; vt distributiuæ rusticus, qui resecando fœ-
num, cum truncos, & nodosas offendit radices,
præterit, falcem eleuat, ne frangat. Cæterum in
commutatiua iustitia lex quantumuis dura est
obseruanda, Iudex non est legum iudex, sed le-
gum custos. Publica vtilitas, cum priuatorum XIX
gratia sit comparata, tanti non est, vt quod
meum est, sine facto meo, alterius fieri possit:
Selimus Turcarum Rex morbo cum laboraret *Selimi*
lethali, iam exanimatus, *morior* (ad Perinū fami- *iustitia.*
liarem suum inquit) tunc Perinus, *si mortis vr-*
get discrimen, cur de bonis illis non disponis, quæ
vltra millena aureorum millia te iubente, Bursiæ
seruantur? cur in Xenodochij fabricam non ero-
gas? post obitum tuum erunt raptoribus præmium.
Tunc Selimus inquit, *Vis itaq; quod ego glorifi-*
cem nomen meum ære alieno; & Deo offeram obla-
tionem rapinæ? Non audeo, non debeo, nolo facere.
Quid agendum? replicauit minister? *Suum cuiq;*
tribue, respondit *Selimus*, & accersito tabellione *Caurlin. in comm.*
iussit exarari mandata. Barbarorum hic sermo, *Turc.*
quibus velint nolint, sunt hæc ęternæ veritatis
principia, *Alterum non lædere: Suum cuique tri-* XX
buere. Quid si in dubijs ignoretur, prò vtro liti- *in dubijs*
gantium teneatur iudex pronunciare? forsan *an pro*
pro fisco? dote, amico? inextricabilis controuer- *fisco? l. in ambi*
sia, patroni vndiq; nec sine angustijs. Philippus *guis de*
II. Rex Hispaniarum fiscalem rogatus firmare *iur. dotiū*
sententiā, sciscitatus prius an attrideret iustitiæ?
& aulico respondente, *dubium esse negotium: in*
dubijs autē Concilium stare prò Rege. Tunc Rex
Hispanica seueritate Fiscalem corripiens, in-
quit. *Doctor aduerte, Senioribus refer, in dubijs* XXI
contra Regem. Naturæ Principia, nec Deo dis- *contra in*
pènsante turbātur; quæ cū nil aliud sint *quā di-* *stitiā ne-*
uina ratio toti Mundo, partibusq; eius inserta, si *quit*
Deus aduersus seipsum non potest, nec aduer- *Deus. Seneca.*
sus naturam. *Deus fidelis est, & seipsum negare* *Paulus.*
non potest. Ego sum Deus, & non mutor.

At dices, si Mundi in exordio erant omnia XXII *Rerum di*
communia, *per iniquitatem alius hoc suum esse* *uisio quo.*
dixit, & alius illud: Vnde quisque possidet, *modo fa-*
quod possidet, quærit Augustinus *iure humano,* *cta. c. 7. d. 1.*
non diuino, Domini est terra, & plenitudo eius. *& c. dile-*
Pauperes, & diuites de vno limo fecit; & paupe- *ctissimis.*
res, & diuites vna terra supportat. Iure tamen *12. q. 1.*
humano dicitur: hæc villa mea est. Iura autem
humana, iura Imperatoris sunt: Tolle hæc; quis *c. quo iu-*
audet dicere, mea est illa villa, meus ille seruus. *re. d. 8.*
Imò subiungit Ambrosius. *Non esset hodie ser-*
uitus, si ebrietas non fuisset. Manebat omnibus *c. sexto. d.*
inconcussa libertas, antequàm vinum inuenire- *35.*
tur: nemo sciebat a consorte naturæ suæ obsequia
seruitutis exigere. Ergo *tribuendi suum cuiquè*
non est naturæ principium; Per iniquitatem est XXIII
facta diuisio, & gemino pronomine mei & tui
est natura subuersa.

Si

xxiv *Si duo de nostris tollas pronomine rebus*
Prælia cessarent, cuncta sine lite forent.
Sic mussitant, qui vel ignauia, vel luxuria coguntur mendicare pauperes. Piscantur in turbido, nec illis tam iucundum multos post se videre, quàm graue aliquem ante se.

Veruntamen vt communitatis redarguam asseclas, hominem pauperiorem produco, nudum, cuius plagas lingent canes. Cum eo partimini palleum si æqualitas nomina, vel titulos non discreuit? si per iniquitatem facta est diuisio? quid respondebit pauper, & pro defensione rusticani tugurij argumenta proferet? Dicet, quòd etiam priusquàm Dominus sese motaret super abyssos, contra naturam erat, *inuito Do-*
xxv *mino aliena rapere*. Antequàm efformaretur Orbis, homo non erat, & tamen Sapientia tonabat Æterna: *homo est animal rationale*. Antequam terra esset, non erant numeri; & tamen *tria, & quatuor faciebant septem*. At si non erant partes, vbi erat totum? erant partes, non aberat totum, si veritatem spectes propositionis, & connexionem terminorum. Erant in actu primo, non in actu secundo. Erant in essentia, non in existentia. Erat terminorum connexio, non subiecti receptio. Erat veritas propositionis, & terminus a *quo*, non ad *quem*. Verum erat in abstracto *aliena rapere iniustum*, licet in concreto, qui raperet, quid raperes, vel a quo raperes, non daretur. Protinùs tamen, cum ab illo tenebroso Chaos deducitur Orbis; elementa concinunt, & cœlesti armonia resonant, *alterum non lædere, Suum cuique tribuere*.

Rerum dicis prætermissam diuisionem? Mé-
xxvi tiris. Composita namque luce, eam diuisit a tenebris. Aquam seggregauit ab aquis. Et ne hanc diuisionem commentis reuoluas, virentium, & viuentium separat species, vt quodlibet *in specie sua* & secundùm *genus suum* fructificaret. Germinet terra herbam virentem iuxta *genus suũ*. Producant aquę reptilia in *species suas*; singula suis discreta terminis Sol diei, Luna nocti, in firmamento Stellę, in aqua pisces, in terra bruta, vbique homo; ne alternis peterētur dissidijs.

Homini (dices) non mandatum in specie sua
xxvii generare, vt viuentibus; & virentibus omnibus, ergo vt & reliquæ creaturæ ad diuisionē vocantur, solus homo in communione iussus est permanère. Inter homines (dico) nō fit diuisio, quia æmulum non patiebatur, cum quo diuideret. Hominum omnium vnus dominus Adam; qui seipsum ad diuisionem prouocare non poterat. Vel inter homines non fit diuisio, quia non adhuc humano terra polluta piaculo, fructus dabat absq; cultura. Postquàm autem terra ma- xxviii
ledictione aruit. Tunc homini dicitur *in sudore vultus tui, vesceris pane*: Tuo, non adiungitur, sed prætermittitur: quia non legislatoris imperio noster *est*, sed nostro sudore *fit*, cum xxix
non esset. *Non essent ista communia, nisi pars* Seneca.
illorum pertineret ad singulos. Platonis Rempublicam potiùs est, fingere, quàm inuenire. Ea enim Respublica, quam Sapientia composuit.
Eterna (Hæbream dico) nequijt sine diuisione xxx
consistere; vnde Iosues diuini executor mādati terrā Promissionis sorte diuisit. Christus ipse
factam diuisionem subuertere renuit. Interro- xxxi
gantibus Publicanis, an liceret dare censum Cæsari? *Ostendite* (inquit) *numisma census. Cuius hæc imago, & superscriptio est? dicunt ei Cæsaris.* Dixit Christus, *Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris Cæsari: quæ Dei, Deo*, Cur ergo permisit Hæ- xxxii
breis spoliare Ægyptios? quia etsi Deus vt Exod.12.
mundi legislator ad munera non respiciat; xxxiii
nec ad personas: Vt Mundi dominus, iure crea- Hæbrei rapiunt
tionis, qua ex nihilo cuncta condidit: ad nihilū vasa Ægyptiorū.
eadem redigere valet. Vnde nil Hebræorum,
vel Ægyptiorum; nil meum, vel tuum, sed om- c. vltimo 3. q. 5.
nia sua. *Domini est terra, & plenitudo eius: Orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in eo. Nos au-* psal.78.
tem populus tuus, & oues pascua tua. Terra in Leuit.25
qua est, mea est, & vos coloni mei estis.

Pretiosa illa (dices) a domino iam Egyptijs donata, non poterant sine causa reuocari. Con- l. contra-
tractus ab initio sunt voluntatis, post facto ne- ctus de
cessitatis. Aduerte lector sublunaria hoc pacto Reg.
mortalibus dari, nisi ille, qui sedet in solio Maiestatis, disponat aliter. Titulum, quo nobis dātur, attende. *Dominij* non est, eiusdem enim rei duo domini non dantur in solidum: si solus Dominus Deus, non est Dominus homo. Nec etiam *mutui* est vel *comodati*, sed *precarij*; cuius natura, vt ad libitum concedentis possit sine
causa reuocari. Hinc Regularium Franciscano- xxxiv
rum claustra Pontifex sine causa reuocat, quia *precario* possident titulo. Non sic in reliquis claustralibus. Egyptiorum vasa pari *precario* Israelitis dantur, vnde interdictum Iudæis iure perpetuo agros vendere, quia colonni essent, nō Leuit.25
Domini. *Terra quoque non vendetur iure perpetuo; quia mea est, & vos colonni mei estis.*

Vel dicas titulo iusti belli, Egyptiorum bona xxxv
ad Hæbreis vsurpata. Vnde paria delicta, mutuā compensatione ferentes, infensissimos hostes,

ſtes, a quibus fuerant tyrannicè habiti, ſolerti
vlti ſunt ſpolio. Vel cum tot annos ſine congia-
rijs, & ſtipendijs Ægypto ſeruierint, nec laborũ
mercedem receperint; Deum appellarunt, qui
omnium eſt iudex, vt ſeruitutis pretium redi-
Sap. 10. merent. Annuit Deus, *& reddidit iuſtis merce-*
dem laborum ſuorum, vt iam Abrahamo prædi-
Geneſ. 15 xerat. *Veruntamen gentem, cui ſerwituri ſunt; ego*
iudicabo; & poſt hac egredientur cum magna ſub-
ſtantia. Nec aduerſatur, quod Gentes furta re-
xxxvi linquerent impunita, vt Dionyſius ſenior eos
permittebat impunè, qui in conuiuijs veſtem
furabantur. *Alex. ab Alex. l. 10. c. 6.* Tartari, latro-
furtum ne ſe excuſante, ſe ea re non potuiſſe ca rere,
cur gen- controuerſiam ita conponebat; *Si tu viciſſim re*
tes per- *aliqua indigueris, rape ab alio.* Samijs cum Mer-
mitterẽt. curio benefactori ſacrafacerent, furari ius erat.
Gaguin. Ægyptij furti quartam latroni dabant in præ-
in deſcr. mium. *Diodor. l. 1. c. 6.* A peculiaribus namq; na-
Tartar. tionum moribus ius non efformatur naturæ,
Plutar. quod ſeculis omnibus ante natum, quàm ſcrip-
in quæſt. ta lex vlla, aut norma aliqua inuenta. Quemad-
Græc. modum non ſordidatur aurum conculcatum
licet, ita pœnæ indulgentia turpitudinem cri-
l. 7. C. de minis non euacuat. Spectandum non eſt, quid
ſent. paſſ. Romę fiat, ſed quid fieri debeat: Spartani, Ægy-
l. 12. ff. de ptij acuendæ tãtummodò ſolertiæ, ac vigilantiæ
off. Præſi. furibus indulgebant. Dionyſius impunè permi-
xxxvii tebat abire eos, qui veſtem furabantur in con-
uiuijs, vt Syracuſanos a compotatione retrahe-
ret. Apud Ægyptios lex erat in fures, qui furari
volebant, nomen ſuum apud Principem ſacer-
dotum profiterẽtur, atq; e veſtigio furta ad eum
deferrẽt; vt Domini & bona repeterent, & tan-
quam deſides rerum ſuarum cuſtodes amiſſio-
ne quartę partis bonorum mulctati, diligentio-
res euaderent cuſtodes. Spartani furandi vſum
pueris concedebant impunè, non ad fouen-
dam libidinem, vel gazas parandas, ſed pro e-
xercitio militari, vt furandi ſolertia ingenium
acuerent. Licurgi legibus cum furta permitte- xxxviii
rentur, ſoluſq; qui depræhenderetur, pęnas da-
ret negligentię. Furatus vulpeculam puer, adue-
nientes, qui amiſerant, occuluit veſtibus. Feram
verò ſæuientem, ac ipſius pueri latus ad inteſti-
na lacerantem, tantiſper tolerauit, vſque dum
quærentes abirent. Reprehenſus a pueris quod *Plutarc.*
morti prætuliſſet ſecretum, reſpondit, *Melius* *in Lic.*
eſt mori, quàm in furto deprehendi. Tantum a-
beſt, vt apud nationes latronibus darentur prę-
mia, quod Ægyptiorum Rex *Seſoſtris*, cum pri- xxxix
uatus eſſet, & ludendi ſtudioſus pecunia cum
illi deeſſet, furtis voluptatem fouebat. Propte-
rea cum repoſceretur a Dominis, ipſe verò ne-
garet, ad Oracula trahebatur, a quibus eſt fre-
quenter conuictus, frequenter abſolutus. Ho-
rum templa, a quibus fuerat abſolutus, nec cu-
ræ habuit, nec ſacrificio donauit. Eorum verò,
qui ipſum furari pronunciauerant, tanquàm
verè Deos maximè coluit.

F I N I S.

Index Numiſmatum, Symbolorum, Monetarum, Hieroglyphicorum, Nummorum Miſſilium, Auguralium, Caſtrenſium, Feralium, Votiuorum, Imaginum, quæ habentur in tom. IV. V. VI. VII. e VIII. Monarchiæ Occidentalis.

Nota quod E. ſignat Effigiem, M. Monetam, H. Hieroglyphicum, N. Nummum.

I N D E X

Hen-

I N D E X

F I N I S.

I N D E X

IN IV. V. VI. VII. & VIII. TOMOS MONARCH. OCCID.

Numerus Marginalis in Indice Tomum indicat. L. Librum. P. Paginam. C. Capitulum. N. Numerum.

A

8 Apnm

orandi

Index Rerum.

indul-

F

get

H

sepul-

e Io: Vai-

lega-

Index Rerum.

Attre-

Index Rerum.

viur-

Q

R

in

F I N I S.

Errata, quæ raptim in opere offendi, sequentia sunt. Tu lector diligentius relegens corrige, expunge.

Errata	Corrige.
IN TOM. IV.	
Pag.6.Sauos	Slauos
61.atque tumulus	atque tumultus
61.Fiscum Grat anis	Fiscum Gratianus
128.n.12.fulgince	fulgine ne
285.n.68.Abam.	Albam
176.n.111.Henrici	Henricum
191.n.156.confige	confugit
257.num.267.fumere constituendum	funere constituendam
258.n.2.an	ac
270.n.11.Latio	latine
272.n.2.vxori	vxoris
272.n.95.	pet e
... n.9.infuetur Papa	tuetur Papam
283 n.53.patre	parte
288.n.75.illum eiusque	illumque eius
298.n.116.erat	erant
307.n.116.in lue	induit exemplo
308.n.63.eius	ius
322.n.45.Sanctus	Sancto
323.n.40.Monachus	Monachos.
336.n.78.tous	totus.
n.79.munita	munito.
330. Vidi	Audi.
IN TOMO V.	
Pag.3.n.7.Cæsar	Cæsar.
61.n 28.Itali	Italiam.
70.n.128.pergat	pergant
71.n.241. Henricus	Henricus Anglorū.
75. quæstus	questus
81.n.45.a iolt	2 lore.
187. Cessante	186.Cessante.
222. Cœlestinus	Cœlestinum.
277.n.34.consolat	consulat.
304.n.21.velle	vellet
307.n.21.Philippus	Philippi.
ib.legatum	legatus.
IN TOMO VI.	
Pag.17.n.64.Albertus Rudolph.Imper.fil.	Rudolph.
51.n.86.Rodulphus	Rodulphi.
52. contruerso	controuerso.
57.n.6.& dij	& filij.
65.emmunem	immunem
67.n.5.sesso	secto.
68.n.5.filium	filiam.
69.n.9.dddisset	dedissent.
74. tollis	tollit
77.n.14.nequiret	nequirent.
78.n.25.more	mors.
87.n.49.spernes	spernens.
110.n.13.Modozentibus	Modoezensibus.
130.n.9.Romæ	Bonæ.
131.n.14.triduum	triennium.
n.16.Ludouicū	Fridericum.
141.n.20.stadio	studio.
19.iuuenta	iuuentam.
15.quæriturus	quæsiturus.
16.obstitisset	obstitissent.
147.n.49. ad Ludouicus	Ludouico.
compesciussent	compescuissent.
173.n.73.Eabula	Fabula.
179.n.97.vita	vitæ.
192.n.118.descicrane	desciuerant.
65.aleri	feri
ib.Venris	Veneris.
74.quod	quis.
ib.à cunctis	cunctis.
106. calce	calco.
ib.visum	virum.
335.n.37.Carolus	Ladislaus.
337.n.45.rutis	ruitis.
356.n.23.Italia	Italiam.
1351n.37.omne	omine.
IN TOMO VII.	
Pag.114.n 296.intercusit	interclusit.
130.n.320.milles	miles.
131.n.325.Idem	Idus.
159.n.15.priuilegij	priuilegijs.
IN TOMO VIII	
Pag.187.n.147.electorum	electorem.
191.n.162.dilaxit	diluxit.